

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
12 E
35

Digitized by Google

VETERVM ALIQVOT SCRIPTORVM, QVI IN GALLIÆ BIBLIOTHECIS, maximè Benedictinorum, latuerant,

SPICILEGIVM.

TOMVS I. CONTINET

1 IONÆ *Aurelianenſis Epiſcopi* Libri III. De Inſtitutione Laïcali.
2 CODEGRANDI *Metenſ. Epiſcopi* Regulam Canonicorum.
3 ISIDORI *Hiſpalenſis Epiſcopi* De Ordine creaturarum Lib.
4 Epiſtolas QVIRICII *Barcilon. Epiſcopi*, S. ILDEFONSI *Toletani Archiepiſcopi*, & IDALI *Barcilon. Epiſcopi.*
5 RATRAMNI *Corbeïenſis Monachi* De Natiuitate Chriſti Opuſculum.
6 ISAACI *Lingonenſis Epiſcopi* Epiſtolam prolixam in Canonem Miſſæ.
7 VETVS Chronicon S. BENIGNI *Diuionenſ. Ordinis S. Benedicti.*
8 IOANNIS *Monachi* Chronicon Beſuenſe *eiuſdem Ordinis.*

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & ſtudio Domni Lucæ D'Acherij è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.

PARISIIS,
Apud Carolum Savreux, inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Capituli Bibliopolam;
In Atrio Templi Beatæ Mariæ, ſub inſigni trium Virtutum.

CIↃ. IↃC. LV.
Cum Priuilegio Regis, & Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

8. 12. E. 35

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO

DOMINO,

D. HIERONYMO BIGNONIO,

SVPREMI SENATVS PARISIENSIS

ADVOCATO REGIO:

F. Lucas Dacherius Benedictinus

S. P. D.

DVOLAT in ſinum tuum, VIR ILLVSTRISSIME, ſuâpte naturâ Veterum Scriptorum Spicilegium, *vt noſtro labore haud tenui, à ſqualore ſitûs vindicatum, ex tuo & amplexu obtineat ſecuritatem, & aſpectu optatam literatis vtilitatem conferat, eò iucundiorem, quò feliciùs à te mutuatam. Eccui enim ſi denuò mortalibus per ſemet affulgerent ſplendidiſſima illa anterioris ævi Lumina ſiſterent ſeſe, niſi antiquæ rei Arbitro, abſconditæ doctrinæ Oraculo? Num* Ionæ *Aurelianenſi Epiſcopo volupe non foret, ſuos* de Inſtitutione Laïcali Libros, *inquibus* Te quaſi in quo- Ionas in Præfat.

Digitized by Google

dam Speculo (*aiebat ipſe ad Comitem Mathfredum*) aſſiduè contemplari debeas , *Tibi conſecrare , qui candidiſſimum diſciplinæ Chriſtianæ Speculum es*, Probitatis Iuſtitiæque Documentum ? *Qui familiam ſapienter adeò & religiosè ordinas ac moderaris , eam vt quiſquis adierit , non vani ſplendoris domicilium; ſed genuinum pietatis Templum, Palæſtram ſcientiarum , virtutum Senatum mirabundus agnoſcat ac veneretur ; certò id ſibi de Te perſuaſus, quod de Paulini Senatoris familia ſcribit Auguſtinus* : Hanc Chriſti gloriam oculis noſtrorum hominum cupimus admoueri , in vno coniugio propoſita vtrique ſexui calcandæ ſuperbiæ , non deſperandæ perfectionis exempla. *Neutiquam prætereà flores aridо mundo partos , ſed quot Bignonij filios , tot fructus cælo dignos obſtupeſcat.* Ipſe namque es bonus pater , qui potes docere & formare in filijs Dominum IESVM. * Qui plus legem cæli , quàm mundi diſcere ſuades. *Vnde & paratam cæleſtis præmij lauream expectas , & in clariſſima ſobole tibimetipſi ſuperſtes , immortalem tui Nominis gloriam poſteritati commendas. Et Primogenitum quidem ſeptem & viginti annos vix natum, eâ religione , prudentiâ , facundiâ , legum peritiâ , tuo Regij Aduocati muneri fungendo paratiſſimum , conſtans fides eſt: Sed & eius germanum, abſolutâ feliciter linguarum Græcæ, Hebraicæ , Arabicæ , artiúmque liberalium , nec non Pontificii Regiíque iuris encyclopædiâ illuſtrem ſic ſuſpiciunt vniuerſi, quatenus vna Bignonii familia viros quibuſque , arduis licet acſummis , imperii Gallicani muniis pares mox atque expeditos ſit ſuppeditatura. Effuſàm verò in pauperes miſericordiam idcircò præterire compellitur ſtylus exilis , quia ſolidis vnius Chriſti laudibus & æternis præmiis compenſandam : quam* de vtero tecum egreſſam , & ab infantia

Voluſian. ad Aug. epiſt. 2,

Epiſt. 34.

Ambroſ. in Pſal. 43. poſt init.

* Ionas l. 1. c. 14.

Iob 31. 18.

creſcentem, *nec ipſe ille inficias ibit, qui nobili hacce virtute gloriabatur etiam* in ſordibus pulueris. *Siquidem* nec buccellam tuam comediſti ſolus, *ſed* comedit pupillus ex ea; *& in extremis nuper deſolatæ ciuitatis cladibus dignam non Chriſtiano tantùm, ſed Apoſtolico ore protuliſti ſententiam:* Non me condecet Chriſtianum, domi frumenta aſſeruare, quamdiu egere ac cruciari audio Filij Dei membra. *Hæc tamen talis ac tanta miſericordia, quæ multis ad perennem ſatis eſt futura mercedem, Tibi haud ſola eſt ad triumphum: etenim cum Pſalte Rege,* Miſericordiam Domino cantas & iudicium; *& cum illo Orientalium ſapientiſſimo Principe*, pauperem, cui non erat adiutor, *ſoles* liberare, ac molas iniqui conterens, de dentibus illius prædam auferre *non dubitas. Gratulabitur perinde* IONAS *noſter inuentum Te, cui familiariùs animi ſenſa ſui aperiat, non tanquam ignota extraneo, ſed tanquam domeſtica amico.*

Ibid. 7. 5. Ibid. 31. 17. Pſal. 88. Iob. 29. 17

CODEGRANDVS *quoque Metenſis Epiſcopus veſtigia Ionæ terens, Tibi* Regulam Canonicorum *apertis vlnis oblaturus accedit; vt per Te Clericis non ſecus ac πάγχρηστον è variis Sacræ Scripturæ, Patrúmque aromatis confectum, propinet; quò* ſe Clerus ab illicitis coërceat, vitioſa deponat, mala diu longéque vſurpata derelinquat: vt dum mens ab aſſuetis vitiis vacuatur, faciliùs bona & optima quæque ſunt, inſerantur. *Per Te, inquam, Patrum, præſertim veterum, Conciliorúmve lectione exercitatiſſimum; rei Eccleſiaſticæ peritiſſimum; ſolertiſſimum Eccleſiæ immunitatum Propugnatorem, ac Sacerdotum Religioſorúmque Deffenſorem conſtantiſſimum; vt meritò proinde queas vſurpare, etſi ratione diſpari, quod olim Arnulphus Imperator Patribus Concilii Triburienſis de ſe profitebatur.* Habetis me omni-

In Præfat. Regulæ. In Præfat. Conc. ſub med.

Digitized by Google

bus Ecclesiæ Christi aduersantibus, & vestro Sacerdotali ministerio renitentibus oppositissimum Bellatorem. *Quippe cùm in sermone quotidiano, tum in Senatu palam eâ quâ polles eloquentiâ osores, ac præfractos, si qui occurrant, confutas, confirmas probos, sepultas propè leges reuocas, quantum potes, ruenti in peius seculo temet opponis.*

Tertius properat Episcopus, ISIDORVS *Hispalensis; Téque, vti quondam Braulium, alloquitur:* Ecce Librum de Ordine creaturarum tibi compendioso sermone conscriptum exhibeo. Hunc igitur pectoris tui portu non dedignare, & trans garrientium instabiles fluctus timore tuæ Authoritatis, præsentis Opusculi nauiculam non pigeat gubernare. *Vtpote cui omnium scientiarum, disciplinarúmque ineſt cognitio; quas & acutè concipis, & appositè profers, & sapienter illustras: quem huius æui Varonem alterum, veriùs Hieronymum, consulunt Galli, suspiciunt Itali, Germani demirantur, venerantur & Hispani. Exorsus sanè es, SAPIENTISSIME BIGNONI, vbi desinunt eruditiores; in dolio figularem artem didicisti (vt fert adagium) quando antiquitatis nobile monumentum,* Marculphi Monachi veterum formularum Lib. II. *aliásque veteres formulas in flore iuuentutis edidisti, Notis adornasti. Tuæ hæc aurora literaturæ ad lucem meridianam, nempe ad perfectam vsque scientiarum notitiam, nullâ inertiæ nube interpositâ, continuato cursu peruenit. Quàm Tibi tum competebat illud Sapientis:* Cùm consummauerit homo tunc incipiet!

In epilogo.

Eccl. 18. 6.

RATRAMNVS *Corbeiensis ex Anglia in Galliam appulsus,* Libro de Natiuitate Christi *Patronum Te ambit; nec (quamuis lubrici nonnihil rudioribus præferre videatur) siniſtri quid sub tanto sidere lucem expauescit*

Digitized by Google

Immò felicem illum cuncti haud dubiè proclamabunt, cui contigit togæ præclarum decus habere Tutorem; quem animi generosi constantiâ, mentis fortissimæ vigore, ingenij prudentis efficaciâ præditum, antiquioris Theologiæ peritissimum omnes exosculantur, quin & sentiunt quod Volusianus Augustino scribens asserebat: Cùm ad te venitur, legi deest, quidquid contigerit ignorari. Augustin. epist. 2.

Supplices tandem adsunt SAN-BENIGNIANVS *ac* BESVENSIS ASCETÆ, *sua* CHRONICA (*propter studia partium, glisscentibus in dies odijs inflammata*) *quæ rerum nostrarum commentaria continent, recludunt multa antiquitatis monumenta, Pontificum, Regum, Procerúmque diplomata, & cartas propè innumeras, quæ anteà latuerant, atque ad Francorum historiæ cùm Sacræ, tum ciuilis illustrationem conferunt, vltrò nuncupãtes Tibi literarum Gloriæ; Diuini atque humani iuris Custodi; Regiæ dignitatis, legúmque Regni & linguâ facundissimâ, & scriptis non vulgari eruditione refertis acerrimo Propugnatori. Sibilent ac scriptitent, omnémque moueant lapidem in Reges Christianissimos perduelles, incassum vires exerunt, deartuentur necesse est, dum strenuissimus stat Bignonius, stabúntque Bignonij filij: testis egregius ille singularis tuæ eruditionis fœtus* de Regum nostrorum dignitate, *quem necdum fermè adolescentiæ annos egressus Henrico Magno consecrasti. Queis ingenij tui excellentissimis dotibus Ludouicus XIII. Fel. Mem. illectus, in Deum pietate, in Regem fide, iuuandæ Reipublicæ studio indefesso, legum peritiâ, antiqui Francorum iuris notitiâ, qui ad summas Regni dignitates euehereris Te dignum, ac* totius gloriæ capacem *adiudicauit. Et primò quidem in Amplioris Consilij, deinde in Supremi Senatus Parisiensis, Aduocati Regij munere auctum, atque à Sanctioribus consilijs, & à Bibliothe-* Volusian vbi sup.

cis Te voluit. Quæ ita præclarè munia gessisti, ac sustinuisti, vti nullius obtrectatoris æmulationem, immò verò admirationem & amorem Tibi comparaueris vniuersorum.

Perspicis, opinor, VIR ILLVSTRISSIME, quàm multis justísque nominibus adductus, Spicilegium *istud veterum Scriptorum tuis sub auspiciis euentilem: Quod equidem ego, tanquam obseruantiæ erga te meæ & grati animi symbolum, eâ qua soles comitate ac beneuolentia, abs Te susceptum iri spero, confido. E Monasterio S. Germani Parisiensis, duodecimo Cal. Decemb. M. DC. LIV.*

LECTORI

Digitized by Google

LECTORI.

SPICILEGII Tomum primum, jam pridem à nobis concinnatum, ecce tibi, LECTOR, tandem exhibemus. Erat ocyùs, ni bellorum turbines, calamitatésque remoram Typographis iniecissent, euulgandus. Quippe pluribus abhinc annis tum ego, tum & è nostris nonnulli temporis multùm & operæ in eruendis (è Monasteriorum Ordinis Benedictini ruderibus maximè) antiquis Scriptoribus, qui oculos, diligentiámque huiusce mercis exploratorum vix aufugerant, collocauimus. Tot enim ante nos Gallico in orbe CC. VV. insignésque illi Thuanus, Faber, Pithæus, Massonus, Petauius vterque Senator, Sirmundus, Puteani fratres, atque alij, quos onerosum foret enumerare, ditissimam adeò messem in horrea sua transtulêre, vt rarissimas tantùmodò spicas post se reliquerint. Qua de causa hancce nostram veterum Authorum Collectionem, SPICILEGIVM libuit inscribere. Suos in annos Authores haud digessi, verùm vt à me discussi in lucem prodibunt.

Primas itaque tenebunt IONÆ AVRELIANENSIS EPISCOPI DE INSTITVTIONE LAÏCALI LIBRI TRES. Aureum planè Opus, non à Laïcis modò, verùm ab ipsis potissimè qui Christi oues pascunt perpetuâ manu versandum. Eò enim vnicus Ionæ scopus, eò tota collimauit industria, vt excerpta Diuinæ Scripturæ, Sanctorúmque Patrum amœnitate præcipua (margini ea videbis à me indigitata) doctrinæ inde Christianæ mellitos succos more argumentosæ apis exprimeret; per ordinatas huius Operis partes velut aluearis proprij totidem fauos ac cellas distribueret; cordibus humanis medendis, fouendis, porrigeret. Vnicum mihi apographum, à quingentis circiter annis exscriptum, veteris Corbeiæ Bibliotheca suppeditauit. Porrò Antistes ille Episcopatum quàm religiosè, prudenter, ac doctè gerebat, præfulgebátque celebriores inter Galliæ Præsules, imperante Carolo Caluo. Opus hoc tribus Libris distinctum Matfredo Aurelianensi Comiti consecrauit: quâ verò id mente præstiterit, ad hunc ipsum Præfatione comperies. Plura re-

I. Ionæ Aurel. Lib. 3. de Instit. Laïcali.

Digitized by Google

conditæ doctrinæ elucubrauit Opera, quorum heîc nomenclaturam recenſere inſtituti mei non eſt. Lege ſi lubet inter alia, Annales Eccleſiæ Aurelian. ab Carolo Sauſſeyo Aureliano, pagina 313.

II. Codegrãdi Regula Canonicorum.

Inſtituta Laïcorum appoſitè ſubſequitur REGVLA CANONICORVM à Codegrando, ſiue Chrodogango (variant enim hanc vocem Scriptores) Metenſi Epiſcopo præſcripta: cuius ſin archetypum, vel apographum manu ſcriptum perantiquâ, iuris olim Fiſcanenſis Abbatiæ, nunc verò ditiſſimæ, quæ Rotomagi extat, Bibliothecæ C. V. Ioannis Bigot; ab Emerico filio, rei antiquæ ſtudioſiſſimo, maximâ fuit beneuolentiâ & humanitate communicatum: eius me dudum monuerat eruditus iuxtà ac pius Ioannes le Preuoſt, dum in humanis eſſet, Canonicus Eccleſiæ Rotomagenſis; quò nimirum eam publici iuris facerem. Næ ego Lanfranci Cantuarienſis Operum editione, cui meam tunc temporis operam impendebam, præpeditus, tanto Viro morem gerere nequiui; atque ad hæc vſque tempora ſuperſedere ſum coactus. Nullibi autem aliud veteris notæ exemplum, quod ſciam, reperire eſt.

Tanti fecêre hanc Codegrandi Regulam Patres Concilij Aquiſgranenſis anno partus ſalutiferi DCCCXVI. celebrati, vt quidquid ad Clericorum mores canonicè efformandos conduceret, ad ſua (ſuppreſſo licet nomine) decreta tranſtulerint: quod equidem innuere annotatiunculis marginalibus haud à me eſt prætermiſſum.

Adeò ipſi Codegrando altè menti ac memoriæ inſita fuerat Regula S. Benedicti [a] *Arctiſſimæ*, hoc eſt Euangelicæ, *vitæ Magiſtri* (verbis loquor Magni Gregorij) *ſummæ Veritatis diſcipuli*, vt verba illius, ſententias, periodos, quin etiam capitula identidem, Canonicis condendo leges ſua effecerit, tacito duntaxat Monachi (Clericis genio indulgentioribus ne moram afferret) Canonici nomen ſuppoſuit. Nec ſanè mirum, quippe quæ olim Diuino Numine inſpirata (ſed hominum vecordiâ ſuſque deque poſtmodum habita) Authoris tempeſtate impenſiùs colebatur, longè latéque propagabatur. Quò venerabilis Epiſcopus innuere videtur, ſic [b] *Iuſtorum* omnium *Spiritu plenum* Benedictum, vti Norma ipſius ceu [c] *Paruus* ille *fons, qui creuit in fluuium*, vniuerſam pòſt Occidentalem Eccleſiam

a S. Greg. l. 4. Reg. cap. 9.

b Idē Dialog. l. 2. cap. 8.

c Eſth. 10. 6.

Digitized by Google

variè aſperſerit, irrigaritque. Vnde & Diuinæ theoriæ, & muniis Eccleſiaſticis, & ſecularibus negotiis addicti, [d] *Aquam ſapientiæ ſalutaris*, [e] *ſalientem in vitam æternam*, affatim queant haurire. Lectori erudito notiora profero: ſonant iſthæc Concilia, ſonant Patres, ſonant Hiſtorici propè innumeri.

[d] Baron. an. 529. [d] Eccli. 15. 3. [e] Ioan. 4. 14.

Exinde verò, quòd ita in promptu ſanctam Regulam habuerit Codegrandus, conijci datur vel eam ſæpiſſimè triuiſſe, tenuiſſéque memoria, vel etiam ſodalitio Benedictino (cui ſententiæ calculum album quidam addunt Scriptores) nomen dediſſe. Argumentum hoc etſi ignaros Regulæ fortè non moueat, apud nos tamen eadem imbutos, magni ponderis eſt. Gallus vel Hiſpanus linguæ ſuæ idiotiſſimum facilè ſentit, quem exterus non aduertit, non penetrat: ita nos S. Benedicti ſtylus ac verba fallere non poſſunt. Vt vt ſit, eximiis eum laudibus compendio attollentem, déque Regula Canonicorum verba facientem, optimæ notæ Authorem ac ſupparem, Paulum VVarnefridnm, audiamus:

„ Iam hinc vir Egregius (*inquit ille*) & omnibus præconiis ef-
„ ferendus Chrodegangus Antiſtes eligitur; ex pago Haſba-
„ nienſi oriundus, patre Sigrammo, matre Landrada Franco-
„ rum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio
„ * Maioris Caroli ab ipſo enutritus, eiuſdémque Referenda-
„ rius extitit: ac demum Pippini Regis temporibus Pontifica-
„ le decus promeruit. Fuit autem omninò clariſſimus, omni-
„ que nobilitate coruſcus: formâ decorus, eloquio facundiſ-
„ ſimus, tam patrio quàm etiam Latino ſermone imbutus. Ser-
„ uorum Dei nutritor, orphanorum viduarúmque non ſolùm
„ altor, ſed & clementiſſimus tutor. Cúmque eſſet in omnibus
„ locuples, à Pippino Rege omníque Francorum cœtu ſingu-
„ lariter electus, Romam directus eſt: Stephanúmque vene-
„ rabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant, ad Gallias
„ euocauit. Hic Clerum adunauit, & ad inſtar Cœnobij intra
„ clauſtrorum ſepta conuerſari fecit, NORMAMQVE EIS IN-
„ STITVIT, qualiter in Eccleſia militare deberent: quibus an-
„ nonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, vt perituris
„ vacare negotiis non indigentes, diuinis ſolummodò officiis
„ excúbarent. Ipſúmque Clerum abundanter lege diuinâ, Ro-
„ manáque imbutum cantilenâ, morem atque ordinem Ro-

* Caroli Martelli.

„ manæ Eccleſiæ ſeruare præcepit. Quod vſque ad id tempus
„ in Metenſi Eccleſia factum minimè fuit. Hic fabricare iuſſit,
„ vnà cum adiutorio Pippini Regis, ſedem ſancti Stephani Pro-
„ tomartyris, & altare ipſius atque Cancellos, Preſbyterium,
„ arcúſque per gyrum. Similiter & in Eccleſia Beati Petri ma-
„ iore Preſbyterium fieri iuſſit. Conſtruxit etiam ambonem
„ auro argentóque decoratum, & arcus per gyrum throni ante
„ ipſum Altare. Ædificauit prætereà Monaſterium in Paro-
„ chia Beati Stephani in pago Moſellenſi in honore Beatiſſimi
„ Petri Apoſtoli, & ditauit illud opibus magnis, Monachóſque
„ ibi conſtituit, atque ſub Regula Sancti Patris Benedicti in
„ vna caritate coniunxit. Conſtruxit etiam alterum Monaſte-
„ rium quod Gorzia vocitatur, vbi pari modo non modicam
„ multitudinem adunauit Monachorum. Expetiit denique à
„ Paulo Romano Pontifice tria corpora Sanctorum Marty-
„ rum, id eſt, Beati Gorgonij, quod in Gorzia requieſcit; &
„ Beati Naboris, quod in Hilariaco monaſterio conditum eſt;
„ & Beati Nazarij, quod vltra fluuium Rhenum in Monaſte-
„ rio quod vocatur Lorishaim, ædificatà in honorem ipſius
„ Martyris miri decoris Baſilicâ, collocauit. Hoc ſiquidem præ-
„ dium Chilliſiuindis quondam Religioſa fœmina, & Cancro
„ eius filius, eidem Chrodegango Antiſtiti ad partem Beati
„ Stephani tradiderant. Fuit ſiquidem Beatus iſte vir in elee-
„ moſynis largus, in caritate puriſſimus, ſuſceptor hoſpitum
„ atque peregrinorum. Sed quoniam longum eſt bona quæ
„ geſſit, ex ordine retexere, ſatis ſit hæc pauca prælibaſſe de
„ plurimis. Hic conſecrauit Epiſcopos quàmplurimos per di-
„ uerſas ciuitates, Preſbyteros nihilominus ac Diaconos, cæ-
„ teróſque Eccleſiaſticos ordines, ſicut moris eſt Romanæ Ec-
„ cleſiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus Anni.
„ Rexit Eccleſiam Metenſem annis viginti tribus, menſibus
„ quinque, diebus quinque. Obijt pridie nonas Martias in die-
„ bus Pippini Regis. Requieſcit in Gorzia Monaſterio, quod
„ ipſe à fundamentis extruxit.

Huc vſque Paulus Diaconus, Fragmento de Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ, *Hiſt. Franc. Scriptorum Andreæ Ducheſne, to. 2. pag. 204.*

III. S. Isidori Hiſpalenſis Epiſcopi De Ordine creatvra-

Digitized by Google

RVM LIBER, rogatu Braulij Cæsaraugustanæ ciuitatis Episcopi editus, tertium sortitur in hoc Spicilegio locum. Eius quamquam Scriptorum Ecclesiasticorum Nomenclatores, tam veteres, quàm neoterici haud meminerint, stylum nihilosciùs Isidori ac mentem adeò in promptu mihi visus est præ se ferre, vt germanum illius fœtum existimauerim in dubium reuocare posse neminem. Codicem non procul ab Authoris æuo exaratum, è nobili nostro S. Remigij Remensis Archysterio emersum, nunc primùm publici iuris factum euulgamus. Celebrior est Isidorus, perfectissimum sanctitatis & omnigenæ eruditionis exemplar, quàm vt debeat penicilli mei rudibus lineis adumbrari. Iam dudum multis illum encomiis celebrarunt, Isidorus Pacensis in Chronico; Braulius ille, siue Braulio, in Prænotatione Libb. S. Isidori; Ildefonsus Toletanus, ac Sigibertus, de Scriptoribus Ecclesiasticis. Florebat Heraclii temporibus. S. Isidori Lib. De Ordine creaturarum.

At enim verba Titulo apposita silentio minimè sunt præterenda: BRAVLIO EPISCOPÒ VRBIS ROMÆ: quorum gratiâ elucidandorum addidi: *Hoc est, Cæsaraugustæ.* Hæsi, fateor: siquidem apud Scriptores Cæsaraugustam, Romam aliquando fuisse nuncupatam, nusquam licuit aduertere: ni fortè dixeris, quòd olim Romanorum coloniæ vrbem præcipuam vocitari Romam, quemadmodum Constantinopolim (etsi ratione dissimili) Imperatores, quadam prærogatiuâ appetiuerint Hispani. Nolim tamen hac in re coniecturis indulgere, sed perspicacioribus relinquens arbitrium, ad alia propero.

IV. Epistolæ diuersorum.

Epistolæ Cyricij seu Quiricij Barcilonensis, Ildefonsi Toletani, atque Idali Barcilonensis, Episcoporum, è locupletissimo quondam Corbeïens. Abbatiæ penu, cum blatis ac tineis rixantes à me vindicatæ, huic nostro Spicilegio accensentur.

V. Ratramni Opusculum.

Ratramni (alijs Bertramni) Corbeïensis Monachi Presbyteri Opusculum, DE EO QVÒD CHRISTVS DE VIRGINE NATVS EST, tot seculis in Anglia tenebris obsitum, in Galliâ demum non absque industria redux effeci. Ansam præbuit Vserius Armachanus, qui suæ Ratramnum labe hæreseos vt aspergeret, insibilat, ipsum panis substantiam Eucharistiæ Sacramento, Filij Dei in corpus transmutari, duobus quos eo de Sacramento libris conscripsit, ne quaquâ admittere: perperámque id Vserius

Digitized by Google

ſuadere conatur, GOTESCHALCI ET PRÆDESTINATIONIS CONTROVERSIÆ AB EO MOTÆ HISTORIA, *cap.* XI. *fine*, in hunc modum: *Inter Opuſcula eius* (Ratramni) *quæ ad Trithemij notitiam non peruenerunt, vnum eſt* DE NATIVITATE CHRISTI (*in quo eamdem quam in Libro de Corpore & Sanguine Domini tradidit, doctrinam propugnat*) *De anima alterum &c.*

Quàm porrò à vero aberret hæc aſſertio, probat ipſummet Opuſculum, cui erroris huiuſce ne verbuli quidem aut apicis veſtigium ineſt. Immò verò illi ipſi perduellium anteſignani Magdeburgenſes centur. 9. cap. de Doctrina, col. 212. paucis Vſerium refellunt: *Tranſſubſtantiationis habet ſemina Bertramus, vtitur enim vocabulis commutationis, & conuerſionis.* Et cap. 6. de Cæremoniis & Ritibus Eccleſiæ, col. 243. *Bertramus Lib. de Corpore & Sanguine oſtendit Corpus Domini & Sanguinem ſuper Altare ſeu Menſam poni, & inde populo diſtribui &c.*

Ratramnum doctè, luculentérque ab omni næuo aſſeruêre, Sixtus Senenſis Præfat. Bibliothecæ Sanctæ, Cardinalis Peronius, ac Præſes Mauguinus. Ille Lib. 2. Euch. c. 1. & 2. Iſte verò Hiſtoricæ & Chronicæ Diſſert. cap. 17. Literis ac famâ floruiſſe Ratramnum Ludouici Pij & Caroli Calui tempeſtate, fidem faciunt quas protulit elucubrationes.

Cæterùm quia in eam haud omnes eunt ſententiam (quamuis nominatæ authoritatis Patres* ſuffragentur) nempe eadem quâ cæteri mortales viâ è virginali vtero Chriſtum in lucem prodijſſe; animus fuerat Ratramno æqualem Paſchaſium Ratbertum, ipſúmque Corbeïenſem Archimandritam, opponere; ac prelo ipſius LIBROS DE PARTV VIRGINIS ſubijcere: jam eos reuolueram, iámque punctis, commatibus, & colis affixis, atque locis S. Scripturæ ac Patrum ad oras appoſitis, expenderam. Sed enim inter legendum, vbi Ildefonſi Toletani in Opera incidiſſem, eorumdem Librorum non ſenſum tantùm, ipſiſſima quoque verba ſtupens legi ac perlegi: anceps intereà Paſchaſióne, an Ildefonſo Libros aſcriberem. Paſchaſium, communi veterum, nouorúmque Scriptorum calculo eruditiſſimum, plagiarium inſimulabo? Aut certè Feuardentium cæterà virum doctum (cuius operâ prodiêre) hallucinatum, falsò Ildefonſi nomine Libros eoſdem vulgaſſe aſſeruero? Sanè remitto eruditorum iudicio: coniecturas duntaxat, cui potiùs tribuen-

* Tertul. lib. de Carne Chriſti cap. 4. & Aduerſus Marcionē lib. 14. cap. 21. Ieronymus aduerſus Heluid. ſub med. Aug. l. 2. de peccat. orig. cap. 40. & lib. 1. cont. Iul. c. 2. Beda in Luc. cap. 2. l. 1.

Digitized by Google

dum hoc Opus, in medium liceat adferre.

Editum à Feuardentio longè eſt noſtro Corbeïenſi prolixius, diuerſáque inſcribitur epigraphe, ſcilicet: *Contra eos qui diſputant de perpetua Virginitate S. Mariæ, & de eius parturitione.* Deinde à nectareo Ildefonſi ſtylo non ita diſcrepare, eiúſque cœleſtem ſapientiam redolere prima fronte videtur. Quâ fortaſſe coniectione deluſus Feuardentius, cernénſque aliis Ildefonſi lucubrationibus aſſutum illud Opus (quod fieri aſſolet) actutùm Ildefonſo adiudicandum non dubitauit.

Noſtrum verò habent bini Corbeïenſis Bibliothecæ diuerſa manu ſcripti codices, quibus Paſchaſij Ratberti nomen præfixum eſt. Eius item phraſim ac genium paſſim reſonat. Prętereà vt rem penitiùs inſpiciam ac diſcutiam, ecquis amabo te Scriptorum vel domeſticus, ſeu peregrinus hæreſim, quam refutat huiuſce Operis Author, Ildefonſi ſeculo agitatam, poſteris tradidit? Nullibi gentium. Aſt in Germania lites de partu Virginis, Paſchaſij æuo motas, perſpicuè docet Ratramnus Opuſculo *De Natiuitate Chriſti* [a]. Adde, quòd Hermannus Epiſtolâ Barthomæo Laudunenſi nuncupatâ [b], iuſſu illius Præſulis ſtudioſiùs à ſe vbique perquiſitos, tandem Catalaunenſi in vrbe repertos tranſcripſiſſe profitetur: quos tamen excudit Feuardentius, ſilentio premit. Ego pariter in id animum appuli, nec non laboris impendi haud parum; Bibliothecas adij, perluſtraui forulos, pluteóſque, vt Operis quo de agitur calamo exarati nobis fieret copia (námque Feuardentius quo ex codice exſcripſerit planè non aperuit) ac inde lucis nonnihil affulgeret veritati: ſed incaſſum egi.

[a] Cap. 1. p. 319.

[b] Videſis Operum Guiberti de Nogento pag. 526.

Poſtremò quæ Corbeïenſibus indita eſt codicibus Paſchaſio plurimùm fauet Præfatiuncula nuncupatoria hactenus inedita. Sic ſe habet:

DE PARTV B. MARIÆ VIRGINIS.

Tomi duo.

Venerabili Matronæ Chriſti vnà cum Sacris Virginibus
* Veſona degentibus, Paſchaſius Ratbertus
Monachorum omnium peripſema.

* f. Sueſſona, verbum anti-quatũ.

Quæſtionem, Chariſſimæ, DE PARTV B. MARIÆ VIR-

GINIS *mihi nuper allatam, vobis perſoluere decreui; quoniam vos eam plurimùm amare non ambigo: vt ex hoc ſciatis quantùm vos diligam, longè diu à puero veſter alumnus, multò jam ſenio confectus.*

Denique priúſquàm è tabula manum ſuſtollam, verbis ad Guiberti Nouigentini Opera Obſeruationum initio à me prolatis (quis enim omnia legiſſe, lectáque memoriâ tenere valeat) deletilem ſpongiam velim adhibeas: vbi videlicet antequam fragmentum Operis de Partu Virginis, à me Paſchaſio aſcripti, attexerem, ſubintuli: *Cúmque hactenus aurcum prorſus tanti viri Opus de Partu Virginis delituerit, donec à nobis publicum fiat &c.*

Atqui controuerſias de Chriſti naſcentis modo (velut ſupra notauimus) Paſchaſij temporibus emerſiſſe Lector agnoſcat, illo ex Opere (quod extat in Bibliotheca Patrum) pericopen vnam & alteram excidere, viſum eſt opportunum. Initio ita loquitur Author:

Nunc quorumdam Fratrum rurſus impudica quaſi percunctando laborat temeritas, decreui ad vos, Matronæ Chriſti, de his ſcribere, quæ ipſi curioſiùs contra eius pudicitiam conantur explorare, &c. Dicunt enim non aliter B. Virginem MARIAM *parere potuiſſe, neque aliter debuiſſe, quàm communi lege naturæ, & ſicut mos eſt omnium feminarum, vt vera natiuitas Chriſti dici poßit, aliàs autem, inquiunt, ſi non ita natus eſt, vt cæteri naſcuntur infantes, vera natiuitas non eſt; & ideò ne phantaſia putetur, aut ne ſicut aqua per alueum tranſiſſe, ita per vterum Virginis abſque naſcentis ordine credatur natus, pium eſt ſentire ſic eum lege naturæ natum fuiſſe, quomodò naſcuntur cæteri infantes, & eam ſic peperiſſe ſicut reliquæ pariunt mulieres. O cæca pietas quæ tam impiè ſentit de* MARIA *Virgine! & cæca præſumptio quæ tam impiè loquitur de Chriſto! non dico, quòd dicant Virginitatem amiſiſſe quæ neſciens virum Virgo concepit, virgo peperit, & virgo permanſit &c.*

Et paucis interiectis: *Conceptus eſt de Spiritu-ſancto, ex Virginea carne & natus homo verè, mox ex ipſa conceptione, ineffabili natiuitate Deus verus proceſsit & natus eſt homo. Quomodò igitur commune dicitur, quod eſt ineffabile? Vel quomodò non ſemper totus eſt verus Deus Chriſtus, quicumque ſine vero Deo nec conceptus eſt,*

Digitized by Google

est, nec natus? Et ideò sicut clausis visceribus iure creditur conceptus; ita omninò, & clausis utero natus.

VI. Isaaci Lingon. Epis. Epistola ad Ioannem Episcopum Pictau. de Canone Missæ.

Isaaci Lingonensis Episcopi prolixam quidem sed non inerudità in Canonem Missæ Epistolam, ex Corbeïensi item codice emittimus. De Isaaco nil est quod in præsentiarum afferam; ipsum siquidem Chronicorum San-benigniani ac Besuensis Authores [redacted] passim efferunt encomiis abundè multis. Vide sis pag. 411. & seq. 515. & seq. Multos Codex ille Tractatus de Ritibus Ecclesiæ continet; quos inter *Magistri Roberti Paululi de Officijs Ecclesiasticis Lib. 3.* Paululum Ambianensis Ecclesiæ Clericum extitisse docent Cartæ Corbeïensis Abbatiæ, an. 1174. vbi cum aliis è Clero Ambian. & Attrebat. Paulus subscripsit. Iterum anno 1179. his verbis: *Magister Paulus Minister Episcopi Ambianens.* Ac tandem an. 1186. vnà cum Episcopo suo Cartam laudauit. Quod ideò notauerim, vt scias, Lector, libros eosdem repetitis editionibus Hugonis Victorini Operibus intextos fuisse; nimirum *Eruditionis Theologicæ Libris.* Vtri fœtus ipse fuerit suppositus, discusserint quorum interest.

VII. Chronica S. Benigni, & Besuense.

Supereſt, quid ſtudij & operæ San-benigniano ac Beſuenſi Chronicis pręſtiterim, nunc aperiam. Cùm ante bina fermè luſtra, S. Benigni Diuionenſis Chronicon è Bibliotheca Regia commodaſſet Clariſſimus Vir Petrus Puteanus, ſubierat animo publicam in lucem Opus vendicare; nec deerat characterum elegantia, quæ ad lectionem proliceret; at reuoluenti ac propiùs inſpicienti tantæ ſcriptionis ſalebræ occurrerant, verbis pars inuerſis, pars mutilis, pars omninò abſumptis, vt actuario primam pingendi, ſcribendi poſtremam fuiſſe curam crediderim. Hinc diſcedendi à priore conſilio neceſſitas. Poſteà verò quàm San-benignianum Cœnobium Congregationis S. Mauri diſciplinam induerat, me conuenêre viri docti complures, vt autographum, quo potiebatur eadem Abbatia, Pariſios mittendum, publicùmque faciendum curarem; vt pote tot annis obliuione ſepultum, doctis inuiſum: nunc autem ab iis ardenter expetitum, qui Gallicis rebus illuſtrandis tanquam pro aris ac focis decertanteis, oleum & operam impendunt; quin ne hi ſolùm, ſed harioli illi mercenario calamo, ſtylo calamiſtrato, vt regni jus hæreditariſi (quod Salicam legem vocitant) caligine offuſum, è medio tollere at-

***

tentarent, in ſubſidium Chronicon iſtud, velut & Beſuenſe, nixu temerario non erubuerunt aduocare, (id legenti, quàm fauet nihil vtrumque, patebit.) His proinde quaſi calcaribus inſtimulatus, continuò literas ſemel atque iterum, ac tertiò Diuionem, quò ad me autographum illud tranſmitteretur, direxi. Interim quam præſcieram interiecta mora eſt; ſcilicet inſtar theſauri, antiquitatis monumentum iſthoc Vir Illuſtriſſimus D. De Caſtille, Abbas Commendatarius S. Benigni, reconditum habens, è muſæolo diſtrahi, extrahíue extra regionem, ægrè ferebat. Verumtamen ipſe ſingulari comitate præditus, rei literariæ ſeu bono publico nolens inuidere, vltrò conceſſit San-benigniano Cœnobitæ Domno Claudio Bretaigne, è noſtra Congregatione Preſbytero Theologo, qui maximâ curâ, ſummâ diligentiâ, exemplar ex mendoſo Bibliothecæ Regiæ excerptum, à ſe, vti rogaueram, collatum ad archetypum, ſuóque nitori reſtitutum, quantocyùs Pariſios remiſit: quod ego morâ procul, adiectis priùs margini variis lectionibus, coniecturíſque, typographicæ officinæ intuli.

Nec abs re fuerit, totidem verbis ac ſyllabis & San-benignianí & Beſuenſis Chronicorum Authores ſuam Gallicarum rerum hiſtoriam texuiſſe, ipſa Præfatione Lector aduertas, (nam huiuſcemodi Chronica cothurni mihi viſi ſunt, vtrique pedum apti) quò vel vmbrâ coniecturarum, Authorem primigenium queas obſeruare. Igitur ex ſubiectis Chronico Beſuenſi pag. 658. perſpicuum habetur Ioannem Monachum (Secretarius appellatur pag. 640.) eſſe rerum Beſuenſium Commentarij conditorem: videlicet ex Epitaphio, & librorum, ſtudio Ioannis deſcriptorum, indiculo. Epitaphij hæc ſunt verba:

Omnibus oſtendit Monachi pia cura Ioannis, &c.

Et in fine Indiculi: *Iſtum etiam Librum de diuerſis rebus & cartis compoſuit.* Viden non cartarum modò, diuerſarum quoque rerum concinnatorem prædicari? Num *diuerſis rebus* hiſtoria cùm domeſtica, tum Gallica inſinuatur? Fauent profectò verba Ioanni. Nihilominus ſcrupulum ingerit San-benignianus, qui ſeſe ætate haud ita obſcurè Ioannem præceſſiſſe oſtendit: namque ad obitum Halinardi, ex Abbate Archiepiſcopi Lugdunenſis, Chronicon tantummodò perduxit, hoc eſt annum 1052. Ioannes verò quæ Beſuenſi Aſceterio Guillenci Lingonenſis Epiſ.

Digitized by Google

copi, necnon Ioffredi Beſuenſis Archimandritæ annis plus minus 1129. & 1135. fuêre collata, deſcribit (quæ enim Epitaphium chartæ ſubſequuntur permixtim ſunt ſuperadditæ) atque in hoc Abbate colophonem imponit. At de his ſat ſuperque: Eiuſcemodi litem protelare neceſſum minimè eſt; quandoquidem inficias neutiquam jerim, quod Hiſtoriam ſpectat ſecularem, de Gregorij Turonenſis ac Fredegarij Hiſtoriis, ad verbum ſæpiuſculè Chronicorum Authores expreſſiſſe.

Chronici Beſuenſis autographo (ni fallor) in Bibliotheca Regia aſſeruato, vſus fui; à cuius contextu vel latum vnguem diſcedere mihi religio fuit: quidquid enim memoriæ occurrit corrigendum, ac notatu dignum, eo marginem ornaui. Et ne bilem vel nauſeam Lectori ſubinde cierent in Beſuenſi repetita, his expunctis ad San-benignianum Chronicon, indigitatâ paginâ, amandaui: illa nihiloſecius quæ ad maiorem hiſtoriæ Gallicæ illuſtrationem conducerent, ſeu gloriæ Regis, ſeu iuri aduerſantes plurimum exagitarent, quæue alioquin hiſtoriæ filum abrumperent, operæ pretium duxi recudenda.

San-benigniano Chronico Appendicem, quam Author proximo ſeculo conſcripſit, ingratam fore Lectori, ſi adderem, non putaui. Plura quoque antiquitatis monumenta, vtrumque ad illuſtrandum Chronicon, ingerere conſilium fuerat, verùm id oneris in humeros Sodalium meorum qui contexendæ eorumdem Monaſteriorum hiſtoriæ nauaturi ſunt operam, depoſui.

Ea ſunt, Lector Beneuole, quæ de antiquis Scriptoribus è tenebris nunc primùm erutis, proloquenda iudicaui. His, dum alia, Chriſto fauente, paramus, fruere, & Vale.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. SVPERIORIS GENERALIS.

EGo infra ſcriptus humilis Superior Generalis Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti, facultatem concedo Domno Lucæ D'Acherio Monacho Preſbytero eiuſdem Congregationis, typis mandandi Librum, cui titulus eſt, *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, ſuperſunt, Spicilegium.* In cuius rei fidem has ei Literas manu mea ſubſcriptas dedi Pariſijs in Monaſterio S. Germani à Pratis die 19. Martij 1654.

F. IOANNES HAREL.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ne quis in Regno ſuo, aliiſque locis ſuæ ditioni ſubiectis, Librum, cui titulus: IONÆ *Aurelianenſis Epiſcopi De Inſtitutione Laïcali Libri III.* abſque D. Lucæ D'Acherij conſenſu, aut eorum quibus permiſerit intra nouem annos imprimat aut diuendat. Si quis ſecus fecerit, mulcta indicta, prout in Diplomate ampliùs continetur. Lutetiæ Pariſiorum die 24. Februarij 1653.

Sic Signatum.

De Mandato Regis.
LE COQ.

Conceſſio indulti Priuilegij.

PRæfatus D. Lucas D'Acherius conceſſit Carolo Savreux Bibliopolæ Pariſienſi, vti indulto Priuilegio ad nouem annos. Pariſiis in Abbatia S. Germani à Pratis, die 10. Martij 1654.

Sic ſignatum: F. LVCAS D'ACHERY.

Prima editio abſoluta fuit die 12. Decemb. 1654.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, præsertim Theologicarum ac Moralium.

A

Abstineat à licitis qui illicita commisit, 25. 26
Abstinentia quæ vera, 29. & seq.
Accidia quod vitium, 161
Ada hæreditas ex eius peccato qualis, 10
In Adamo quæ mala contraximus, & quæ bona amisimus, 11
Adam eripuit paradisum, Christus donauit cœlum, ibid.
Altaria legis antiquæ, moraliter, 347
Aër quid 282
Adulter. Adulterium, 89. & seq.
S. Ambrosij laudes, 331
Angelus vnicuique est deputatus, 177
Angelorum nouem ordines 270
Vniuscuiusque officium, 271
Angeli qui peccauerũt in cœlo Deum non viderunt, & quare, 304
Anima quanti facienda, 135
An ex nihilo, an ex materia illam creauit Deus, 305
Apostolorum vitam qui imitantur iudices futuri in extremo iudicio, 196
Aquæ super firmamentum, 273
Quare inibi, 274
Aquarum natura, 288
Archidiaconi munus, 214
Arrogantia. V. Vana gloria.
S. Athanasius commendatur, 349
Auaritia quomodò dignoscatur, 160
Auaritia seu tenacia culpatur, 172
S. Augustini encomium, 314

B

Baptismo ad vitæ p uritatemastringitur Christianus 11. & seq.
Baptismus quanta bona conferat, ibid. & 14
Baptismata in veteri testamento diuersa, vnum in nouo, 15. & seq.
Baptismus Ioannis qualis, ibid.
Christi longè præstantior, 16
Varia baptismata, ibid.
Patrini quos de sacro fonte suscipiunt verbis & exemplis ad meliora prouocare debent, 19
In primordio Ecclesiæ priùs instruebantur baptisandi, 23
Quare nunc Patrini, ibid.
Quia baptismus non iteratur, pœnitentia secundus est baptismus, 24
Beatitudo electorum quanta in cœlis, 290. & seq. 304
Quomodo ad eam peruenitur, 201. 202
Bedæ Venerab. encomium, 336
Braulius Cæsaraugustæ Episcopus, 268, 306

C

Caritas erga proximum, 101. 143. 145. 168
Castitatem qui violant? 82. & seq.
Cenodoxia quodnam peccatum, 162
Cœli spatium superius, 279
Paradisus, ibid. & seq.
Canonicorum regula, 205
Canonici humilitatem præ se ferant, 207

Nil ſuperflui poſſidere debent, ſed neceſſaria exigere, 209
Non diuitiarum ſectatores, 211
Æqualiter cibum & potum accipiant, 212
Menſura, ibid.
Coquinæ inſeruiant, 213
Qui excuſentur ab hoc miniſterio, ibid.
Cellerarius Canonicorum, 215
Eorum famuli quî erudiantur, 215
Canonici in Clauſtris degant, 216
Officinæ Canonicorum, 217
Eorum exercitia, ibid. 218. 222. 248.
Honeſtè in Eccleſia ſe gerant, 218. 225
Officia diuina noctu à Clericis perſoluenda, ibid. & ſeq.
De horis diurni officii, 220. & ſeq.
Confeſſiones in Capitulo viciſſim faciendæ, 220
In Capitulum quotidie quare conuenire debeant, ibid.
Opus manuum exerceant, 222
Quid agendum poſt completoriũ, 223 242
Horas canonicas obſeruent, 224
Non pompaticè ſtent in Eccleſia, 225
Quomodo pſallendum, 224
Secularibus negotiis ſeſe non immiſceant, 225
In itinere horas diuini officii perſoluant, ibid.
Canonici dum delinquunt, quî ſatisfaciant, 226. & ſeq.
Variæ eorum culpæ, ibid.
In confeſſione peccatorum quomodo ſe gerant, 228
Quando debeant excommunicationi ſubiici, 230
De obſeruationibus eorum quadrageſimæ tempore, 231
Tempus & modus cibi ſumendi, 232
Infirmorum Canonic. cura, 234
Veſtimenta & calceamenta, 235
Oblatis pro Miſſa, ſiue confeſſione quî vtantur, 235
Quanta animarum cura à Clericis impendenda, 236
Eleemoſynis ſtudeant, ibid.
De pueris inſtituendis ab clericis, 239
Cantorum munus, 240
Lectorum 241
Correctionis modus, 242
Cucullas Monachorum non induant, 244
Quales Canonicorum veſtes, 245
Familiaritatem mulierum deuitẽt, 247
Mulieres habitationes eorum non ingrediantur, ibid.
Pœnitentiæ & humilitati ſtudere debent, 248
Taciturnitati, 250
Ebrietas fugienda, ibid.
Transformationes dæmonum caueãt, 266
Cantorum munus, 240
Chriſtus quid nobis contulerit, 11. 295
Chriſti gratiâ ſaluamur, ibid.
Chriſti reſurrectio quid denotat, 296
Chriſtus an ſicut cæteri naſci debuit, 319. & ſeq.
In Germania de natiuitate Chriſti errores, ibid.
Confutantur, ibid.
Vnigenitus & primogenitus fuit, 337
Chriſtianus quis, 143
Chriſtianus quibus virtutibus per baptiſmum ornari teneatur, 13. 54. & ſeq.
Pacti quod cum Deo fecêre Chriſtiani meminiſſe debent, 14
Chriſtiani pro vniuſcuiuſque captu docendi, 22
Grauiùs punientur, quàm gentiles, ni probè vixerint, 51
Chriſtianorum propinquitas carnali

Digitized by Google

præponderanda, 318
Clauſtra Clericorum munienda, 216
Clerici ſecularibus ſeſe negotiis non immiſceant, 225
Clerici etymon, 252
Eorum regulæ, ibid.
Diuerſa Clericorum genera, 253
Clerici nuptialia conuiuia vitent, 254
Abſque literis commendatitiis non admitendi, 259
Optima Clericis documenta, ibid.
Clerici delinquentes quomodò pœnis afficiantur, 266
Codegrandus. V. Crodegandus.
Cogitationes immundæ ſunt cauendæ, 46
Cogitationũ illicitarum diabolus non author, ſed incentor, 47
Completum, ſiue completorium, 223. 242
Compunctio peruerſos corrigit, 348
Confeſſarij periti ſunt quærendi, 28
Imperiti, & qui molliter agunt, quantum nocent, ibid.
Eorum arbitrio imponuntur pœnitentiæ, 26. 31
Diuerſimodè ab eis imponendæ, 42
Confeßionis peccatorum formula & ritus, 228
Pro Confeſſione oblatis quomodo vtendum, 235. & 236
Confeſſionis veræ indicia, 45
Confeſſio peccatorum quare Sacerdoti fiat, 42
Confeſſionis vtilitas, 43. 46
Deo quotidiana eſſe debet, ibid.
Maiora peccata Sacerdoti, leuia alterutrum ſunt confitenda, 44
Sacerdoti non ſunt celanda peccata, ibid. 45
Confeſſionem viciſsim Clerici in Capitulo faciant, 220
Confirmationis Sacramentum quàm neceſſarium, 20
Solus miniſter Epiſcopus, ibid.
Coniugium à Deo inſtitutum, 62
Quî appetendum, ibid. & ſeq.
De coniugio plura, ibid.
Quæ vir vxori, & viro vxor impendere debeant, ibid. & ſeq.
Coniugati paſtorale officium exerceant, 97
Conſcientiam antequam lecto accubueris examinato, 41
Contemplatio directos erigit, 348
Conuerſio à peccatis ad Deum minimè eſt differenda, 24. & ſeq.
Conuerſus ad Deum, & auerſus à Deo, qui, 37. 36
Conuitijs non vacandum, 165
Correctio fraterna, 49
Quî à Prælatis & Sacerdot. facienda, 50
Correptionis modus, 242
Corporis partes quando deturpantur, 322
Corpus Chriſti. V. Euchariſtia.
Creauit Deus quædam ex nihilo, quædam ex ſubiacente materia, 305
Crodegaudus Metenſ. Epiſc. quo tempore regulam Canonic. ſcripſerit, 205
Quare? 206
Quibus vſus eſt? ibid.
De Crodegando plura in proloquio ad lectorem.
Curioſitas quodnam peccatum, 140
Ab ea Chriſtiani abhorrere debent, ibid.
Curio. V. Sacerdos Parochus.

D

Dæmonum transformationes cauendæ, 266
Decimæ ſoluendæ, 106
Culpantur Laici, maximè nobiles, qui eas retinent, 107, & ſeq.
Quibus competit decimarum diſpenſatio, ibid.

Digitized by Google

Decimarum diuiſio quos attinet, 257
Detractiones ſunt cauendæ, 163
Quàm graue peccatum, ibid. & ſeq.
Deuotio correctos dirigit, 348
Deus vnus in ſubſtantia, trinus in perſonis probatur, 268
De eius attributis ac perfectionibus, 269
Deum non viderunt Angeli qui peccauerunt, neque homines in paradiſo, 304
Quædam ex nihilo, quædam ex materia creauit, 305
Diabolus quomodò tentat hominem, & quid poſsit in ipſum, 47
Diaboli ante lapſum vbi habitabant? 280
De eorum natura, 284
Quare peccati remiſſionem non merentur, 285
Quanta eorum miſeria, 286
Diſcordiæ quantùm Deo diſpliceant, 101. & ſeq.
Diſcretio Prælatis neceſſaria, 209
Doctores virtutibus ornari debẽt, 249
Doctrinæ diſcretione, 264
Doctores hypocritæ cui comparantur, 265
Doctrina variè tradenda; & quare, 22. 264

E

Ebrietas fugienda, 250
Quæ ex ebrietate mala oriuntur, 251
Eccleſia Chriſti ſalutaris diſciplinæ domus, 22
Eccleſiæ orationis gratia ſæpiùs frequentandæ, 31
Quàm modeſtè ac reuerenter ſeſe gerere debent Chriſtiani in Eccleſia, 33. 37.
Attentè in ea orandum, 37
Lectiones in Eccleſia audiendæ, 38
Eleemoſyna eroganda, 57. & ſeq. 168. & ſeq.
A ſeipſo eleemoſyna incipienda, 170
Quis in eleemoſyna modus ſeruandus, 169. & ſeq.
Tenacia culpatur, 172
Epiſcopi pauperum curam maximam habeant, 236
Optima Epiſcopo documenta, 262
Turpi lucro deſeruire non debent, 347
Præſertim in collatione ordinum, ſeu beneficiorum, ibid.
V. Prælati.
Euchariſtia ſæpiùs frequentanda, 103. & ſeq.
Quomodo, 101. 103
Qui ad eam accedit inuidiam à ſe propellat, 158
Quare pane & vino conficitur, 349
Chriſto in altari quid offerendum, 350
Diuina virtute fit corpus Chriſti, 351
V. Miſſa.
Examinanda conſcientia antequam lecto accubueris, 41
Excommunicandi modus, 230
Extrema vnctio infirmis impendenda, 180
Seculares etiam poſsũt vngere, 181. 255

F

Feſtini dies præcipui Codegrandi Met. Epiſc. tempore, 256
Fides ſine operibus inanis, 55. & ſeq.
Filij parentes honore proſequantur, 95
Firmamentum cœli quale, 275
Supra ignem conſtitutum, 276
Formaticum quid, 212
Fornicatio. V. Luxuria, 159

G

Gratiâ Chriſti ſaluamur, 11
S. Gregorius Papa laudatur, 335

H

S. Hieronymus laudibus extollitur, 338. &,

Digitized by Google

S. Hilarius. 335
Homo conſtitutus in pâradiſo, quare 292. & ſeq.
Deum non vidit antequam peccaret, 304
De quo arbore primus homo fructum comedit, 294
Quid mortem ipſi attulit. ibid.
Hominum natura poſt peccatum, 297
Horæ diuini officii in Eccleſia perſoluendi, 220. & ſeq.
Quid in eis decantandum, & ritus, ibid.
In itinere officium diuinum non negligant Clerici, 225
Hoſpitalitas Chriſtianis amplectenda, 142
Qualiter, ibid. 143
Humanum genus quare redemptionem promeruit, 285
Humilitatis virtus quanta, 147
Quæ vera, 148
In humilitate Chriſtus, in ſuperbia diabolus, 207
Hypocritæ cui comparantur, 265

I

Ignis ſupra aërem, 276
S. Ildefonſus laudatur, 308. 311
Summam animi demiſsionem ipſe indigitat, 310. 312
Eius in Chriſtum amor, 313
Inceſtus quid, &c. 81. & ſeq.
Inferni ſupplicia quam grauia, 197. & ſeq. 198
Quare infinita, 198
Ante oculos mentis ſæpiùs adducenda, 199
Infirmi viſitandi, iuuandique, 178
Abhac lege non eximuntur diuites, 179
Oleo ſancto vngendi, 180
A quibus? 181. 255
Inimicis iniuria eſt remittenda, 101. & ſeq. 155
Diligendi, 145. 151
Iniuriâ proximus non afficiendus, 165
Inuidia quare fugienda, 155. & ſeq.
Quomodo dignoſcatur, ibid. 160
Inuidia ex ſuperbia oritur, 157
Ira, peſſimum vitium, 160. & ſeq.
Ex ira multa peccata, 161
Iræ gradus, 165
Iudices quomodo ſe gerere debeant, 125. & ſeq.
Iudicium iuſtum Chriſtianis amplectendum, 125
Quibus peruertitur iudicium, 118. 119
Iudicium extremum ſæpiùs ob oculos ponendum, 192
Quatuor ordines in die iudicij, 195
Qui iudicant, ibid.
Qui iudicantur, & qui minimè, ibid. & ſeq.
Qui Apoſtolicam vitam agunt, iudices futuri, 196
Iulianus Toletanus lib. prænotatum Prognoſticon ſcripſit 314. 316
Quanti faciendus lib. iſte, ibid.
Iuſiurandum Chriſtianis prohibetur, 129. & ſeq.
Quare, ibid. & 133
A falſo teſtimonio cauendum, 134

L

Lectioni quómodo vacandum, 38
Lectorum munus, 241
Linguæ refrænanda, 163. & ſeq. 167
Luna in firmamento cœli, 277
Ante hominis peccatum multò lucidior, ibid.
Maiori lumine decorabitur poſt mundi conſummationem, ibid.
Vnde lunæ incrementa & decrementa, 278
Luſus quis prohibetur, 124
Luxuria, & quæ ad eam pertinent, 81. & ſeq. 160

M

Maledictio abhorrenda, 165

Maledictio vitanda, 165
Mare. V. Oceanus.
B. MARIA ſemper virgo permanſit, 321
Spiritus S. eam ab omni contagio ſanctificauit, 322
Matrimonium. V. Coniugium, & Coniugati
Matutinæ preces. V. Vigiliæ, & Officia diuina.
Matutina, quid, 220
Mendacium quàm graue peccatum, 157
Quot genera, ibid.
Miſericordiæ opera commendantur, 168. & ſeq.
Tenacia peccatum, 172
Miſſæ priuatis in ædibus non faciendæ, 33. 34
Oblatis pro Miſsis quî vtantur Sacerdotes, 235. & ſeq.
Oblationes in domibus fieri prohibetur, 256
Miſſam ſolus celebrare non debet, 257
Miſſæ Canon explicatur, 345
Tres actiones præcipuæ, 346
Tropologica earum explicatio, 352
Mortis conſideratio ad vitæ emendationem prouocat, 25
Quàm vtilis, 174
Mortui ſepeliendi; & cura pro eis gerenda, 181. & ſeq.
Quare? ibid.
Mortificationi carnis & ſpiritûs incumbendum, 29
Mulierum familiaritas à Clericis deuitanda, 247
Munerum acceptio vitãda, 125. & ſeq.

N

Nyctages, hoc eſt, ſomniculoſi hæretici, 219

O

Oblationes in domibus non offerantur, 256
Oceani natura & curſus, 289
Æſtuatio, &c. ibid.
Odium cauendum, 153
Officium diuinum ab Clericis perſoluendum, 218. & ſeq.
Opera bona ad ſalutem neceſſaria, 51, & ſeq.
Bonis operibus cur vacandum, 177
His beatitudo acquiritur, 202
A Deo omne bonum ſperandum, 260
Opera mala, quæ, 229
Orandum in Eccleſiis, 31. & ſeq.
Oratio pura ſit, 34
Orationi inſiſtendum, ibid.
Oratio lectione præſtantior, 35
Orationis vtilitates, ibid.
Orationi iungendum opus, 36
Oratio vbique fundenda, 40
Oratio ſerotina antequam cubitum vadas qualis eſſe debet, 41
Orbis ſitus deſcribitur, 295
Originalis peccati origo 9
Omnes ex eo humanæ miſeriæ & mors, 10
Otioſitas multa vitia gignit, 161
Otioſi ſermones cauendi, 165

P

Paradiſi deſcriptio, 292
In eo hominem quò beatè viueret, conſtituerat Deus, 293
Parentes quam piè liberos erudire teneantur, 91. & ſeq.
Parentes filii honore proſequantur, 95
Paruuli Chriſtianis diſciplinis ſunt imbuendi, 22
Patientia vera, 148. & ſeq.
Quibus modis exercetur, 151
Patrini quos de ſacro fonte ſuſcipiunt verbis & exẽplis inſtruere debent, 19
Fide iuſſores eorum ſunt apud Deum, ibid.
Patrini quare aduocantur, 23
Pauperes alendi, ac honorandi, 118, & ſeq.

Digitized by Google

Damnantur qui eos negligunt, ibid. & 121
Pauper pro Chriſto effectus, iudex cum eo futurus eſt, 196
Pauperes à Prælatis recreandi, 236
Peccantium diuerſitas, & locus pœnarum, 298
Diuerſimodè puniẽtur, 299
Peccatorum ſeptem remiſsiones, 17
Quare ſeptem, 18
Septima laborioſa, ibid.
Vide etiam Confeſsio & Pœnitentia.
Peccata quibus modis purgantur, 46
Peccatum quot modis perpetratur, ibid. & ſeq.
Aliena ſunt tegenda, 49
Quando prodenda, ibid.
Peccatorum lethalium deſcriptio, 159
Quot ſunt, ibid.
Quare mortalia ſine fine puniantur, 198
Peccatum quantas homini miſerias attulit, 297
Peccati puniendi locus, 298
Piſcium quot genera 290
Præsbyter. V. Sacerdos.
Pœnitentia tertium genus baptiſmi, 16
Chriſtianis in peccata prolapſis pœnitentiæ neceſſitas incumbit, 17
Pœnitentiâ remiſſio peccatorum, 18
Pœnitentia quare ſecundus baptiſmus, 24
Pœnitentia non procraſtinanda, 25. 174
Quæ vera pœnitentia, 25
Pœnitentiæ modus & differentia, 26
In arbitrio Sacerdotum conſtituitur modus & tempus, ibid.
Perrari qui canonicam agunt pœnitentiam, 27
Quare in cinere & cilicio, ibid.
Quid vtrumque denotet, ibid.
Publica pœnitẽtia quare impoſita, ib.
Hanc non imponere, ſiue ſeueram, quam nociuum, ibid.
Cur publica indicenda, 28
Pœnitentia diuerſimodè imponenda, 42
Pœnitentium reconciliationis ordo, 227. 228. & ſeq.
Confeſſionis formula, ibid.
Quæ à pœnitente in Confeſſione requirenda, 229
Pœnitentes in extremo vitæ termino, an remiſſionem peccatorum accipiunt, 303
An igne purgatorij eorum delicta delebuntur, ibid.
Pœnitentia, ſiue compunctio, ſacrificium eſt, 348
Portarius Clericorum probatæ vitæ eſſe conuenit, 216
Præcepta Dei quare lata, 145
Prælati curam pauperum habeãt, 236
Hoſpitium ad hoc curent ædificandum, 237
Vice Prælatorum qui funguntur, 238
Geminam paſionem ſubditis impendant, 246
Doctrina & virtutibus præcellere debent, 249
Optima Prælatis documenta, 259 & ſeq. 262
Doctrinam eius diſcretam eſſe conuenit, 264
Cui comparantur hypocritæ, 265
Præpoſiti munus, 214. 237
Qui ſunt præpoſiti cenſendi, 237
Primogenitum inter & vnigenitum quid intereſt, 337
Primitiarius, 214
Pſallendi modus, 224
Puerorum inſtitutio, qualis, 239
Purgatorij ignis, 300
Purgatoriũ eſſe probatur, ibid. & ſeq.
Qui purgandi ſunt, ibid.
An qui in vitæ termino pœnitent, 303

R

Raca, inanis & vacuus, 165
Reproborum æterna ſupplicia, 197
Reſurrectio mortuorum probatur, 187
Reſurrectio Chriſti quid denotat, 296

S

Sacerdotium per ambitionem minimè appetendum, 254
Sacerdotis arbitrio modus & tempus pœnitentiæ conſtituta, 26. & ſeq.
Sacerdos, Angelus, 98
Honore Laïci proſequi debent Sacerdotes, 112
Eis ineſt poteſtas ligandi ac ſoluendi, 116
Illorum monitis aſſurgendum, ibid, & ſeq.
Sacerdotes peccantes quî puniantur, 254
Sacerdos parochus vnam habeat Eccleſiam, ibid.
Quando remouendus ab officio, 255
Nõ indiſcretè per diuerſa mitättur, 257
Expellendi, aut conſtituendi non ſunt inconſulto Epiſcopo, 258
Qui libri ſunt ipſis neceſſarij, 258
Optima Sacerdot. documenta, 260
Sacramentorum effectus, 349
Sacrificia quæ Deo accepta, 101
Priùs offenſæ proximo remittendæ, quàm offeras, ibid.
Quare pane & vino ſacrificium offertur, 349
Quid Chriſto in altari offerre debeamus, 350
Sacrificia tria, Pœnitentiæ, iuſtitiæ, intelligentiæ, 348
Scripturæ diuinę theſaurus magnus 23
Quî perſcrutandus, ibid.
Tribus modis intelligenda, 292
Sermones otioſi. V. Otioſitas, & 165
Turpiloquium & ſcurrilitas Chriſtianis inhibentur, 167
Silentium commendatur, 250
Sol in firmamento cæli, 277
Ante hominis peccatum multò lucidior, ibid.
Poſt mundi conſummationem maiori lumine decorabitur, ibid.
Sponſi & ſponſæ benedictionis ritus, 256
Quid vterque agere debeat, ibid.
Superbi culpantur, 118
Superbiæ deſcriptio, 152. & ſeq.
Superbia gignit inuidiam, 157
Quomodo vincitur, 162
In ſuperbia diabolus, 207

T

Tenacia graue peccatum, 172. & ſeq.
Terra omnium grauiſſima, 275
Teſtimonium falſum quàm nefarium, 134
Tonitrua quo tempore ſonant, 284
Triſtitia quale peccatum, 161

V

Vana gloria arrogantium eſt, 162
Quæ ex ea oriuntur mala, ibid.
Quomodò ſuperatur, ibid.
Venationi qui curam & tempus impendunt, redarguuntur, 121
Verba otioſa. V. Sermones.
Vigiliæ nocturnæ agendæ, 218
De vigiliarum antiquitate, 219
Vino quî vtendum, 30
Vitam prolixiorem qui ſibi promittunt, impœnitentes fiunt, 25
Vitæ emendatio non procraſtinanda, ibid.
Vnigenitum inter & primogenitum quid intereſt, 337

Z

Zelus bonus, qualis, 234

FINIS.

Digitized by Google

IONÆ AVRELIANENSIS EPISCOPI LIBRI TRES DE INSTITVTIONE LAICALI.

PRÆFATIO.

DILECTO IN CHRISTO MATHFREDO IONAS IN DOMINO PERPETVAM SALVTEM.

TVæ nuper ſtrenuitatis litteras ſuſcepi, quibus meam* extrenuitatem commonefeciſti, vt tibi citiſſimè, & quàm breuiſſimè ſcriberemus, qualiter te ceteróſque qui vxorio vinculo ligantur, vitam Deo placitam ducere oporteret. Opus nempe, mi chariſſime, quod à me omnium imperitiſſimo fieri tibi flagitas, magnum eſt, viréſque intelligentiæ meæ prorsùs excedunt, quod etiam non

fortè, extremitatem.

Digitized by Google

niſi à doctis, & eloquentiſſimis viris arripiendum eſt; cùm vtique ad ſalutem animæ tuæ pertinentibus humillimæ petitioni tuæ, conſcius imbecillitatis & imperitiæ meæ, magis reniti, quàm obſequi priùs ſtatueram; quoniam me ad hoc conficiendum imparem minúſque idoneum ſentio: magnam namque petitio tua, & inertia mea in corde meo conflictationem generauerunt: illa ſcilicet vt ne tanti ponderis diſcrimen, ſubiretur abnuendo.

Igitur cùm huiuſcemodi conflictatione animus meus diutiſſimè alternaretur, trutináque iudicij ſui ſemetipſum ſubtiliſſimè præponderans, ad idem Opus ſubeundum modis omnibus impotens agnoſceretur; couſque deliberando ventum eſt, vt idem Opus omitteretur: ſed charitas, quæ omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia credit, omnia tolerat, impatiens tantæ omiſſionis proſiliuit in medium propulſans timoris infirmitatem; tribuens arripiendi audaciam, pollicens etiam per eum qui aperit ora mutorum, & linguas infantium facit diſertas, poſſibilitatis copiam; tandem idem Opus me aggredi compulit. Fretus quippe ad idem Opus ſubeundum, in eo magna ex parte extiti, quòd non mei ſenſus verba ſtilo eloquentiæ, quæ nulla mihi ineſt, exarata; ſed ſententias ex Diuinis oraculis promulgatas, & à Sanctis Patribus facetiſſimè expolitas, huic forem innexurus operi. Quapropter ſtudij mei fuit pro captu ingenij eloquia Diuina, ſanctorúmque Patrum Dicta ſcrutari; ac veluti ex diuerſis pratis diuerſos floſculos carpere, & quaſi in quodam cartallo congerere, tuæque piæ deuotioni, nec-non & eorum quibus id fortè placuerit, hoc Commentariolum

1. *Cor.* 13. 4.

Sap. 10. 21.

Digitized by Google

condere; vt in eo quasi in quodam speculo te assiduè contemplari, qualitérque coniugalem vitam honestè ducere debeas, eius crebra lectione valeas instrui.

At si quispiam obijcere voluerit, frustra & ex superfluo, in hoc Opusculo meam desudasse paruitatem, præsertim cùm modus vitæ christianæ in Legalibus, Propheticis, Euangelicis, & Apostolicis constet dictis; perfectéque in Sermone Domini in monte habito, vt Beatus ait Augustinus, idem digestus sit modus: nouerit quòd prisci Patres syluam sanctarum scripturarum penetrantes, diuersos atque innumeros sanæ fidei ex ea ramos præciderint, è quibus ob multorum vtilitatem, & Diuinæ seruitutis honorem salutiferas formulas ediderint: è quibus etiam consistit Christo quæ deuotè famulatur, canonica atque monastica Institutio: Porrò Laïcalis, licet in Diuinis eloquiis sparsim sit digesta, propter eos tamen quibus aut cordi aut posse non est, latos diuinarum Scripturarum campos percurrere, vtile dignúmque iudicatum est, in hoc negotio tuæ beneuolæ petitioni adsensum præbere, & sententias, vt dictum est, veteris, nouíque Testamenti, & Sanctorum Patrum dicta excerpere, quibus ad petitionem Tuam hoc Opus congessi, & tuæ Deuotioni dedicaui; immò pro te ceteríque, quibus studij fuerit, id cum charitate susci pere, & pia deuotione amplecti.

Et ne ob sui prolixitatem tædio esset legentibus, id tibi libellis distinxi: videlicet vt primus & vltimus omnibus generaliter fidelibus; medius autem magna sui ex parte coniugalem vitam ducentibus specialiter conueniret. Moneo intereà tuam experientissimam

Digitized by Google

ſagacitatem, & erga Chriſti famulatum deuotionem humillimam, vt hoc crebrò legas, aut tibi legi facias: eíſque quibus animo eſt magis aliena carpere, quàm fraterno affectu diligere, non facilè prodas. Si quid verò in hoc Opere ſecus quàm debui congeſſi, per Dominum mihi humiliter peto ignoſci. Si quid autem in eo legentes, ſiue audientes, ſibi profuturum ineſſe cognouerint, non mihi, ſed Deo mecum gratias agere meminerint.

Digitized by Google

CAPITVLA LIBRI PRIMI.

I. *QVòd generaliter omnes fideles noſſe oporteat, in quantam prolapſionis damnationem propter reatum primi hominis deuenerint.*

II. *Quòd in Baptiſmate vetus homo exuatur, & nouus induatur, & Chriſto commoriatur, & conſepeliatur.*

III. *Vt fideles ſemper meminiſſe debeant pacti, quod cum Domino in Baptiſmate fecerunt.*

IV. *Quòd in veteri Teſtamento diuerſa fuerint Baptiſmata; in nouo autem vnũ tribus modis conferat remiſſionem peccatorum.*

V. *De ſeptem Remiſſionibus peccatorum.*

VI. *Quòd patres ſpirituales, eos quos de ſacro fonte ſuſcipiunt, verbis & exemplis ad meliora prouocare debeant.*

VII. *Vt ad accipiendum per manus Pontificis impoſitionem Spiritus-Sancti donum, ſollicitè & deuotè concurratur.*

VIII. *Quòd paruuli inſtruendi ſint, cùm ad intelligibilem ætatem venerint; & fidei Sacramento, & Baptiſmatis Miniſterio, & ſeptiformis gratiæ ſpiritus Dono.*

IX. *Quòd quia Baptiſmus iterari non poteſt, neceſſariò pœnitentiæ ſecundus ſit Baptiſmus.*

X. *Quòd Pœnitentiæ modus in arbitrio ſit Sacerdotum conſtitutus.*

XI. *Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conuenimus.*

XII. *De inſtantia orationis.*

XIII. *Quòd in Eccleſia Chriſti non ſit otioſis turpibúſque fabulis vacandum: Et quòd qui hæc faciunt, non ſolùm ſibi peccata non minuant, ſed etiam maiora accumulent.*

XIV. *Quòd & in alijs competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Dominum, & confeſſio peccatorum fieri poſſit, & debeat.*

XV. *Quòd confeſſio peccatorum, exceptâ eâ quæ Sacerdotibus ad Conſilium accipiendum, Deumque placandum fit, Deo in oratione ſit facienda.*

XVI. *De eo quòd maiora peccata Sacerdati, quotidiana verò &*

Digitized by Google

leuia alterutrum sint manifestanda.

XVII. *De cogitationibus immundis cauendis; & quot modis peccatum in corde, & quot pepetretur in opere.*

XVIII. *Quòd quorumdam peccatorum alienorum conscij, nisi ea emendationis & salutis causà prodiderint, delinquant.*

XIX. *Quòd grauiùs puniantur qui fidem Christi perceperunt, & in malis vitam finierunt; quàm illi qui sine fide mortui sunt, & tamen bona opera egerunt.*

XX. *Quòd multi professionem Christianam verbis teneant, sed operibus negligant.*

CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

I. *QVòd coniugium à Deo sit institutum; & non sit appetendum causà luxuriæ, sed liberorum procreatione.*

II. *Vt qui vxores ducere voluerint, sicut eas castas & incorruptas cupiunt inuenire, sic ad eas casti & incorrupti studeant accedere.*

III. *Quòd coniugatis carnali copulæ indifferenter seruire non conueniat.*

IV. *De conseruanda fide inter virum & vxorem: & quòd non liceat concubinam habere.*

V. *Quòd viri vxores suas in castitate diligere, eisque vtpote vasis infirmioribus honorem debeant impendere.*

VI. *Quòd cùm vxoribus carnis commixtio gratiâ fieri debeat prolis, non voluptatis.*

VII. *Contra eos qui à cœtu vxorum prægnantium se minimè abstinere contendunt.*

VIII. *De Incestis.*

IX. *Contra impudicos, qui dicunt, cùm genitalia à sapientissimo creatore sint creata, cur mutuus adurat ardor, & non potius pro vniuscuiusque libitu libido exerceatur.*

X. *Quòd tempore menstruo omnino ab vxoribus sit abstinendum.*

XI. *Qualiter mulier post partum, & vir post concubitum vxoris, Ecclesiam debeant ingredi.*

XII. *Quòd nisi causà fornicationis, vt Dominus ait, non sit vxor dimittenda, sed potiùs sustinenda.*

XIII. *Quòd hi, qui causà fornicationis dimissis vxoribus suis, alias ducunt, Domini sententiâ adulteri esse notentur.*

Digitized by Google

XIV. *Vt parentes liberos ſuos diligenter in timore Dei erudiant, docentes eos qualiter caſtè viuere, Deúmque colere, & Parentibus debeant impendere honorem: & quale periculum eis immineat, qui id facere negligunt.*
XV. *Quòd filij debitum honorem parentibus impendere debeant.*
XVI. *Vt coniugati in domibus ſuis paſtorale ſe nouerint exercere debere munus.*
XVII. *Quòd peccata fratribus ſint remittenda; & tunc munus Deo offerendum.*
XVIII. *Quòd ad perceptionem Dominici Corporis & Sanguinis frequenter, & diſcretè ſit accedendum.*
XIX. *De Decimis.*
XX. *Quòd Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, honor debitus ſit exhibendus.*
XXI. *Quòd noſſe oporteat Laïcos Sacerdotibus ligandi, atque ſoluendi poteſtatem à Domino eſſe collatam: & quòd eorum monitis libenter parere, atque excommunicationibus humiliter debeant ſuccumbere.*
XXII. *De his qui propter honores terrenos & caducos adeò extolluntur, vt pauperes naturà ſibi ſimiles non recognoſcant.*
XXIII. *De his qui propter venationes & amorem canum, cauſam pauperum negligunt.*
XXIV. *Iuſtè iudicandum, & munerum acceptionem vitandam.*
XXV. *De vitanda iuratione.*
XXVI. *De Falſo Teſtimonio.*
XXVII. *De Mendacio.*
XXVIII. *De Curioſitate.*
XXIX. *De ſectanda Hoſpitalitate.*
XXX. *De Principibus.*

CAPITVLA LIBRI TERTII.

I. DE *Charitate.*
II. *De Humilitate.*
III. *De Patientia.*
IV. *De Superbia.*
V. *De Odio, & inuidia.*
VI. *De Octo vitiis principalibus.*

VII. *De Detractione.*

VIII. *De Conuitiis, & otiosis sermonibus, & maledictionibus cauendis.*

IX. *De Turpiloquio, & scurrilitate.*

X. *De Operibus misericordiæ; & quòd vnusquisque à seipso eleemosynam accipere debeat.*

XI. *De Tenacia.*

XII. *Quòd Mors ante oculos semper sit constituenda.*

XIII. *Quòd de singulis temporibus quicquid boni loqui aut agere debuimus, fructum à nobis Dominus sit exacturus: & quòd vnicuique ob sui custodiam Angelus sit deputatus.*

XIV. *De infirmis visitandis, oleóque sancto perungendis.*

XV. *De mortuis sepeliendis, & cura pro eorum animabus gerenda.*

XVI. *Quòd de Resurrectione mortuorum fidelibus minimè sit dubitandum.*

XVII. *De die Iudicij.*

XVIII. *De quatuor ordinibus in die Iudicij futuris.*

XIX. *De æternis suppliciis reproborum.*

XX. *De electorum sempiterna remuneratione.*

Digitized by Google

IONÆ AVRELIANENSIS EPISCOPI

DE INSTITVTIONE LAICALI,

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Quòd generaliter omnes fideles nosse oporteat, in quantam prolapsionis damnationem, propter reatum primi hominis deuenerint.

PROTOPLASTVS totius humani generis parens mirabiliter à Deo de limo terrę creatus, & in paradisi fœlicitate collocatus, quia malè suadente vxoris consilio, adquieuit, & interdictæ arboris fructum comedit, non solùm ipse Diuini præcepti præuaricator extitit, verùm etiam in nos, qui ex illius peccati traduce nascimur, suæ præuaricationis noxam, & iustæ damnationis pœnam transfudit. Liquet enim quia illo præuaricante, nos etiam cum illo pactum Domini præuaricati sumus; vnde ait Psalmista: *Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ.* Et A-

Psal. 118. 119.

Digitized by Google

Rom. 5. 12. poſtolus: *Per vnum*, inquit, *hominem peccatum intrauit in mundum; & per peccatum mors: ita & in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Ecce qualem hereditatem idem *Gen.* 3. 19. parens noſter, cui peccanti dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis*; nobis dimiſit; pro patria, ſcilicet, exilium, pro fœlicitate miſeriam, pro gloria ignobilitatem, & pro immortalitate inflixit nobis corporis & animæ mortem. Valde namque cum Diabolo miſerabile fecit commercium. Dia- *Rom.* 5. 12. bolus per ſuperbiam de angelica dignitate in apoſtaſiam lapſus, cuius inuidiâ mors intrauit in orbem terrarum, fœlicitati eius inuidens promiſit ei diuinitatem, & ademit immortalitatem: & de habitatore paradiſi fecit exulem mundi: & non ſolùm eum, ſed etiam ſuam ſtirpem ſuo exitiabili ſubiugauit imperio; in quo eatenùs miſerabiliter & exitia- *Lucæ* 10. 33. biliter detentus eſt, donec ille Samaritanus, Dominus videlicet noſter IESVS-CHRISTVS, iter faciens miſericordiâ motus, adpropinquans, vulnera eius alligans, vinum & oleum infundens, eúmque in iumentum ſuum imponens, in ſtabulum duxerit, altera die ſtabulario duos denarios ad ſaucium ſanandum protulerit; & id quod ſupra erogaſſet rediens ſe redditurum promiſerit. Scribit itaque Auguſtinus in libro Sermonum ad populum: *Lapſus inuidit ſtanti, eúmque deiecit, ſed Chriſtus deſcendens iacentem erexit.* Scribit *Cap.* 33. etiam in libro Enchiridion. [Tenebatur autem iuſta damnatione genus humanum, & omnes erant filij iræ. De qua *Pſal.* 89. 9. ira ſcriptum eſt: *Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* De *Iob.* 14. 1. qua ira dicit etiam Iob: *Homo natus ex muliere, breuis vitæ, & plenus iræ.* De qua ira dicit Dominus IESVS-CHRISTVS: *Ioan.* 3. 36. *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam; qui autem non credit in filio non vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*; non ait veniet, ſed manet; cum ea quippe omnis homo naſcitur: pro- *Epheſ.* 2. pter quod dicit Apoſtolus: *Fuimus & nos naturâ filij iræ, ſicut* 3. *& cæteri.* In hac quippe cùm eſſent homines per originale peccatum, tantò grauius & pernitioſius, quantò maiora vel *Heb.* 8. 6. plura inſuper addiderunt. Neceſſarius erat mediator, hoc *& 9.* 11. eſt reconciliator, qui hanc iram (cuius erant vmbræ om- *Rom.* 5. 10 nia ſacrificia Legis & Prophetarum) oblatione placaret.

Digitized by Google

Vnde dicit Apoſtolus: *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius: multò magis nunc reconciliati in ſanguine eius, ſalui erimus ab ira per ipſum.*]

Scribit etiam * Proſper: [In Adam omnia bona quæ potuimus habere, perdidimus; in Chriſto etiam maiora, & ſine fine habenda recepturi ſumus, ſi perſeuerantes eius veſtigia teneamus. Adam nos obnoxiauit malis omnibus per propriam culpam, à quibus nos liberauit aduentus Chriſti per gratiam. Ille in nos culpam ſuam tranſmiſit * ad pœnam; hic qui culpam noſtram ſuſcipere, vtpote conceptus & natus ſine peccato non potuit, de ſuſceptione culpæ noſtræ culpam noſtram ſimul aboleuit & pœnam, & vt totum dicam, Adam eripuit nobis paradiſum, Chriſtus donauit & cœlum.] Patet igitur quia idem originale peccatum, quo genus humanum damnabiliter obſtringebatur, non poterat ſolui ac dilui, niſi per eundem mediatorem Dei & hominum hominem IESVM CHRISTVM: nec aliter per ipſum liberari oportebat, niſi ſicut verus homo, verus eſſet & Deus. Manifeſtum eſt ergo quòd per gratiam Redemptoris noſtri IESV CHRISTI ſimus ſaluati; & per indebitam eius mortem, quamuis à morte communi non immunes, à debita tamen & perpetua erepti morte, & de filiis tenebrarum filij lucis, & de vaſis iræ vaſa ſimus miſericordiæ effecti. Proinde oportet vt vnuſquiſque fidelis agnoſcat vbi merito corruerit, & vnde per gratuitam Chriſti pietatem erutus fuerit, & tantum ereptorem & liberatorem toto corde, tota anima, tota virtute diligere ſatagat, & ab amore illius in nullo tepeſcat; ſed omne tempus vitæ ſuæ in eius ſeruitio inſumat.

* *Immò Iulianus pomerius,* de vita contemplat. lib. 2. c. 20. *al.* * &

CAPVT II.

Quòd in Baptiſmate vetus homo exuatur, & nouus induatur, & Chriſto commoriatur, & conſepeliatur.

EXuendum veterem hominem cum actibus ſuis, & induendum nouum Apoſtolus ammonet dicens: *Exuite vos veterem hominem cum actibus ſuis; & induite nouum qui reno-* Coloſſ. 3. 9.

Digitized by Google

Gal. 3.27. *uatur in agnitionem Dei.* Et idem alibi: *Quotquot autem in*
Rom. 13. *Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Item: *Induite vos Do-*
14. *minum Ieſum Chriſtum.* Item: *Induite nouum hominem qui ſe-*
Epheſ. 4. *cundum Deum creatus eſt.* Iſte quippe eſt nouus homo, quo vni-
23. uerſi credentes debemus indui atque veſtiri: vnde ſcribitur
Apoc. 16. in Apocalypſi: *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua,*
15. *ne nudus ambulet, & appareat turpitudo eius.* Et in Eccleſiaſte:
Eccleſ. 9. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo*
8. *non deficiat.* Huius nempe noui hominis indumentis veſtiti
Apoc. 3.4 erant, de quibus in eadem Apocalypſi legitur: *Habeo pau-*
ca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua: &
ambulauerunt mecum in albis. Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis
albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Huius etiam noui
hominis indumentis nequeunt veſtiri hypocritæ, & huiuſ-
cemodi nequam homines. Nam qui eius veſtimentis, id eſt
virtutibus, veraciter fuerit indutus, meritò poterit dicere
Galat. 2. cum Apoſtolo: *Viuo autem jam non ego; viuit verò in me*
20. *Chriſtus.*

Vetus quippe homo quid eſt niſi vita prior quam duximus in peccatis? Nouus homo quid eſt niſi Chriſtus, qui eſt vtique iuſtitia, & veritas, & ſanctificatio: cui iuxta Apoſtolum commorimur & conſepelimur in baptiſmate, ſicut ipſe
Rom. 6.3. ait: *An ignoratis quoniam quicumque baptizati ſumus in Chriſto*
Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Quæ verba Beatus Au-
Enchirid. guſtinus ita exponit: [Vt nihil aliud in Chriſto baptiſmum
cap. 52. intelligamus, niſi mortis Chriſti ſimilitudinem: nihil autem aliud mortem Chriſti Crucifixi, niſi remiſſionis peccati ſimilitudinem: vt quemadmodum in illo vera mors facta eſt, ſic in nobis fiat vera remiſſio peccatorum: Et quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera iuſtificatio. Et idem poſt pauca: Mortem, inquit, Chriſti ſic inſinuauit Apoſtolus, vt etiam ipſum mortuum eſſe diceret peccato; cui peccato niſi carnis in qua erat, non peccatum, ſed ſimilitudo carnis peccati: & ideo nomine appellat peccati? Baptizatis itaque in morte Chriſti, in qua non ſoli maiores, verùm etiam paruuli baptizantur. Ait: Sic & vos, id eſt, quem-
Ibid. 11. admodum Chriſtus, *Sic & vos exiſtimate vos mortuos eſſe pec-*
cato: viuere autem Deo in Chriſto Ieſu.] Scribit idem Apoſtolus

ad Coloſſenſes: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Mortui ſcilicet, quia in morte ipſius baptizati eſtis: & quoniam *vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cum eo*, oportet vt ſicut propter nos Chriſtus crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt, & reſurrexit; nos quoque ad paſſionis ſuæ ſimilitudinem voluntates & cupiditates noſtras crucifigamus, & in baptiſmate myſterium mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis eius imitemur. Item idem: *Si enim mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul viuemus cum eo.* Coloſſ. 3.3. Rom. 6.6. Ibid. 8.

Elaborandum eſt itaque vt de ſordibus veteris hominis nihil remaneat in nobis. Chriſtus autem non ex parte ſed integer eſt crucifixus, vt nos ex toto moriamur peccato, & viuamus Deo. Ille verò viuit Deo, qui Chriſti veſtigia humilitate, ſanctificatione, & pietate ſectatur. Ille, inquam, viuit Deo, efficitúrque templum eius, qui præceptis celeſtibus, quæ noui hominis efficiunt indumentum, fuerit veſtitus; quibus carebat ille qui cum veſte ſordida conuiuium intrauerat nuptiale. Dicit autem beatus Hieronymus in commentariis: [Si quis igitur in tempore iudicij inuentus fuerit ſub nomine Chriſtiano non habere veſtimentum nuptiale, hoc eſt veſtem ſuperceleſtis hominis; ſed veſtem pollutam, id eſt veteris hominis exuuias; hic ſtatim corripitur & dicitur ei: Amice quomodo huc intraſti? amicum vocat, quòd inuitatus eſt ad nuptias: arguit impudentiæ, quòd veſte ſordida munditias polluerit nuptiales. At ille obmutuit. In tempore illo non erit locus pœnitentiæ, nec negandi facultas, cùm omnes angeli & mundus ipſe teſtis ſit peccatorum.] Proinde ſcire debet vnuſquiſque fidelis quia niſi hoc nouo homine, Domino videlicet CHRISTO IESV indutus fuerit, licet in præſenti purpura & byſſo, auro & gemmis ornatus incedat, miſerabiliter tamen atque flebiliter in oculis diuinæ majeſtatis nudus exiſtit: Et ſi in hac nuditate diem clauſerit extremum, non ſolùm à Rege Chriſto in futuro corripietur, ſed etiam à nuptiali, æternóque conuiuio excludetur. Cõment. in Matt. 6.22. verſ. 11.

At ſi quiſpiam quæ ſint huius noui hominis indumenta ſcire voluerit; nouerit eius indumenta eſſe innocentiam, patientiam, benignitatem, manſuetudinem, fidem, humilita-

Digitized by Google

tem, charitatem, modeſtiam, caſtimoniam ſine qua nemo videbit eum, & cæteras virtutes, quas dinumerare longum eſt. Prouideat etiam neceſſe eſt ne ad peccatum, cui in baptiſmate mortuus eſt, redeat, quoniam nec baptiſmus iterari poteſt, nec Chriſtus pro eo ſemel mortuus rurſum ad
Rom. 6 9. paſſionem rediturus eſt. De qua Apoſtolus ait: *Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.*

CAPVT III.

Vt fideles ſemper meminiſſe debeant pacti quod cum Deo in baptiſmate fecerunt.

QVarum pactionum nexibus vnuſquiſque fidelis Deo in baptiſmate ſe obligauit; altera quâ abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius; altera quâ ſe in Patrem & Filium, & Spiritum-ſanctum credere profeſſus eſt: vnde & ſub eiuſdem Sanctæ Trinitatis inuocationem baptiſmatis gratiam accipere promeruit. Si quis igitur poſt huiuſcemodi abrenuntiationem, quibuslibet illecebris vitiorum inlectus, ad ea quibus renuntiauit, redierit. Nec non & poſt tantæ fidei perceptionem in apoſtaſiam, aut infidelitatis, aut hereticæ prauitatis, aut fraterni ſchiſmatis prolapſus fuerit, proculdubio vtriúſque pactionis transgreſſor exiſtit. Quarum altera, quia baptiſmi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemoſynarum largitionibus, ceteríſque bonorum operum executionibus dilui poteſt. Altera verò, quæ prædictæ contagionis leprâ commaculata fuerit, niſi hac primùm per Chriſti gratiam caruerit, & ad vnitatem Eccleſiæ redierit, mundari, & priſtinæ fidei colorem, ſanitatíſque vigorem recuperare non poterit.

Quia ergo conſtat quòd propter peccatum primi hominis flammeus ille gladius, cuius obice ianua paradiſi hominibus claudebatur, in Sacro-ſancto baptiſmatis fonte extinctus eſt, & eadem ianua credentibus patefacta, oportet

Digitized by Google

vt cuncti fideles pactionis & ſponſionis, quam cum Deo fecerunt, ſint ſemper memores: caueántque ne quibuſlibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolùm eundem ſibi reaccendant ignem, verùm etiam immundum ſpiritum à ſe tempore baptiſmatis expulſum, cum ſeptenario dæmonum ſibi numero addito, ad ſe redire faciant, fiántque illis, vt Dominus ait, *nouiſſima peiora prioribus*; & impleatur in eis quod ait beatus Petrus Apoſtolus: *Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato.* Aptetúrque eis quod idem poſt pauca ait; *Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Proinde omnibus Chriſtianis ſollicitè ſtudendum eſt, vt tantæ ſponſionis, támque ſalutiferi pacti memores, ídque indiſcuſsè inuiolabilitérque ſeruantes, hoſtémque antiquum, cui abrenuntiauerunt cum vitiis ſuis, ſpernentes, ad atria ſupernæ ciuitatis myſterio ſacri baptiſmatis, & Spiritus-ſancti dono, credentibus reſerata, infatigabiliter ſcandere contendant.

Matt. 12. 45. 2. *Pet.* 2. 21. 22.

CAPVT IV.

Quòd in veteri Teſtamento diuerſa fuerint baptiſmata; in nouo autem vnum tribus modis conferat remiſſionem peccatorum.

LEgimus in Exodo quòd Moyſes, qui typum Chriſti tenuit, in mari rubro, quod figuram baptiſmatis gerit, eo quòd Chriſti Sanguine rubricatum ſit, populum Dei baptizauerit, Apoſtolo teſtante atque dicente: *Nolo enim vos ignorare, Fratres, quoniam omnes patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari.* Mare, vt dictum eſt, Baptiſmi, nubes Spiritus-ſancti, manna panis vitæ formam gerebat. Fiebant & alia Baptiſmata in veteri Teſtamento, quæ diſpenſatione temporum actitabantur, ſi vſque ad Baptiſtam Ioannem nuſquam Baptiſmus in pœnitentiam legitur fuiſſe datus. Scribit namque Iſidorus in libro Officiorum: [Bapti-

1. *Cor.* 10. 1.

Lib. 2 ca. 24.

Digitized by Google

zauit & Ioannes, ſed non ex toto Iudaïcè: Non enim ſolùm
al.* tamẽ in aqua, nec* tantùm in Spiritu; ſed hoc ſolùm addidit quod
Act. 19. 4 in pœnitentia baptizauit; Sicut ait Paulus in Actibus Apo-
lorum: *Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſt poſt ipſum, hoc eſt in* IESVM, *vt crederent in eum.* Cœpit ergo perfectum baptiſma à IESV: ipſe
ergo baptizauit primùm in Spiritu-ſancto: Sicut Ioannes
Ioan. 1. 26. dicit: *Ego quidem baptizo vos in aqua; medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis, ipſe vos baptizabit in Spiritu-Sancto & igni*: Hæc eſt perfectio baptiſmi: Deus eſt enim qui baptizat, vt poſſint & qui baptizantur fieri Filij Dei.] Huius nempe vnum extat baptiſmum ſalutare, de quo Apoſtolus ait:
Epheſ. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Quod etiam quamquam tribus modis conferat remiſſionem peccatorum, vnum tamen eſt, per quod mundantur peccata. Scribit nam-
vbi ſuprà. que præfatus Iſidorus in eodem libello, tria eſſe baptiſmata. [primum, inquit, de quo Apoſtolus ait, quo ſordes peccatorum per regenerationis lauacrum abluuntur. [In quo, vt
Enchirid. cap. 44. beatus Auguſtinus ait, paruuli originali tantùm moriuntur peccato; maiores etiam his omnibus peccatis, quæcumque malè viuendo addiderunt, ad illud quod naſcendo traxe-
Iſidorus. Ibid. runt.] [Secundus eſt baptiſmus, vt præfatus ait Iſidorus, quo quis ſanguine ſuo per martyrium baptizatur; quo baptiſmo etiam Chriſtus baptizatus eſt, vt & in hoc ſicut in cæteris formam credentibus daret; ſicut dicebat ad diſci-
Matt. 20. 22. pulos ſuos filios Zebedei; *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum; Et baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?* Itaque
Marci 10. 38. aqua & ſanguis gemina eſt figura baptiſmatis: vnum quo
al.* ex aquæ lauacro regeneramur ex* baptiſmo; Aliud quo conſecramur in ſanguine. Eſt & tertium Baptiſma lacrymarũ, quod laborioſius tranſigitur; ſicut & ille qui per ſingulas noctes ſtratum ſuum
Pſal. 6. 7. rigabat lacrymis; vel qui imitantur* confeſſionem Manaſſæ,
al.* conuerſionẽ & humilitatem Niniuitarum, per quam miſericordiam conſecuti ſunt; & orationem Publicani illius in Templo ſtantis à longè, & percutientis pectus ſuum; quíque nec auſus erat oculos leuare ad cœlum.] Quorum etiam oculi, iuxta Pro-
Thren. 3. 48. phetam, diuiſiones deducunt aquarum &c. Iſti proculdubio peccata ſua baptiſmo lachrymarnm mundari noſcuntur.

De

Digitized by Google

De his tribus baptismis, licet alio quo superiùs dictum sit ordine, Psalmista ait: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Id est in baptismate per confessionem peccatorum, & fluenta lachrymarum. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in Spiritu eius dolus;* per martyrij coronam. Quia ergo primum baptismum ob fidem Christi scienter petitur, salubriter percipitur. Secundum, Christo pacem Ecclesiæ suæ tribuente, per sanguinem martyrij hodie non efficitur. Tertium valde necessarium non desidiosè, nec cum aliqua deiectione, sicut à multis, quod periculosum est, fieri assolet, sed cum magna acceleratione, & animi deuotissima intentione, dum tempus est acceptabile, & dies salutis, & Dominus inueniri potest, ab omnibus Christianis est appetendum, & amplectendum. *Psal.* 31. 1. 2.

CAPVT V.

De septem remissionibus peccatorum.

IN præcedenti capitulo dictum est, quòd tria sint baptismata, per quæ ablutio & purgatio fit peccatorum. In hoc capitulo demonstrandum est quibus modis fiat remissio peccatorum. Scribit namque Origenes in Homilia prima libri Leuitici ita: *Audi nunc quantæ sint* remissiones peccatorum. Est ista quâ baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda est in passione martyrij. Tertia est quæ per eleemosynam datur; dicit enim Saluator: *Verumtamen date eleemosynam, ecce omnia munda sunt vobis.* Quarta nobis fit remissio peccatorum, per hoc quod & nos remittimus peccata fratribus nostris; Sic enim dicit Dominus ipse & Saluator; Quia si remiseritis ex corde fratribus vestris peccata ipsorum, & vobis remittet Pater vester peccata vestra. *Quòd si non remiseritis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet pater vester peccata vestra.* Et sicut in oratione nos dicere docuit: *Dimitte nobis debita nostra.* Quinta peccatorum remissio est cum conuerterit quis peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & cooperit multitudinem pecca- *Lucæ* 11. 41. *Matt.* 18. 35. *Eiusd.* 6. 12.

Digitized by Google

torum. Sexta quoque fit remiſſio peccatorum per abun-
Lucæ 7. 47. dantiam charitatis, ſicut ipſe Dominus dicit: *Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Apo-
1. Pet. 4. 8 ſtolus ait: *Quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Eſt adhuc & ſeptima, licet laborioſa & dura per pœnitentiam, remiſſio peccatorum, cùm lauat peccator in lachry-
Pſal. 41. 4. mis ſtratum ſuum, fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte. Cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum,
5. vt adquirat medicinam, ſecundum eum qui ait: *Dixi pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam meam; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Et illud:
4. *Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.*

Harum itaque remiſſionum, quæ modo in Eccleſia fiunt, typus erant ſacrificia quæ fiebant in lege. Nec enim vacat à myſterio, quod ſeptem dicuntur eſſe remiſſiones, quoniam Spiritus-ſanctus, per quem remiſſio peccatorum confertur, ſeptiformis gratiæ dicitur. Cuius dona cùm de Chriſto, qui eſt virga & virtus Domini, Iſaïas Prophetaret,
Iſaiæ 11. 1. ait: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Non quòd diuerſus ſit iuxta differentias nominum idem Spiritus-ſanctus, ſed quòd vnus atque idem cunctarum virtutum fons ſit atque principium: ſicut enim Apoſtolo teſtante, Chriſtus dicitur virtus, Deíque Sapientia. Et in Prouerbiis legitur:
Prou. 3. 19. *Deus in Sapientia ſua fundauit terram, & parauit cœlos prudentiâ.* Et quomodo idem ſermo vocatur lux, & vita, & reſurrectio; Sic Spiritus-ſanctus dicitur Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilij & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, ac timoris Domini. Continet itaque in eiſdem ſeptenarius numerus ternarium & quaternarium numerum. In ternario myſterium ſanctæ Trinitatis, in quaternario Euangelij: Siue enim tres per quatuor, ſiue quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum peruenitur; quia myſterium ſanctæ Trinitatis, & doctrina Euangelij per duodecim Apoſtolos in quatuor mundi plagas porrigitur. Si quis autem pleniùs, & latiùs de eiuſdem ſeptenarij numeri

Digitized by Google

myſterio noſſe deſiderat, legat librum primum Gregorij Papæ in moralibus, in quo copioſiſſimè de eo diſputatum inueniet.

CAPVT VI.

Quòd Patres ſpirituales eos quos de ſacro fonte ſuſcipiunt, verbis & exemplis ad meliora prouocare debeant.

PRouocamur Danielis Prophetæ magiſterio, vt non modò nos ipſos ad doctrinam ſalutarem capeſſendam excitemus, verùm etiam alios ad iuſtitiam erudiamus: Ait enim: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt alios, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* Beatus quoque Auguſtinus in Sermone ad populum ait: [Quicumque igitur viri, vel quæcumque mulieres de ſacro fonte filios ſpiritaliter exceperint, cognoſcant ſe pro ipſis fide-iuſſores apud Deum extitiſſe; Et ideò neceſſe eſt, vt ſemper illis ſollicitudinem veræ charitatis impendant, admoneant & caſtigent, atque corripiant, vt caſtitatem cuſtodiant, virginitatem vſque ad nuptias ſeruent; à maledicto, vel à periurio linguam refrænent; cantica turpia vel luxurioſa ex ore non proferant; non ſuperbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde non retineant; auguria non obſeruent, phylacteria vel characteres diabolicos nec ſibi, nec ſuis aliquando ſuſpendant; * præcantatores vel miniſtros diaboli fugiant: fidem Catholicam veraciter teneant; ad Eccleſiam frequentiùs conueniant, contemptâ verboſitate, lectiones diuinas * attentiùs aure percipiant. Eſurientes paſcant, ſitientes potent; nudos veſtiant, pauperes & peregrinos excipiant; infirmos & in carcere poſitos viſitent, eíſque in neceſſitatibus ſuis adminiſtrare procurent, pacem teneant, & diſcordes ad concordiam reuocare contendant. Sacerdotibus honorem impendant. Hæc ergo omnia & his ſimilia ſi filios & filias veſtras admonere contenditis, cum ipſis ad æternam beatitudinem fœliciter peruenietis. Nemo ſe circumueniat, fratres chariſſimi, nul-

Dan. 12.3.

Sermo. 163. de tẽpore, ſub med.

al. * incantatores.

al. * attentis auribus.

Variat hîc text. apud Auguſtinum in editis.

Digitized by Google

lus homo ſibi ſoli moritur ; ſed ſicut frequenter ſuggeſſi, quantoſcúmque quilibet exemplo ſanctæ vitæ ædificauerit, cum tot, tantíſque, & pro tantis mercedem beatæ retributionis accipiet. Et qui tantiſcumque exemplum malæ conuerſationis, etiamſi illi eum non ſequantur, præbuerit ; pro tantis ſe malis nouerit rationem redditurum. Et ideò, ſicut jam ſupra ſuggeſſi, neophytis noſtris, auxiliante Domino, exemplum bonæ conuerſationis quantum poſſumus oſtendere debemus, vt non pro illorum deſtructione pœnam recipere, ſed potiùs pro ædificatione ad indulgentiam peccatorum mereamur peruenire.] Et quia vobis quid vitare, vel quid fugere debeatis, frequenter eſt oſtenſum ; & quid agere, vel expetere debeatis, aſſidua prædicatione monſtratum ; Sic Deo auxiliante agite, vt vobis admonitio noſtra magis ad præmium, quàm ad iudicium, ante tribunal æterni Iudicis proficiat.

Sequẽtia non extãt in citato Sermone.

CAPVT VII.

Vt ad accipiendum per manus Pontificis impoſitionem, Spiritus-ſancti donum, ſollicitè & deuotè concurratur.

PErceptio ſancti Spiritus, quæ per manus impoſitionem ab Epiſcopis tribuitur, à quibuſdam congruenter, à quibuſdam verò negligenter appetitur : Sunt enim quidam nobiles quod eſt laudabile, qui huiuſcemodi dono ſe ſuóſque inſigniri accelerant ardenter. Sunt etiam quidam, quod emendatione dignum eſt, qui in longum id facere differunt. Porrò ignobiles partim incuriâ, partim ignorantiâ in tantum in hac re negligentes exiſtunt, vt etiam quidam illorum, non niſi iam in decrepita ætate, huius doni conſecrationem percipiant.

Quòd verò ſolius Epiſcopi ſit per manus impoſitionem fidelibus tradere Spiritum-ſanctum, Acta docent Apoſtolorum, in quibus legitur: *Factum eſt autem cùm Apollo eſſet Chorinti ; & Paulus, peragratis ſuperioribus partibus, veniſſet Epheſum ; ibique cùm inueniſſet quoſdam diſcipulos, dixit ad illos ; ſi*

Act. 19.1.

Spiritum-Sanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum, ſed neque ſi Spiritus-ſanctus eſt audiuimus. Dixitque eis, in quo ergo baptizati eſtis? at illi dixerunt, in Ioannis baptiſmate. Ait autem Paulus: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſt poſt ipſum, hoc eſt in Ieſum, vt crederent in eum. Quod cùm audiſſent, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et cum impoſuiſſet illis manum Paulus, venit Spiritus-ſanctus ſuper eos; & loquebantur linguis, & prophetabant. Adtende quòd poſt baptiſmatis perceptionem, illicò per impoſitionem manuum à beato Paulo acceperint Spiritum-ſanctum. Item alio loco; *Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Ieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei; miſerunt ad illos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum-ſanctum: Nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Et imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum-ſanctum.* Notandum eſt quòd in neminem baptizatorum venerit Spiritus-ſanctus, niſi per impoſitionem manuum Apoſtolorum. Credendum verò eſt quia ſicut baptiſmatis, & corporis, & ſanguinis Dominici Sacramenta, per Sacerdotum myſteria viſibilia fiunt, & per Dominum inuiſibiliter conſecrantur; ita nimirum Spiritus-ſancti gratia per impoſitionem manuum, miniſterium adminiſtratum Epiſcoporum fidelibus inuiſibiliter tribuatur. Cur autem non à Presbyteris, ſed ab Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus, credentium frontes ob percipiendum ſancti-Spiritus donum Sacro-ſancto chriſmate ſignentur; Sanctus Papa Innocentius in Decretalibus ſuis, pleniſſimè ſcribit: ad quem locum curiosè diligentérque ſcire volentem mitto. Præmiſſis itaque documentis pleniſſimè prædocetur, nequaquam à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, ſed potiùs remoto torpore negligentiæ, cum magna animi auiditate & deuotione petenda, & percipienda; Ne ſine ipſius doni munere quis rebus humanis eximatur.

Act. 8.16.

Innocent. 1. Epiſt. 1. cap. 3.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Quòd paruuli inſtruendi ſunt, cùm ad intelligibilem ætatem venerint; & fidei Sacramento, & baptiſmatis myſterio, & ſeptiformis gratiæ Spiritus Dono.

SAlutaris diſciplinæ domus eſt, vt beatus ait Auguſtinus, Eccleſia Chriſti, in qua idcircò dicitur bene viuere, vt perueniatur ad ſemper viuere. Ergo quicumque in Schola huius ſunt diſciplinæ, in qua docet ſummus doctor, & magiſter Chriſtus; tanti Doctoris magiſterio humiliter colla ſubmittantur neceſſe eſt. In hac quippe multimoda ſanæ fidei diſcuntur præcepta; quæ cùm multa ſint, & ab vno ſapientiæ fonte profluant, & paruulos in apertis, & magnos exerceant in obſcuris: Oportet vt qui nec dum profundiora Chriſti præcepta diſcere queunt, humiliora interim diſcere ſatagant: Donec adiuuante diuina miſericordia altiora percipere valeant; vnde & Dominus in monte diſcipulos docet, in campeſtribus turbas paſcit.

Si quis autem fortè exiſtit, qui tarditatem & obtunſionem ſenſus ſui obtendat, & dicat: Non poſſum diſcere, quia nec tantæ ſum capacitatis, vt tot tantáque Chriſti præcepta, quæ vtique mirabilia & innumerabilia ſunt, diſcere valeam: Audiat quid præfatus Beatus Auguſtinus in libro de diſciplina Chriſtianorum ſcribat: [Præcepta, inquit, multa ſunt in lege, quibus ipſa vita bona continetur, imperatur, & diſcitur. Multa omninò præcepta ſunt, & innumerabilia ſunt. Præceptorum ipſorum paginas vix quiſque numerat, quantò magis ipſa? * Voluit tamen Dominus propter eos qui ſe poſſint excuſare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non poſſunt facilè intelligere, vt excuſationem nemo habeat in die iudicij, voluit, ſicut ſcriptum eſt, conſummare & breuiare verbum ſuper terram, ſicut de illo Propheta prædixerat: *Verbum enim conſummans & breuians faciet Dominus ſuper terram.* Hoc ipſum verbum conſummatum & breuiatum, non obſcurum

Serm. de diſciplina Chriſt. cap. 2.

al. * Quæ voluit.

Iſaï. 10. 23 *& Rom.* 9. 28.

Digitized by

eſſe Deus voluit. Ideò breue, vt non vacaret legere. Ideò apertum, ne dicat, non mihi licuit intelligere. Theſaurus ergo eſt magnus diuinarum ſcripturarum, habens in ſe mirabilia, & præcepta multa; tamquam multas gemmas, & pretioſa monilia, & vaſa ingentia & magni metalli. Sed quis poteſt ſcrutari theſaurum iſtum, & vti eo, & peruenire ad omnia quæ ibi ſunt? Quando hanc ſimilitudinem Dominus dedit in Euangelio ſuo, & dixit: *Simile eſt regnum cœlorum theſauro inuento in agro*: Ne quis ſe minùs idoneum diceret ad perſcrutandum theſaurum, continuò dedit aliam ſimilitudinem: *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: qui inuenit vnam pretioſam margaritam, & vendidit omnia quæ habebat, & emit illam*: Vt ſi piger eras ad perſcrutandum theſaurum, non ſis piger vnam margaritam ſub lingua ferre, & quò vis ſecurus ambulare.* Quod eſt ergo verbum conſummans & breuians? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Et, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Ecce quod diſcitur in domo diſciplinæ: Diligere Deum, Diligere proximum: Deum tamquam Deum: proximum tamquam te.]

Matt. 13. 44. 45. * S. Aug. vbi ſuprà cap. 3. *Matt.* 22. 37. *Ibid.* 39.

In primordio namque ſanctæ Dei Eccleſiæ non baptizabantur niſi primùm inſtructi fuiſſent, & fide ſanctæ Trinitatis, & myſterio ſacro-ſancti baptiſmatis. Nunc autem quia nomen Chriſti vbique pollet, & paruuli de Chriſtianis parentibus nati, ad percipiendam baptiſmatis gratiam nec dum loquentes incunctanter deportantur. Nec immeritò quippe vt qui alienis peccatis obnoxij ſunt, aliorum deportatione, & reſponſione à præuaricatione originalis noxæ abſoluantur: quatenus eruti de poteſtate tenebrarum, in regnum Domini ſui transferantur. Summopere procurandum eſt, ſiue parentibus, ſiue his, qui eos de ſacro fontis lauacro ſuſceperint, vt cùm ad intelligibilem ætatem peruenerint, & fidei, & baptiſmatis myſterio inſtruantur: vt ſi fortè latiùs, vberiúſque in ſenſu diuinarum ſcripturarum proficere, aut noluerint, aut nequiuerint, ſaltem fide Trinitatis Sanctæ, & myſterio ſacri baptiſmatis inexcuſabiliter exiſtant inſtructi.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Quòd quia Baptiſmus iterari non poteſt, neceſſariò pœnitentiæ ſecundus ſit baptiſmus.

PRopitiatio diuina nos per baptiſmi gratiam à primi hominis reatu abſoluit, & de filiis perditionis filios fecit ſaluationis, & de filiis alienis filios fecit adoptionis, vnde etiam ſuperiùs dictum eſt. Sed quia poſt baptiſmum multa amiſimus, & in multis collapſi ſumus, & idem baptiſmus nullo pacto iterari poteſt; eadem propitia Diuinitas quoddam & ſaluberrimum pœnitentiæ nobis contulit remedium; ad quod nos per Propheticam & Euangelicam hortatur indifferẽter currere admonitionem: Clamat enim Iſaïas Propheta: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt; inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Et per Ezechielem Dominus ait: *Nolo mortem impij; ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* Item. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: Et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Item, *Peccator in quacumque die conuerſus fuerit; omnes iniquitates eius in obliuione erunt.* Et Salomon: *De perpetrato peccato noli eſſe ſine metu: Neque adijcias peccatum ſuper peccatum.* Item, *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Item, *Altiſſimus odio habet peccatores: Et miſertus eſt pœnitentibus.* Item, *Relinque peccata tua, & conuertere ad Dominum.* Item, *Filij peccaſti, ne adiicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi remittantur.* Et Dominus in Euangelio: *Pœnitentiam agite. Appropinquauit enim regnum cælorum.* Ioannes Baptiſta: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* Et Apoſtolus ait Paulus: *Ecce enim tempus acceptabile: Ecce enim nunc dies ſalutis.* Et Petrus: *Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Hieronymus in expoſitione Eccleſiaſtæ: *Ne impiè agas multùm, & noli eſſe ſtultus, cum morieris in tempore non tuo; cùm Dominus loquatur,*

Iſayæ 55. 6.
Ezech. 33. 11.
Ib. 18. 30.
Ibid. 33. 12
Eccli. 5. 5.
Ibid. 8.
Ibid. 12. 3.
Ibid. 17. 21
Ibid. 21. 1.
Matt. 3. 2.
2. *Cor.* 6. 2.
Act. 3. 19.

nolo

nolo mortem morientis tantùm, ſed vt reuertatur, & viuat. Semel peccaſſe ſufficiat. Debemus ergo nos erigere poſt ruinam. Si enim iuxta eos qui de Phyſicis diſputant, nouit hirundo pullos de ſucco oculare chelidoniæ, & dictamnum capræ expetunt vulneratæ, cur nos ignoramus medicinam propoſitam eſſe peccantibus? Auguſtiuus in libro Sermonum. [Scio ego, inquit, & mecum omnis homo qui paulò attentiùs conſiderauerit, neminem Dominum timentem ſub verbis eius non ſe corrigere, niſi qui putat quia plus habet viuere. Ipſa res eſt quæ multos occidit, cùm dicunt, Cras, cras; & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce coruina; quia non habuit gemitum columbinum, ſed corui vox eſt. Geme vt columbus, & tunde pectus; ſed plagas tibi dando, cæſus correctus eſto.] Et paulò poſt: [Dic mihi rogo te. Ecce ego conſentio, concedo, & cognoſco: Quia indulgentiam tibi promiſit Deus: Craſtinum enim diem quis tibi promiſit? Dic mihi vbi legis te indulgentiam acceptu-rum, ſi te non correxeris? Lege mihi quantum victurus ſis. Non lego, inquit. Neſcis ergo quantum victurus ſis. Correctus eſto & ſemper paratus. Noli timere diem vltimum, tamquam furem, qui te dormiente effodiat parietem; ſed vigila, & corrige hodie quæ differs in craſtinum.] De verbis Domini Serm. 16. cap. 11.

Gregorius in Homilia de nouem ordinibus Angelorum: [Sinum Dominus ſuæ pietatis aperit; nóſque in ſe recipere per pœnitentiam quærit: ſed pœnitentiam dignè agere non poſſumus, niſi modum quoque eiuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe vere agere eſt, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æſtibus anhelat? Aut quid prodeſt ſi iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabeſcat? Sed minus eſt valde quod dicimus; vt qui peccata deplorat, ploranda minimè committat: & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Nam cogitandum ſummopere eſt, vt qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere;] Exemplo Dauid nolentis aquam Homil. 34. poſt med.

Digitized by Google

Luc. 3. 8. Homil. 20. ante med.

bibere cum periculo ſuorum allatam. Item idem: [*Facite fructus dignos pœnitentiæ.* In quibus verbis notandum eſt; quòd amicus ſponſi non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos pœnitentiæ admonet facere: vt enim ſecundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur; ſciendum eſt, quia quiſquis illicicita nulla commiſit, huic iure conceditur vt licitis vtatur; ſícque pietatis opera faciat, vt tamen ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe, quod grauius eſt, in adulterium lapſus eſt, tantò à ſe licita debet abſcindere, quantò ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus eſſe boni operis debet eius qui minus, & eius qui amplius deliquit: aut eius qui in nullis, & eius qui in quibuſdam facinoribus cecidit: & eius qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergo quod dicitur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; vniuſcuiuſque conſcientia conuenitur, vt tantò maiora creſcant bonorum operum lucra per pœnitentiam; quantò grauiora ſibi intulit damna per culpam.] Item ipſe in Moralibus: [Omnis peccator in pœnitentia duplicem habere gemitum debet: Nimirum quia & bonum quod potuit, non fecit; & malum quod non debuit, fecit. Cùm in bona opera non adſurgimus, neceſſe eſt vt noſmetipſos dupliciter defleamus: quia & recta non fecimus, & praua operati ſumus.]

Multa ſiquidem & alia diuinæ ſcripturæ exiſtunt teſtimonia, quæ nos de perpetratis peccatis abſque dilatione conuerſionem ad Deum facere hortantur: Et per pœnitentiam diuinæ miſericordiæ indulgentiam nobis promereri poſſe pollicentur. Non eſt ergo paruipendenda pœnitentiæ medicina, quæ dum paruipenditur moribus, plus inualeſcens necem ægroto gignere comprobatur.

CAPVT X.

Quòd Pœnitentiæ modus in arbitrio Sacerdotum ſit conſtitutus.

QVia peccati vulnus, pœnitentiæ remedio ſanari valeat, ea quæ in præcedenti capitulo collecta ſunt, teſtantur; modus verò eiuſdem pœnitentiæ, tempúſque pœnitendi in arbitrio Sacerdotum, quibus ligandi atque

Digitized by Google

ſoluendi poteſtas eſt à Chriſto collata, eſt conſtitutus. Vnde ſcribit beatus Auguſtinus in libro Enchiridij: [Certa, inquit, conſtituuntur ab his qui *præſunt Eccleſiis tempora pœnitentiæ, vt fiat ſatis etiam Eccleſiæ; in qua remittuntur ipſa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ipſa namque Spiritum-ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur vlla peccata, ita vt quibus remittuntur, vitam conſequantur æternam.] Perrari namque ſunt hodie in Eccleſia, qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & auctoritas canonica ſancit. Quis namque criminis reus, qui vtique pœnitentiâ publicâ debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & à liminibus Eccleſiæ cætúque fidelium arcetur, & à Chriſti Corpore ſeparatur? Quis porrò in cinere, & cilicio, more pœnitentum antiquorum lamẽta pœnitudinis ſuſcipit?] Iſidorus quoque in libro ſententiarum: [Bene, inquit, in cilicio & cinere pœnitens deplorat peccatum: Quoniam in cilicio aſperitas, & cõpunctio peccatorum; in cinere autem puluis oſtenditur mortuorum: Et idcircò in vtroque pœnitentiam agimus; vt & in *punitione cilicij agnoſcamus vitia quæ per culpam commiſimus, & per fauillam cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando peruenimus.]

al. rectè

Cap. 65.

Lib. 2. Offic. ca. 16. ante med.

al. * compũctione.

Vnde colligitur quia Religionis noſtræ priſcis temporibus, dum quis ſecundum conſtitutum ſibi à Sacerdote vſquè ad ſatisfactionem cilicio indutus, & cinere conſperſus, habitu incultus, humíque proſtratus, lachrimíſque profuſus videbatur, ſtatim pœnitens agnoſcebatur, vt ei à Domino ignoſceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in cœtu Chriſtiano idcircò vix pœnitens agnoſcitur; quia pene nihil horum erga pœnitentes agitur. Quapropter credibile eſt, vt ſicut alia multa in Religione Chriſtiana viluerunt, ita quoque permiſſus pœnitentiæ modus, ab vſu, quod formidoloſum eſt, receſſerit. Et idcircò à multis diuerſa flagitia perpetrãtur audacter. Verùm etiam ſi quiſpiam noſtri temporis Chriſtianus hodie aut homicidium, aut aliquid aliud admiſerit; quia huiuſcemodi pœnitentiâ non plectitur; ideò cras conuentui fidelium irreuerenter ſe adiungere non veretur. Et ideo Eccleſiam, cui pœnitendo ſatisfacere debuit,

Digitized by Google

ſcandalizare conuincitur. Solent enim aut publicè, aut tacitè: intra ſe aduerſus huiuſmodi dicere: ô interfector! ô flagitioſe! heri illud & illud admiſiſti; & hodie collegio noſtro cum manibus ſanguine plenis te impudenter inſeris: & quod maioris eſt impudentiæ, nobiſcum participare non trepidas Corpus & Sanguinem Domini noſtri IESV CHRISTI? quod dico plus vſu, quàm voto expertus ſum.

Cùm igitur tempora pœnitentiæ idcircò ſint conſtituta, vt ſatisfaciat pœnitens Eccleſiæ, quam peccando læſit, neſcio vtrum ille pœnitẽtiam dignè agat, qui Eccleſiam, quam primùm peccando læſit; poſtea eam impudenti conſortio in ſui murmuratione, & detractione deuenire compellit. Hæc non de occultis, ſed de manifeſtis criminibus dicta ſunt, quæ dum publicè admittuntur, publicâ pœnitentiæ ſatisfactione diluantur neceſſe eſt.

Illud etiam minimè prætereundum eſt, quod quidam peccatorum ſuorum conſcij, imperitos animarum ſuarum medicos expetunt, vt ſibi ad votum ſuum pœnitentiæ tempora imponant; & peritos idcirco declinant, ne auſteriùs pœnitentiæ eos addicant. Si enim peritus medicus ad morbos corporis pellendos quæritur, quantò magis medicus animæ peritiſſimus quærendus eſt? Vt ergo artis medicinæ neſcius dum curare neſcit vulnus corporis, non illud minuit, ſed magis plerúmque incrementum ei addit: ita & imperitus medicus animarum, dum eorum languoribus mederi videri vult, quia his congrua medicamenta neſcit adhibere, eoſdem languores creditur incrementare. De talibus inquit Dominus per Prophetam: *Viuificabant animas quæ non viuebant: & mortificabant animas quæ non moriebantur.* *Ezech 13. 18.*

Sunt etiam plerique ſpiritales medici, qui medendi animarum vulnera habent ſcientiam, ſed aut amoris proprij, aut adulationis causâ errata, qui ſibi eorum confeſſionem peccatorum ſuorum faciunt, ſaluberrimæ pœnitentiæ rigore ferire refugiunt. De quibus rurſus Dominus per Prophetam: *Væ*, inquit, *his qui conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Hunc locum Papa Gregorius in libro Paſtorali ita exponit: Puluillus quippe ſub omni cubitu manus, eſt *Ibid.*

Digitized by Google

ponere cadentes à ſua rectitudine animas, atque in huiuſmodi ſe delectatione reclinantes blanda adulatione refouere: quaſi enim puluillo cubitus, vel ceruicalibus caput ponentis excipitur; cùm correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eíque mollities fauoris adhibetur, vt in errore molliter iaceat, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat. Hi autem qui imperitos adulatores animarum ſuarum medicos quærunt, vana ſecuritate ſe ipſos decipiunt. Ad hoc nempe tales quærere ſolent, vt in pœnitendo penè nihil afflictionis corpus eorum ſentiat: præſertim cùm præfatus Papa Gregorius dicat: caro læta nos traxit ad mortem, afflicta reducat ad veniam.

Porrò de abſtinentia cui quidam pœnitentes diſcretè & laudabiliter; quidam vero indiſcretè & negligenter ſe ſubdere ſolent, Proſperi ſententia hæc eſt. [Membra, inquit, ſua, quæ ſunt ſuper terram, mortificant, quando inſolens corpus ieiuniorum continuatione caſtigant; quando intra neceſſarium modum ſuum temperant appetitum: quando non ſolùm à delicatioribus cibis moderata diſtrictione ſuſpendunt; ſed etiam in ipſis communibus nihil carni ſuæ pro deſiderio, ſed pro ſuſtentandæ vitæ neceſſitate permittunt: certi quòd nec delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, officiunt; Et viles cibi plerúmque abſtinentiæ profectum, ſi appetenter accipiantur, impediunt. Hinc eſt quòd Sanctus Dauid aquæ * viſæ concupiſcentiam caſtigauit, & eam ſibi à ſuis oblatam, nè deſiderio ſuo ex ea ſatisfacere videretur, effudit. Et Sancto Heliæ perceptio carnium, quoniam non concupiuit, non nocuit. Vnde datur intelligi, quòd veraciter abſtinentes eſcarum non naturas, ſed concupiſcentias damnent: ac voluptates ſuas deſiderati cibi, vel potûs abuſione mortificent. Qui autem non ſolùm à qualitate, ſed etiam à quantitate ciborum cupiunt abſtinere, nihil aliud ſtudent, niſi vt quantum ſtomacho reficiendo ac fami eximendæ ſatis eſſe videtur, indulgeant; nec expleant ſuos appetitus auiditate percipiendi, ſed comprimant; atque eis non ſaturitas edendi finem faciat, ſed voluntas; * quia tam à cupiditate pretioſorum ciborum animos, quàm à perceptione animi continebunt vilium; qui cibis nec lautioribus

Lib. 2. de Vita contemp. ca. 22.

al. * in ſe

al. * qui

Digitized by Google

volunt, carne luxuriante diſſolui, nec diſtenſione ventris vilibus onerari; quando abſtinentes viri nec delitioſi ſoleant eſſe, nec auidi. Iam de vino abſtinendo vel percipiendo quid dicam? Vnde Sanctus Apoſtolus certam fixit regulam di-

Epheſ. 5. 18. cens: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quaſi diceret: Luxuriam facit & nutrit vini perceptio nimia, non natura; & propterea non vos vti vino, ſed inebriari prohibeo. Quandoquidem infirmum ſtomachum moderatus vſus vini confortat, ebrietas animum corpúſque debilitat. Denique Timotheo ſuo diſcipulo, qui ſe longa abſtinentiæ diſtrictione iam fregerat; & ſtomachum ſuum aquæ perceptione corru-

1. *Timot.* 5. 2. 3. perat, modico vino vti debere præcepit dicens: *Noli adhuc aquam bibere; ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* Ac per hoc nihil contra abſtinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, ſed tantùm pro corporis ſalute percipiunt: nec hoc eis offert voluntas, ſed permittit infirmitas: quæ ſi defuerit, à vino abſtinendum, ne vini perceptio, quæ infirmum ſuſtentat, ſanum corpus incendat: quoniam quidem vino vti, & vſui habere oleum nullus dixerit eſſe peccatum: ſed hæc ideo non debemus carni deſideranti præſtare, nè cùm illi licita concedere cœperimus, poſcat illicita: & ſibi obſequentes in minimis, in flagitia punienda compellat; ac naturali ordine perturbato, non ſpiritui corpus, ſed ſpiritus corpori dominanti deſeruiat.] Et poſt pauca: [Cæterùm ſi à quadrupedibus abſtinentes phaſianis* alitibus,* capris, atque pauonibus, vel aliis auibus pretioſis, aut piſcibus perfruantur; non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare; nec pro abſtinentia, ſed velut pro neſcio qua immunditia, vel certè, quod verius eſt, pro ſtomachi nauſeantis teneritudine delicias illas communes ac viles carnes abijcere, quò poſſint aliis non ſolùm carnibus, ſed etiam delicatioribus ac pretioſioribus ſuas voluptates explere: Cùm, ſicut ſupra iam patuit, non aliquarum carnium quæ vſui humano conceſſæ ſunt, nobis naturæ damnandæ ſint, quas Deus inſtituit; ſed carnales concupiſcentiæ fugiendæ, quas ſenſui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui parciores videri volunt, & gloriam ſibi velut de abſtinentiæ diſtrictione conquirunt,

Ibid. cap. 23. init. *al.* * altilibus.

* hæc deſunt in editis.

Digitized by Google

ſic ab omnibus animalibus iudicant temperandum, vt peregrinis pomis, ac* ſorbis poculis delicatis, cæteríſque aliis immanem ſui corporis impleant appetitum: Cùm ſpiritalis abſtinentia, non aliquorum ciborum vſum, ſed deſiderium ſuadeat compeſcendum. Et illi magis parſimoniæ ſeruire cenſendi ſunt; qui ſibi non aliquarum rerum perceptiones, ſed delectationes corporis interdicunt. Illi quoque qui negatâ ſibi vini perceptione, diuerſorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abſtinentiam videntur implere: Qui & ad hoc ſe fortaſſis à vino ſuſpendunt, vt mercentur ab hominibus laudem, & interdicti ſibi vini compenſant poculis ſuauioribus* voluptate.]

al. * ſorbitiunculis delicatis

al. * voluptatum.

Liquet igitur quia ad vulnera peccatorum ſananda, non indocti, & peccatis fauentes, ſed docti & ſpirituales medici ſint expetendi: & ad eorum arbitrium pœnitentiæ tempora humiliter ſubeunda: Et de capitalibus, manifeſtíſque peccatis publica ſit irretractabiliter agenda pœnitentia. De menſura verò atque perceptione cibi & potus, pœnitentibus, qui rigore abſtinentiæ corpora ſua diſcretè domare ſtatuunt, ſupra notata Proſperi ſententia conſultò eſt ſequenda. Decet quippe vt cùm quis pœnitentiæ mancipatur, ita corpus ſuum ieiuniorum continuatione, vigiliarum & orationum aſſiduitate, ceterarúmque Sanctarum virtutum exercitatione domare ſtudeat, vt meritò cum Pſalmiſta dicere valeat: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea.* *Pſal. 62. 2*

CAPVT XI.

Quòd ad Eccleſiam orandi gratiâ frequenter conueniri debeat.

QVIA moderno tempore Chriſtiani populi deuotio & deuotione plebium fidelium, quæ ſub Apoſtolis extitit, longè ſit impar, in vltimo Libelli huius capitulo breuiter commemorabitur. Procul nempe quorumdam Chriſtianorum deuotio, ſicut & in nonnullis aliis, ita & in eo

Digitized by Google

quòd ad Eccleſiam tepidè conueniunt, ab illius plebis religioſa deuotione diſtat: Verum ſicut ſunt plerique, qui pio religioſóque ſtudio orandi gratiâ Eccleſiam ſæpiſſimè frequentant, ita è contrario exiſtunt quidam, qui licet è vicino habeant Baſilicam, id tamen perrarò, quod emendatione dignum eſt, faciunt. Vt ergo Templa diuinis cultibus mancipata frequenter adiri, ibíque Deum conſtanter & deuotè oporteat inuocari, diuinæ Scripturæ teſtimonia ſubtus collecta teſtantur. Legitur itaque in libro Paralipomenon: *Apparuit nocte Dominus Salomoni & ait: Audiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij, &c.* Et paulò poſt: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit: elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum; & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus:* Et in Euangelio Lucæ: *Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis & ferebatur in cœlum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno. Et erant ſemper in Templo laudantes, & benedicentes Dominum.* Et in Actibus Apoſtolorum: *Erant autem*, inquit, *perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, communicatione fractioni panis, & orationibus.* Et paulò poſt: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis; collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Item ibi: *Petrus & Ioannes aſcenderunt in Templum ad horam orationis nonam.* Origenes quoque in Homilia de Rebecca: *Vereor*, inquit, *ne ſitis matri veſtræ Eccleſiæ adhuc in triſtitia & gemitu;* Cùm non conuenitis ad audiendum verbum Dei: Et vix feſtis diebus ad Eccleſiam proceditis; & hoc non tam deſiderio verbi quàm ſtudio ſolemnitatis, & publicæ quodammodo remiſſionis obtentu. Quid igitur ego faciam cui diſpenſatio verbi credita eſt, vbi vel quando verum tempus inueniam: plurimum ex hoc imò penè totum mundanis occupationibus tenetis; in foro aliud; & aliud in negotiatione conſumitis; aliud litibus vacat, & ad audiendum verbum Dei nemo, aut pauci admodum vacant.

2. *Paralip.* 12.

Lucæ 24. 52.

Act. 2. 42.

Ibid. 46.

Ibid. 3. 1.

Sed quid vos de occupationibus culpo, quid de abſentibus conqueror, præſentes etiam in Eccleſia poſiti non eſtis intenti;

Digitized by Google

intenti; ſed communes & ex vſu fabulas tenetis, & verbo Dei vel lectionibus diuinis terga conuertitis: Vereor ne & vobis dicatur à Domino. *Conuerterunt ad me dorſa, & non facies ſuas.* Et poſt aliqua, in eadem: Dicite mihi vos qui tantummodò feſtis diebus ad Eccleſiam conuenitis; cæteri dies non ſunt feſti? non ſunt dies Domini? Iudæorum eſt, dies certos & raros obſeruare ſolemnes. Et ideò ad eos dicit Dominus: *Quia neomenias veſtras, & ſabbata, & diem magnum non ſuſtineo. Ieiunium, & ferias, & dies feſtos veſtros odit anima mea.* Odit ergo Deus eos, qui vna die putant eſſe feſtum Domini.] Quia ergo Chriſtiani inſtar Templi Ieroſolymitani, vbi ſanguis brutorum animalium effundebatur, Baſilicas in honore & amore Dei conſtruunt, vbi non iam ſanguis taurorum effunditur, ſed corpus & ſanguis Chriſti conficitur, & à fidelibus percipitur: & Deus tam euidentibus oraculis loca nomini ſuo dicata inhabitare, ibíque ſupplicum preces ſe exaudire polliceri dignatur: & Pontifices ſub tanta inuocatione eas Deo dedicant; vt omnes qui illuc deprecaturi conueniunt, de quacumque tribulatione ad eum clamauerint, conſolationis eius beneficia conſequantur: oportet vt fideles remoto negligentiæ tempore huiuſcemodi loca ad Deum exorandum, ſibíque propitium faciendum frequenter ac deuotè adeant; dignóſque ſe aſpectibus Angelorum, quorum conuentus ibi minimè adeſſe dubitatur, exhibeant.

Hier. 12. Homil. 10 in Gen. med.

Iſaiæ. 1. 13.

Quòd ſi etiam memoratum Templum, in quo pecudes mactabantur, tanta veneratione habebatur, vt ad illud non ſolùm Iudæi diuinæ legis notitiam habentes, verùm etiam nationes à teſtamento Dei longè remotæ orandi gratiâ concurrerent; Sicut habetur in Actibus Apoſtolorum de viro Æthiopiæ Eunucho, qui venerat adorare in Ieruſalem, & reuertebatur; & à Philippo catechizatus, & baptizatus eſt. Quantò magis Templa Chriſti, vbi eius Caro & Sanguis immolatur, à fidelibus ſunt religioſis obſequiis veneranda, & aſſiduis precibus inexcuſabiliter frequentanda? Non igitur ſicut ſe habet quorumdam reprehendenda & emendanda conſuetudo, propter ædiculas quas ſibi ad votum ſuum conſtruunt, ibíque Deo ſacrificium offerri poſſe & debere

Act. 8. 26.

Digitized by Google

contendunt, Templa per Sacerdotum myſteria nomini diuino dicata penitus ſunt negligenda ac relinquenda: præ-
Deut. 12. 6. ſertim cùm Dominus dicat in lege: *Ad locum quem elegerit Dominus Deus de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in illo loco holocauſta,*
Ibid. 13. *ac victimas veſtras.* Et poſt pauca: *Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris; ſed in eo quem elegerit Dominus in*
Cap. 58. *vna tribuum tuarum.* Et in ſacris Canonibus, in Concilio ſcilicet Laodicenſi ſit inſtitutum: *Quòd non oporteat in domibus oblationes ab Epiſcopis, & Presbyteris fieri.*

CAPVT XII.

De inſtantia orationis.

REligioſæ deuotioni orationis à multis vt oporteret, & vt exempla Sanctorum antiquorum Patrum docent, non inſiſtitur: quorumdam etiam orationis intentio terrenarum rerum curis, & illicitis cogitationibus miſerabiliter præpeditur. Quod cùm ita ſit, quantò in oratione acriùs aduerſitatibus mundi concutimur, & cogitationum carnalium grauiores tumultus patimur, tantò ardentius orationi, & vehementius inſiſtere debemus. Inſtantia quippe orationis auxilium nobis tribuit in aduerſis; quoniam vbi non ſufficit humanum, neceſſe eſt vt impleretur orationibus diuinum auxilium.

Quantum autem orationi inſiſtendum ſit, ſequentia do-
Pſal. 6. 7. cent. Ait enim Pſalmiſta: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Exiſtunt & alia eiuſdem Pſalmographi de orationis vſu iugiter habendo plura documenta; quæ hic prolixitatis causâ non ponun-
Eccli. 18. 22. tur. Habes & in libro Eccleſiaſtico: *Ne impediaris,* inquit, *orare ſemper: Et ne verearis vſque ad mortem iuſtificari: quia mer-*
Ibid. 23. *ces Domini manet in æternum. Ante orationem præpara animam*
Ibid. 35. 1. *tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Qui conſeruat legem, multiplicat orationem. Precationem læſi exaudiet Dominus.*
Ibid. 21. *Oratio cum humilitate, ſuper nubes penetrabit.* Dominus quo-

Digitized by Google

que in Euangelio ait: *Oportet ſemper & orare, & non deficere.* *Luce* 18.1
Et alibi: *Petite & dabitur, quærite & inuenietis. Pulſate &* *Matt.* 7.
aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit inue- 7.
nit: Et pulſanti aperietur. Item: *Vigilate itaque omni tempore;* *Luce* 21.
vt digni habeamini effugere iſta omnia quæ futura ſunt, & adſtare 26.
ante filium hominis. Et Apoſtolus: *Semper gaudete: ſine inter-* 1. *Theſ.* 5.
miſſione orate: in omnibus gratias agite. Item idem: *Orationi* 17.
inſtate vigilantes in ea. Item idem: *Dominus in proximo eſt: nihil* *Coloſſ.* 4.2
ſolliciti ſitis. Sed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum *Philip.* 4.
actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et Petrus: 6.
Eſtote, inquit, *prudentes & vigilate in orationibus.* Iſidorus in 1. *Pet.* 4.
libro ſententiarum: Orationibus mundamur, lectionibus in- 7.
ſtruimur; vtrumque bonum eſt ſi liceat; ſi non liceat, meliùs
eſt orare, quàm legere; quia in lectionibus agnoſcimus quid
facere debeamus, & in orationibus eadem accipimus quæ
poſtulamus. Hieronymus ad Euſtochium: [Quamquam *Epiſt.* 22.
Apoſtolus ſemper orare nos iubeat; & Sanctis etiam ipſe *ſub finem.*
ſomnus oratio ſit, tamen diuiſas orandi horas habere de-
bemus; vt ſi fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos
ad officium tempus admoneat: horam tertiam, ſextam, no-
nam, diluculum quoque & veſperam, nemo eſt qui neſciat.
Nec cibus ante ſumatur niſi oratione præmiſſa: nec recedatur à menſa niſi referantur gratiæ Creatori. Bis, térque ſurgendum: reuoluenda de ſcripturis quæ memoriter tenemus. Item Iſidorus: ſicut enim militi ſine armis ad bellum exire non conuenit; ita omni Chriſtiano procedere quolibet ſine oratione non expedit. [Hoc eſt remedium eius qui vitiorum temperamentis exæſtuat, vt quoties quolibet impugnatur vitio, toties* in oratione ſubdatur; quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Tam perſeueranter intendere oportet animum noſtrum orando atque pulſando, quouſque importunas deſideriorum carnalium ſuggeſtiones, quæ noſtris ſubrepunt ſenſibus, fortiſſima intentione ſuperemus: ac tamdiu inſiſtere, quamdiu exurgendo vincamus.] Et paulò poſt. [Oratio cordis eſt, non labiorum: neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit. Quod ſi tacitè cor oret, & vox ſileat, quamuis hominem lateat, Deum latere non poteſt, qui conſcientiæ

Hæc quæ ſequntur verba vſque ad, hoc eſt remedium, non extãt apud Iſidor. loco infra citato. Iſidor. Sent. lib. 3. cap. 7. init.

al. * ad orationẽ ſe cõuertat. Ibid.

Digitized by Google

præſens eſt. Meliùs eſt cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis, ſine intuitu mentis. Numquam eſt ſine gemitu orandum; nam peccatorum recordatio mœrorem gignit: Dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus; & magis reos tunc nos eſſe cognoſcimus. Ideóque cùm Deo adſiſtimus, gemere & flere debemus; reminiſcentes, qnàm grauia ſint ſcelera quæ commiſimus; quámque dira inferni ſupplicia quæ timemus.]

Porrò ſunt nonnulli qui orationi frequenter inſiſtunt, & à cæteris bonis operibus vacant; quibus neceſſe eſt vt orationi cœterarúmque virtutum adiungant operationem. Sunt è contrario qui aliis bonis operibus inſeruiunt, & aſſiduè orationis vſum negligunt: quibus etiam conuenit vt aliis bonis operibus orationem quoque aſſiduam adnectant.

Thren. 9. 41. Ait autem Ieremias Propheta: *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.* Quod Iſidorus ita exponit: [Cor, inquit, cum manibus leuat, qui orationem cum opere ſubleuat. Nam quiſquis orat, & non operatur, cor leuat, & manus non leuat. Quiſquis verò operatur, & non orat; manus leuat, & cor non leuat. Sed quia operari neceſſe eſt & orare, bene iuxta vtrumque dictum eſt: *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum.*]

Ibid vbi ſuprà in med.

Quia ergo Saluator noſter non ſolùm formam orationis, ſed inſtantiam, frequentiámque tradidit orandi; oportet vt importunitatem illius viduæ iudicem iniquum crebris vocibus interpellantis, nec-non & illius amici oſtium amici ſui conſtanter pulſantis; tréſque ſibi panes commodari petentis, quos nobis exempli gratia ad inſtantiam orandi, ſéque iugiter humilitérque deprecandi exhibuit imitantes; eundem Dominum & Saluatorem noſtrum remoto torpóre deſidiæ iugiter exoremus; vt ſcilicet à cunctis erratibus noſtris nos abſoluat, & æternæ patriæ participes efficiat.

Luce 11. 5.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Quòd in Eccleſia Dei non ſit otioſis, turpibúſque fabulis vacandum. Et quòd qui hæc faciunt, non ſolùm ſibi peccatum non minuant, ſed etiam maiora accumulent.

MVLTI Eccleſiam ingreſſi, non ad Deum puram ſimplicémque orationem dirigunt: quoniam quod ore precantur, hoc etiam mente non meditantur. De talibus Beda in homilia 17. Euangelij. [Sunt, inquit, qui intrant in Eccleſiam, multis pſalmodiam, vel orationem ſermonibus prolongant, ſed alibi corde intendendo nec ipſi quid dicant, recolunt: ore quidem orantes, ſed mente foris vagantes, omni ſe orationis fructu priuant putantes à Deo precem exaudiri; quam nec ipſi qui fundunt, audiunt, quod antiqui hoſtis inſtinctu fieri nemo eſt qui animaduertere nequeat. Sciens autem vtilitatem orandi, & hominibus inuidens gratiam impetrandi, immittit orantibus multimoda cogitationum leuium; & aliquando etiam turpium nocentiúmque phantaſmata, quibus orationem impediat; adeò vt non numquam tales tantóſque diſcurrentium cogitationum fluctus proſtrati in oratione toleremus.] Sunt itaque plerique quibus potiùs cordi eſt vanis & obſcænis confabulationibus vacare, quàm lectionibus diuinis aurem accommodare; quibus etiam nuſquam tam delectabile videtur eſſe conſiliarij ſuſurationes aliorum auribus ingerere, cachinnis ora diſſoluere, quàm in Eccleſia Dei, vbi eum humiliter deuotéque debuerunt inuocare, & peccata ſua deflere: ſed & hoc eiuſdem hoſtis antiqui inſtinctu fieri dubium non eſt.

dominica 2. in Quadrageſima, ſub finem.

Quòd autem domus Dei non ſit huiuſcemodi illicitarum actionum, ſed potiùs orationum, Dominus docet in Euangelio dicens: *Domus mea, domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Origenes quoque vbi de velamine Moyſi ſcribit, ita dicit: [Dicendum nobis priùs eſt quid ſit homo auerſus à Domino; vt ſcire poſſimus quid ſit conuer-

Luce 19. 46.

In cap. 34. Exo. hom. 12. poſt init.

Digitized by Google

ſus. Omnis qui cùm recitantur verba legis, communibus fabulis occupatur, auerſus eſt. Omnis qui cùm legitur Moyſes, de negotiis ſæculi, de pecunia, de lucris, ſollicitudinem gerit, auerſus eſt. Omnis qui poſſeſſionum curis ſtringitur, & diuitiarum cupiditate diſtenditur, qui gloriatur ſæculo, & mundi honoribus ſtudet, auerſus eſt. Sed alius qui ab his quidem videtur alienus, aſſiſtit autem & audit verba legis, & vultu atque oculis intentus, corde tamen & cogitationibus * euagatus, auerſus eſt. Quid ergo eſt conuerti? Si his omnibus terga vertitis, & ſtudio ac mentis ſollicitudine verbo Dei operam detis, in lege eius die ac nocte meditemini: hoc eſt conuerſum eſſe ad Dominum. Aliqui veſtrum, vt recitari audierint quæ leguntur, ſtatim diſcedunt, nulla ex his quæ lecta ſunt inquiſitio adinuicem, nulla collatio, nuſquam memoria mandati illius, quo te diuina lex commonet: Interroga Patres tuos & dicent tibi, preſbyteros tuos & annuntiabunt tibi. Alij ne hoc ipſum quidem patienter expectant, quòd lectiones in Eccleſia recitentur. Alij verò nec ſi recitentur ſciunt, ſed in remotioribus Dominicæ domus locis, ſæcularibus fabulis occupantur. De quibus ego auſus ſum dicere, quia cùm legitur Moyſes, iam non velamen ſuper cor eorum, ſed pariçs quidam & murus eſt poſitus.]

al. * euagatur.

* Ibid. paulò pòſt.

De tempore ſermo 214. ante med.

Auguſtinus in homiliis ad populum: [Quando conuenitis, inquit, ad Eccleſiam pro peccatis veſtris orate; Nolite ſcandala concitare, aut otioſas fabulas dicere. In Eccleſia ſtantes nolite * verboſare, ſed ſacras ſcripturas patienter audire. Qui enim in Eccleſia verba vana locutus fuerit, & pro aliis rationem redditurus eſt in die iudicij, quia verbum Dei nec ipſe audit, nec alios audire permittit.] Item idem: [Plures ſunt de quorum perditione nimiùm contriſtor; illos dico qui venientes ad Eccleſiam magis litigare cupiunt quàm orare. Et quando lectiones diuinas debent in Eccleſia intentis auribus & tota pietate ſuſcipere, tunc foris cauſas dicere, & diuerſis ſtudent calumniis impugnare; aliquando etiam, quod peius eſt, aliqui nimium iracundia ſuccenduntur, amariſſimè rixantur, & turpiter ſibi conuitia, & crimina, & calcibus & pugnis inuicem colliduntur. Meliùs enim fuerat talibus ad Eccleſiam non venire, quàm tot malis contra ſe di-

al. * verboſari.

Digitized by Google

tinam iram prouocare. Iſti enim etſi cum minoribus peccatis ad Eccleſiam veniunt, cum multis criminibus de Eccleſia reuertuntur.] Item idem: [Sunt namque aliqui qui in natalitiis Sanctorum, aut in qualibet feſtiuitate, cauſas aut dicere, aut audire volunt; &, quod peius eſt, non pro veritate, ſed pro auaritia & cupiditate. Debent enim cauſas dicere, & cum iuſtitia deliberare; ſed aliis diebus, alio tempore, non in Sanctorum ſolemnitate, quãdo omnes homines magis debent Deo vacare, quàm ſe diuerſis litibus impugnare.] Item idem: [Quando ad Eccleſiam conuenitis, nolite vos talibus fabulis occupare, vnde poſſitis peccata acquirere. Nolite vos occupare ad litigandum, ſed potiùs ad orandum, vt non rixando Deum offendere, ſed ſupplicando gratiam ipſius poſſitis acquirere.] Beda in homilia Euãgelij vigeſima. [*Cùm feciſſet Dominus quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Quid ergo fratres mei quid putatis faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos, qui hoſtias quæ ſibi immolarentur, ementes in Templo eliminare feſtinauit? Hæc propter illos diximus, qui Eccleſiam ingreſſi non ſolùm intentionem orandi negligunt, verum etiam ea pro quibus orare debuerant, augent. Inſuper & arguentes ſe pro huiuſmodi ſtultitia conuitiis, odiíſque vel detractionibus inſequuntur: addentes videlicet peccata peccatis, & quaſi funem ſibi longiſſimum incautè eorum augmentationem texentes, nec timentes ex eo diſtricti iudicis examinatione damnari.] Et paulò pòſt: [Vnde multũ tremenda ſunt hæc, dilectiſſimi, & digno expaueſcenda timore, ſeduláque præcauendum induſtriâ, ne veniens improuiſus peruerſum quid immeritò nobis vnde flagellari, ac de Eccleſia eiici debeamus, inueniat, & maximè in illa quæ ſpecialiter domus orationis vocatur. Obſeruandum ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis audiamus ab Apoſtolo: *Numquid domos non habetis ad agenda vel loquenda temporalia, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Item idem in eadem. *Zelus domus tuæ comedit me.* Zelemus & nos, fratres chariſſimi, donum Dei, quantum poſſumus, ne quid in ea prauum geratur inſiſtamus, ſi viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, ſu-

Beda cap. 2. in Euãg. Ioan. to. 5.

Ioan. 2. 15.

1. *Cor.* 11. 22.

Ioan. 2. 18.

Digitized by Google

perbia tumidum, ſi detractionibus aſſuetum, ſi ebrietati ſeruientem, ſi luxuriæ neruatum, ſi iracundiâ turbidum, ſi alio cuiquam vitio ſubſtratum: ſtudeamus in quantum facultas ſuppetit, caſtigare, polluta ac peruerſa corrigere: Et ſi quid de talibus emendare nequimus, non ſine acerrimo mentis ſuſtinere dolore: & maximè in ipſa domo orationis, vbi corpus Domini conſecratur; vbi Angelorum præſentia ſemper adeſſe non dubitatur, ne quid ineptum, ne quid noſtram, ſiue fraternam orationem impediat, totis viribus agamus.]

Apoſtolus namque omnibus Chriſtianis ſtultiloquium, & ſcurrilitatem penitùs cauendam eſſe decernit: quibus magis conuenit lugere, quàm ridere, iuxta illud Euangelicum: *Matt. 5. 5.* *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quapropter ſummopere omnibus fidelibus procurandum eſt, vt nihil in Eccleſia inhoneſtum, aut cogitatione, aut dicto, aut facto gerant; ne fortè peccatis, pro quibus abſoluendis confluxerant, peccata accumulantes, non abſolutionem peccatorum acquirant; ſed magis funes, quibus quodammodo ligentur, ſibi accumulent.

CAPVT XIV.

Quod & in aliis competentibus locis, ſi locus Baſilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & Confeſſio peccatorum fieri poſſit & debeat.

SICVT ſunt nonnulli qui orandi gratiâ Eccleſiæ limina frequentare negligunt, ita è contrario exiſtunt plerique, qui pro eo quòd Baſilicas adire nequeunt, & Reliquias ſanctorum præſto non habent, idcirco vota precum ſuarum ad Dominum, vt oporteret, ſupplici deuotione non fundunt: non animaduertentes, quòd Deus non ſit minus in parte, quàm in toto; ſed vbique totus vbique præſens, vbique mirabilis: Vnde ait Pſalmiſta: *Quò ibo à ſpiritu tuo; & à facie tua quò fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Item: *In omni loco dominationis eius* *Pſal. 138. 7.* *102. 22.*

benedic

benedic anima mea Domino. Legitur itaque in libro Regum: *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos per viam, quocumque miſeris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegiſti, & contra domum quam ædificaui nomini tuo: & exaudies in cœlo orationem eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum. Quòd ſi peccauerint, non eſt enim homo qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum ſuorum longè vel propè; & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captiuitatis, & conuerſi deprecati te fuerint in captiuitate ſua, dicentes: peccauimus, iniquè egimus, impiè geſſimus. Et reuerſi fuerint ad te in vniuerſo corde ſuo, & tota anima ſua in terra inimicorum ſuorum, ad quam captiui ducti ſunt, & adorauerint te contra viam terræ ſuæ, quam dediſti patribus eorum, & ciuitatis quam elegiſti, & templi quod ædificaui nomini tuo: exaudies in cœlo, in firmamento ſolij tui orationem eorum & preces; & facies iudicium eorum.* Et in libro Danielis. *Quod cùm Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat; confitebatúrque Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat.* Apoſtolus quoque ait: *Volo igitur viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* Hieronymus ad Euſtochium: [Egredientes hoſpitium armet oratio: regredientibus de platea oratio occurrat antequam ſeſſio. Nec priùs corpuſculum requieſcat, quàm anima verbo Dei paſcatur. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat crucem.

3. Reg. 8. 44.

Dan. 6. 10.

Ep. 22. ſub finem.

Ioannes os aureum: Quando, inquit, accubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris, antequam veniat tibi ſomnus profer in medio codicem conſcientiam tuam; reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo, ſeu in facto, vel in cogitatione peccaſti: Hæc enim dicit Propheta: *Iraſcimini, & nolite peccare quæ dicitis in cordibus veſtris: & in cubilibus veſtris compungimini.* Per diem non habuiſti tempus, ſed obſeruaſti iudicia tua; & iniunctum negotium, & confabulatio amicorum, & domeſtica neceſſitas, & filiorum cura, & coniugis ſollicitudo, & militiæ timor, & mille circumdederunt cauſæ. Quando in lectulum tuum veneris vt ſopori membra concedas, ad tranquillum portum nemo tibi mo-

Pſal. 4. 5.

Digitized by Google

leſtus eſt, nemo pulſat: Dicito in corde tuo & animæ tuæ: Expendimus diem, ô anima, quid boni fecimus? aut quid mali operati ſumus? Et ſi quid boni feciſti, gratias age Deo tuo; ſi quid verò mali, de cætero ne facias: & reminiſcens peccatorum tuorum effunde lachrymas, & poteris in lectulo tuo poſitus ea delere. Roga Dominum tuum, & ſic permitte animam tuam ſoporare. His & cæteris ſanctæ Scripturæ innumeris teſtimoniis apertè demonſtratur, ſi Baſilica prope fuerit, & poſſibilitas permiſerit, in Baſilica; ſin autem procul fuerit, vbique Deum pro peccatis exorandum, eíque confeſſionem peccatorum faciendam, ſupernorúmque ciuium, quorum virtus apud Altiſſimum magna eſt, ſuffragia depoſcenda.

CAPVT XV.

Quòd Confeßio peccatorum, exceptâ eâ quæ ſacerdotibus ad conſilium accipiendum Deúmque placandum fit, Deo in oratione ſit facienda.

FIDELES ideircò peccata ſua ſacerdotibus confitentur; quoniam illis poteſtas eſt à Domino collata ligandi atque ſoluendi. Ad quorum etiam iudicium, pœnitentiæ tempora ſubeunt. Quod vero pœnitentia prolixitate temporis non ſit penſanda, ſed contritione cordis, pœnitentia Dauid, & cæterorum ſanctorum pœnitentum in promptu eſt. Quamquam autem peccata ſua quiſpiam ſacerdoti confiteatur, & ad eius conſilium tempora pœnitentiæ peragat: in oratione tamen Deo, quem ſibi peccando iratum fecit, peccata ſua confiteri, & ab eo contrito corde, & lacrymoſis ſuſpiriis veniam ſibi depoſcere debet. Tunc enim peccator rectè Deo dicere poteſt; *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele*, Cùm peccata ſua pœnitendo & deflendo coram ſe ponit iuxta illud Pſalmiſtæ: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Et illud. *Conuerſus ſum in ærumnæ meæ dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & iuſtitias meas non abſcondi. Dixi confitebor aduerſum me iniuſti-*

Pſal. 50. 11.

Ibid. 5.

Pſal. 31. 4.

Digitized by Google

viam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et item. *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet.* Et Salomon quoque ait: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem conuerſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Ioannes Apoſtolus ait: *Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni peccato.* Ioannes os aureum: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* O mentis integritas! Non eſt oblitus peccati ſui, & iniquitatis, quamuis conceſſum ſibi fuerit: ille tamen in conſcientia ſua tanquam in imagine adulterium & homicidium depictum habebat, & per ſingulos dies videbat putredinem, ideò dicebat; *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Ego illud video, tu Domine conſideras. Ego illud ſcribo, tu quaſi Dominus dele. Vide enim quid ſit: ſi tu memor ſis, Deus non erit memor; ſi tu eius oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Nec enim ſi non dixeris: ignorat ea Deus. Numquid à te vult ea cognoſcere? cùm faciebas ea, præſto erat: cùm admitteres, nouerat. Peccare non erubuiſti, & confiteri erubeſcis? Dicito in hac vita, vt in illo requiem habeas. Dicito ingemiſcens & lacrymans. In codice ſcripta ſunt peccata tua: ſpongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ ſunt. Grandis enim virtus. Dicant ibi quid valeant lacrymæ. Quid martyribus magis, qui animam ſuam ponunt pro amico ſuo? Grandis gloria martyrum. Martyres effundunt ſanguinem. Peccatores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit, & deleuit peccata ſua. Et quid dicam de meretrice, & immunda muliere, columna Eccleſiæ, & fundamentum fidei, primus Apoſtolus Petrus ad ancillulæ viliſſimæ mulierculæ interrogationem tertiò negauit Deum: Numquid ſanguinem fudit? Nonne amarè profudit lacrymas, & abſtulit peccatum ſuum, & recepit priſtinam dignitatem? Habeto codicem conſcientiam tuam, & ſcribe peccata quotidiana.

Pſal. 36. 5. *Prou.* 28. 13. 1. *Ioa.* 1. 9. *Pſal.* 50. 5.

Præmiſſa igitur ſaluberrima teſtimonia indicant, quòd exceptâ confeſſione, quæ ſacerdotibus abſque cunctatione fieri debent, vnicuique in oratione Deo ſua iugiter ſint confitenda peccata; & gemitibus & lacrymis abluenda. Si

quis autem curiosè ſcire voluerit, vbi in nouo Teſtamento legatur, quòd peccatores ſacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum facere debeant, audiant quod ſecundum Marci Euangeliſtæ teſtimonium, qui à Ioanne baptizabantur, peccata ſua confitebantur. Audiant autem quòd prædicante Paulo Epheſiis, *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Et in Epiſtola Ioannis Apoſtoli: *Si autem confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata.* Item in Epiſtola Iacobi Apoſtoli: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini.*

Marc. 15.

Act. 19. 18

1. *Ioan.* 1. 9.

Iac. 5. 16.

CAPVT XVI.

De eo quod maiora peccata Sacerdoti; quotidiana verò & leuia, alterutrum ſint manifeſtanda.

Conſulefis animaduerſiones ad lib. Lanfranci de celanda confeſſione. pag. 383. B. 2.

MORIS eſt Eccleſiæ de grauioribus peccatis ſacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confeſſionem facere; de quotidianis verò & leuibus quibuſque. Perrari ſunt qui inuicem confeſſionem faciant, exceptis Monachis, qui id quotidie faciunt. Quòd verò de leuibus & quotidianis peccatis Confeſſio mutua fieri debeat, ſequentia manifeſtant. Ieſus filius Sirach dixit: *Non confundaris confiteri peccata tua.* Et alibi: *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.* Et Dominus in Euangelio: *Arcta & anguſta eſt via quæ ducit ad vitam:* hoc eſt peccatorum confeſſio. Iacobus Apoſtolus ait: *Confitemini alterutrum peccata veſtra: & orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Hunc locum Beda Venerabilis Preſbyter ita exponit: [In hac ſententia illa debet eſſe diſcretio, vt quotidiana leuiáque peccata alterutrum, coæqualibus confiteamur, eorúmque quotidiana credamus oratione ſaluari. Porrò grauioris lepræ immunditiam, iuxta legem, ſacerdoti pandamus; atque ad eius arbitrium qualiter, & quanto tempore iuſſerit, purificare curemus.] Hieronymus in expoſitione Eccleſiaſtæ: [Si quem ſanè ſerpens diabolus occultè momorderit, & eum nullo conſcio peccati veneno infecerit: ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit

Eccl. 4. 31.

Prou. 18. 17.

Matt. 7. 14.

Iacob. 5. 16.

In cap. 5. Iac. epiſt.

In expoſ. c. 10.

pœnitentiam, neque vulnus ſuum fratri, & magiſtro voluerit confiteri. Magiſter & frater qui linguam habent ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.] Item in expoſitione Prouerbiorum: [*Os impiorum operit iniquitatem.* Impij ſunt qui vulnera ſua vel proximorum errata, ne ad ſanitatem perueniant, defendendo contegunt, quod execrans Propheta Dominum orat, vt non declinet cor ſuum in verbum malum ad excuſandas excuſationes in peccatis.] Idem ex comment. in c. 10. v. 11. *Prou.* 10. v. 11. *Pſ.* 104. 4.

Gregorius in homiliis: [Humilitatis teſtimonia ſunt, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce Confeſſionis aperire. Vſitatum humani generis vitium eſt, & labendo peccatum committere, & commiſſum non confitendo prodere; ſed negando defendere, atque conuictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapſu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus: ex quo ipſam radicem traximus culpæ. Ad hoc primus homo requiſitus fuerat, vt peccatum, quod tranſgrediendo commiſerat, confitendo deleret: & interrogatus vbi eſſet, vt perpetratam culpam confitendo cognoſceret, & quàm longè à conditoris ſui facie abeſſet.] Habetur quid ſimile in 3. Pſ. pœnit. v. 4.

* [Indicia veræ confeſſionis ſunt, ſi cùm quiſque ſe peccatorem dicit, id de ſe dicenti etiam alteri non contradicit. Scriptum eſt: *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.* Non magis peccator ſed iuſtus videri appetit, cùm peccatorem ſe quiſque nullo arguente confitetur.] *Moral. l. 22. c. 10. *Prou.* 18. 17.

Et poſt pauca: [Curandum ſummopere eſt, vt mala quæ fecimus, & ſponte fateamur, & hæc aliis arguentibus non negemus. Superbiæ quippe vitium eſt, vt quod ſe fateri quiſque quaſi ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab aliis dedignetur.] Ibid.

Pignus debitoris eſt, confeſſio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cùm à peccatore iam confeſſio peccati tenetur. Origenes in Leuitici libri expoſitione: [Si peccauerit, inquit, vnum aliquid de iſtis, pronuntiet peccatum ſuum quod peccauit. Eſt aliquid in hoc mirabile ſecretum, quod iubet pronuntiare peccatum: Etenim omni genere pronuntianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus, ſi quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel Origen. in cap. 3. Leuit. hom. 3. med.

etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari: proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt & incentor. Ipſe enim nec nos vt peccemus inſtigat; ipſe etiam cùm peccauerimus accuſat. Si ergo in hac vita præueniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores, nequitias diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus: ſic enim & alibi Propheta dicit: *Dic tu,* inquit, *iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris.* Nonne euidenter myſterium quod tractamus oſtendit, cùm dicit: *Dic tu prior*: Vt oſtendat tibi quia præuenire illum debeas, qui paratus eſt ad accuſandum: Tu ergo, inquit, dic prior; ne te ille præueniat. Qui ſi prior dixeris, & ſacrificium pœnitentiæ obtuleris, & tradideris carnem tuam in interitum, vt ſpiritus ſaluus fiat in diem Domini. Dicetur & tibi, quia recepiſti in vita tua mala tua, nunc verò requieſce hîc.] Ille enim qui non ſponte compungitur, ſed alio arguente conuincitur, difficilius remedium conſequitur.

Eſai. 43.

1. *Cor.* 5. 5.

Luc. 16. 25.

His documentis colligi poteſt; quòd ſicut quotidie in multis offendimus; ita quotidie de admiſſis confeſſionem alterutrum facere, & orationibus, & elemoſynis, & humilitate, & contritione cordis & corporis ea debemus purgare.

CAPVT XVII.

De cogitationibus immundis cauendis: & quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere.

SICVT ſunt plerique qui in turpiloquiis, & ſcurrilitatibus, conuitiiſque, atque otioſis ſermonibus vacando; ita exiſtunt quàm plures, qui dum vanis & immundis cogitationibus delectantur, ſe minimè deliquiſſe credant. Illa quippe non ſolùm dicentibus, verùm etiam aurem libenter accommodantibus peccati maculam ingerunt. Porrò cogitationes immundæ plerumque ad praua pertrahunt; iuxta illud Euangelicum: *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & reliqua.* Manifeſtum eſt autem quia ſicut cogitationes ſanctæ cuſtodiunt, ita è con-

Matt. 15. 16.

Digitized by Google

trario immundæ dum delectant, inquinant: Quæcumque autẽ (vt Beda Venerabilis Preſbyter ſcripſit) ſæpiùs agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpiùs ad animum quaſi ſolitam propriámque recurrant ad ſedem. Et ſicut volutabra ſues paluſtria, columbæ limpida ſolent frequentare fluenta; ita cogitationes in puram mentem immundæ perturbant, caſtam ſpiritales ſanctificant. Scribit etiam Iſidorus in libro Sententiarum: [Quamuis, inquit, & & ſi ab opere malo quiſque vacet, per ſolius tamen prauæ cogitationis malitia non erit innocens.] Vnde Dominus per Iſaiam: *Auferte*, inquit, *malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*. Non enim ſolùm factis, ſed & cogitationibus delinquimus, ſi eis illicitè occurrentibus delectemur: ſicut vipera à filiis in vtero poſitis lacerata perimitur; ita nos cogitationes noſtræ non enutritæ occidunt, & conceptæ interiùs vipereo veneno conſumunt, animámque noſtram crudeli vulnere perimunt. *Iſaiæ* 1. 16.

Noſtræ quippe voluntatis eſt cogitationes illicitas animo verſare, eíſque oblectari: Dæmonum verò eſt eis incitamenta præbere. Non ergo Diabolus auctor, ſed incentor eſt immundarum cogitationum; ſicut beatus Hieronymus in Commentariis Matthæi Euangeliſtæ dicit: [Arguendi ſunt qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria naſci voluntate. Diabolus adiutor eſſe & incentor malarum cogitationum poteſt, auctor eſſe non poteſt; ſin autem ſemper in inſidiis *poſſit, leuem cogitationũ noſtrarum ſcintillam ſuis fomitibus inflammarit, non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, ſed ex corporis habitu & geſtibus æſtimare quid verſemus intrinſecus: Verbi gratia ſi pulchram mulierem nos crebrò viderit reſpicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum. Sunt ſanè nonnulli qui dum corde peccatum concipiunt, faciendúmque deliberant, id aut timore omittunt, aut difficultate adimplere nequeunt, hi profectò in domo, ideſt in corde moriuntur, ideóque neceſſe eſt vt huiuſcemodi in talibus cogitationiſe deliquiſſe cognoſcant; & per confeſſionem ad pœnitentiæ lamenta confugiant, ſanctorúmque interceſſiones & auxilia depoſcant; quatenus à Domino IESV CHRISTO, Ex Comment. in Matth. c. 15. *al.* *poſitus.

cui omnia viuunt, inſtar illius filiæ archi-ſynagogæ in domo, ideſt in corde, ad vitam reſuſcitari mereantur.

Oportet itaque vt omnes à ſuis cordibus noxias cogitationes, veluti muſcas immundas, diuinâ operâ ſuffragante propulſent: vt enim quis à veſte ſua, ſi quippiam ſordium in eam ceciderit, protinus id abiicit, ita nihilominus cogitationes immundas à corde ſuo abiicere debet: quoniam ſicut ignitus carbo cum in aliqua parte corporis lapſus fuerit, niſi illicò reiiciatur, exurit; ita & cogitationes ſordidæ, quæ ſe mentibus humanis importunè immergunt, niſi à mente citò repellantur, peccati quodammodo vulnus gignunt.

Noſſe etenim oportet, quot modis peccatum in corde, & quot perpetretur in opere: Vnde beatus Gregorius in Moralibus: [Quatuor, inquit, modis peccatum perpetratur in corde, quatuor conſummatur in opere. In corde namque ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, & defenſionis audacia perpetratur. Fit enim ſuggeſtio per aduerſarium; delectatio per carnem; conſenſus per ſpiritum; defenſionis audacia per elationem. Plerumque culpa quæ terrere mentem debuit, extollit, & deiiciendo eleuat, ſed grauiùs eleuando ſupplantat. Vnde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hoſtis, his quatuor ictibus fregit. Nam ſerpens ſuaſit, Eua delectata eſt, Adam conſenſit, qui etiam requiſitus confiteri culpam per audaciam noluit:] Quatuor item modis peccatum conſummatur in opere: priùs namque intus culpa agitur: poſtmodum verò etiam ante oculos hominum ſine confuſione reatus aperitur, dehinc & in conſuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſeræ deſperationis enutritur. Hæc quatuor peccata non abs re poſſunt intelligi quadrigæ Pharaonis, id eſt, diaboli: proinde neceſſe eſt vt ab omnibus caueantur. Cùm enim priùs ſuggeſtioni repugnatur, delectatio non ſequitur; ſi verò delectationi reuiſum fuerit, conſentionis malæ opus non perficitur. At ſi conſentio non repellitur miſerabiliter in defenſionis audaciam & deſperationis obſtinationem labitur. Oſſáque, id eſt, virtutes animæ illius, quæ his vitiis mancipata fuerit, iuxta illud Pſalmographi, inueteraſcunt; Ait enim: *Quoniam tacui*, id eſt,

Lib. 4. c. 25. in 3. c. Iob.

Digitized by Google

id est, non sum peccata mea confessus. *Inueterauerunt omnia ossa mea*, id est virtutes animæ meæ. Quod verò subiungit, *dum clamarem tota die*, idem est ac si diceret: dum defenderem peccata mea: Defensio quippe & obstinatio peccatorum in scripturis sanctis clamor appellatur. Quapropter summopere perpendendum his est, qui noxiis cogitationibus delectantur, in qualem ab his culpam prolabi soleat.

CAPVT XVIII.

Quod quorundam alienorum peccatorum conscij, nisi ea emendationis causâ & salutis prodiderint, delinquant.

CONFITENTES secretâ confessione sacerdotibus peccata sua, & ea dignæ pœnitentiæ satisfactione delentes, nequaquam sunt prodendi. De peccatis verò quæ frater in fratrem admiserit, Euangelicum documentum prorsus est sequendum. * Quòd autem est conscij quorundam alienorum peccatorum, nisi ea aut correxerint, aut emendationis gratiâ manifestauerint, in discrimen adducuntur; ea quæ sequuntur manifestant. Scribit itaque Origenes in homilia libri Leuitici: [Videamus, inquit, iam quid * ait & ista anima, quæ audit vocem iuramenti, & testis est, vel quæ vidit aliquid, & conscia, & non indicat: ex quo accepit etiam ipsa peccatum eius sine dubio, qui iniquè aut egit aliquid, aut iurauit. Hoc etiam secundum historiam nos ædificat, & docet, ne vnquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec consensum malè agentibus præbeamus. Consensum autem dico, non solùm pariter agendo; sed etiam quæ illicitè gesta sunt reticendo. Vis autem scire quia consentiant hæc etiam euangelicis præceptis? Ipse Dominus dicit: *Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipsum solũ; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; quòd si te non audierit, adhibe tecum alios duos vel tres. Quòd si nec ipsos audierit, dic Ecclesiæ. Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*] Et paulò pòst: [Cùm ergo Euangelij tale mandatum sit, & lex præcipiat; quia si tacuerit, accipiet peccatum

*f** Qui autẽ sunt.

Homil. 3. post init.

*al.** agit.

Leuit. 5. 1.

Matt. 18. 15.

Ibid.

eius : ſciendum eſt, quòd ſi quis ea quæ videt in delicto proximi ſui, vel non indicat ſecundum regulam ſuperiùs dictam ; vel in teſtimonium vocatus, non quæ vera ſunt, dixerit, peccatum quod commiſit ille, quem celat, ipſe ſuſcipiet ; & pœna commiſſi reuoluetur ad conſcium.] Item idem in homelia de Achan furante linguam auream : *Si peccauerit*, inquit, *anima & audierit vocem iuranti, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit aut conſcius eſt, niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam.*

Leuit. 5. 1.

Homil. 7. in Ieſu Naue. poſt med. *al.* * hoc modo accidit.

Item idem in eadem : [Sed & illud non otiosè tranſcurrendum eſt ; quòd vno peccante ira ſuper omnem populum venit : * hoc quo modo accidit ? quando ſacerdotes qui populo præſunt erga delinquentes, benigni volunt videri ; & verentes peccantium linguas ne fortè malè de his loquantur, ſacerdotalis ſeueritatis immemores, nolunt implere quod ſcriptum eſt : *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant.* Et iterum. *Auferte malum de vobis ipſis.* Nec zelo Dei ſuccenſi imitantur Apoſtolum dicentem : *Tradi huiuſmodi hominem in interitum carnis ; vt ſpiritus ſaluus fiat.* Neque illud Euangelicum ſtudent, vt ſi viderint peccantem primò ſecretè conueniant ; pòſt etiam duobus vel tribus dicant arbitris : quòd ſi contempſerit, & poſt Eccleſiæ correptionem non fuerit emendatus, de Eccleſia velut gentilem habeat & publicanum. Et dum parcunt vni, vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ eſt iſta bonitas ? Quæ iſta miſericordia eſt ? Vni parcere, & omnes in diſcrimen adducere ? Polluitur enim ex vno peccatore populus, ſicut vnâ oue morbidâ grex vniuerſus inficitur, ſic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcumque ſceleris committente, plebs vniuerſa polluitur. Et ideo obſeruemus nos inuicem, vt vniuſcuiuſque conuerſatio nota ſit maximè ſacerdotibus & miniſtris. Nec putent ſecretè dicere : quid hoc ad me ſpectat, ſi alius malè agit ? Hoc eſt dicere caput ad pedes ; quid ad me pertinet, ſi dolent, ſi malè habent pedes mei ? non mea intereſt, dummodò caput in ſanitate perduret. Aut ſi dicat oculus manui, non indigeo operâ tuâ, quid ad me pertinet ſi doles, ſi vulnerata es ? Nunquid ego oculus conturbor ex ægritudine tua ? Tale ergò eſt quod agunt hi qui Eccleſiis

1. Tim. 5. 20.

1. Cor. 5. 13.

Ibid. 5.

præsunt, non cogitantes quia vnum corpus sumus omnes qui credimus, vnum Deum habentes, qui nos in vnitate constringit & continet.]

Et Apostolus: *Non solùm*, inquit, *qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus; digni sunt morte.* Item idem in Epistola ad Corinthios: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.* Gregorius in libro pastorali: [Qui enim, inquit, proximorum mala respiciunt, & tamen in silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahunt: Et eò mortis auctores sunt, quò virus, quod poterant curare, noluerunt. Audiant hoc illi qui propter amorem, aut timorem, aut muneris acceptionem malorum lethalia peccata detegere refugiant: quod nisi ea correctionis & salutis causâ prodiderint, similes peccanti fiant. Et vno peccante, cæteris tacentibus, & non corripientibus, periculum immineat: Qui enim malum videt, & tacet; non solùm in illud Psalmistæ labitur dicentis: *Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Verùm etiam cum Isaia, necesse est clamet, & dicat: *Væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum.* Quisquis igitur mala videt, & tacet, procul dubio vir pollutus labiis existit, & peccantis facinus in semetipsum retorquet.

Rom. 1. 32.

1. *Cor.* 5. 7.

Psal. 49. 18.

Isa. 6. 5.

CAPVT XIX.

Quòd grauiùs puniantur qui fidem Christi perceperunt, & in malis vitam finierunt; quàm illi qui sine fide mortui sunt, & tamen bona opera egerunt.

DIcit solet à nonnullis Christianis, quòd hi qui in Christo renati sunt, quamquam scelerate viuant, & in malis operibus diem claudant extremum, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo igni sunt puniendi. Cũ multi hoc asserant, & nullis ex diuinis oraculis id affirmare, verùm esse queant, cauendum est illis, vt hoc non solùm non credant, verùm etiam nec ex ore proferant: ne fortè hoc dicendo &

ſe,&alios quodãmodò vana ſecuritate deludant. Quòd ergo neminem ſola fides Chriſti ſine operibus ad regnum prouehat æternum, in ſubſequenti demonſtrabitur capitulo. Quòd autem qui in flagitiis viuentes, & hæc nec pœnitentiæ lamentis, nec eleemoſynarum largitionibus redimentes, ſed in eis potiùs perſeuerantes diem obeunt, atrociora ſint tormenta paſſuri, quàm illi qui licet lauacro Chriſti in Eccleſiâ nequaquam ſunt baptizati, bona tamen opera fecerunt: ſubtus teſtimonia collecta declarant.

2. *Pet.* 2. 21. Ait itaque Petrus: *Melius enim illis fuerat non agnoſcere viam veritatis, quàm poſt agnitionem veritatis retrorſum redire ab eo quod traditum eſt illis ſancto mandato.* Contigit enim illis illud videri prouerbium: *Canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti.* Et Dominus in Euangelio: *Ille autem ſeruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis Omni autem cui multum datum eſt, multum quæritur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Item: *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, vadit per loca arida, & quærit requiem, & non inuenit: & tunc dicit, reuertar in domum meam vnde exiui. Et ſi veniens inuenerit eam vacantem, mundatam, & ornatam, vadit, & adducit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe: & intrant in domum illam & habitant in ea. Et erunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Origenes quoque in homilia de initio Decalogi: [Habitauit enim in nobis immundus ſpiritus, antequam crederemus, antequàm veniremus ad Chriſtum, cùm adhuc fornicaretur anima noſtra à Deo, & eſſet cum amatoribus ſuis dæmonibus. Sed poſteaquàm dixit: Reuertar ad virum meum priorem, & venit ad Chriſtum, qui eam ab initio ad imaginem ſuam creauit, neceſſariò locum dedit adulter ſpiritus, vbi vadit ad legitimum virum. Suſcepti ergo ſumus à Chriſto, & mundata eſt domus noſtra à peccatis prioribus, & ornata eſt ornamentis ſacramentorum, fidelium, quæ norunt qui initiati ſunt.] Item poſt pauca: [Non enim domus tantùm, ſed templum eſſe debet, in quo habitet Deus. Si ergò acceptam gratiam negligat, & implicet ſe negotiis ſecularibus, continuò ille immundus ſpiritus redit, &

Luc. 12. 47. 48.

Matt. 12. 44. *Luc.* 11. 26.

Homil. 8. in Exod. ſub med.

Ibid.

Digitized by Google

vendicat sibi domum vacantem. Et ne iterum possit expelli, alios secum septem spiritus adhibet nequiores se, & fiunt nouissima hominis peiora prioribus. Et Beda in expositione Euangelij Lucæ: [Quemcumque enim post baptisma siue prauitas hæretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Vnde rectè nequiores spiritus dicuntur ingressi; quia non solùm habebit illa septem vitia, quæ septem spiritalibus contraria sunt virtutibus; sed & per hypocrisim ipsas se virtutes habere simulauit, & sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. *Melius* quippe *erat ei viam veritatis non cognoscere; quàm post agnitionem retrorsum conuerti* Quod in Iuda traditore, vel Simone mago, ceterisque talibus specialiter legimus impletum.]

In expos. c. 11. v. 26.

2. *Pet.* 2. 21.

Augustinus quoque in libro Enchiridij: [Creduntur, inquit, à quibusdam etiam ii qui nomen Christi non relinquunt, & eius lauacro sancto * initiantur, nec ab eo vllo schismate vel hæresi præciduntur; in quantiscumque sceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant; sed in eis vsque ad vltimum huius vitæ diem, pertinacissimè perseuerent, salui futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum, flagitiorúmque, diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humanâ quadam beneuolentiâ mihi falli videntur: nam scriptura diuina aliud consulta respondet.] Et paulò pòst: [Porrò autem si homo sceleratus propter solam fidem per ignem * saluatur; & sic est accipiendum quod ait beatus Paulus; Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: poterit ergo saluare sine operibus fides, & falsum erit quod dixit eius coapostolus Iacobus: falsum erit & illud quod idem ipse Paulus dixit. *Nolite*, inquit, *errare*; *Neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Si enim in istis perseuerantes criminibus, tamen propter fidem Christi salui erunt; quomodo in regno Dei non erunt?] Si igitur dum iuxta Euangelicam sententiam post agnitionem Christi quis nequam viuendo spiritum immundum, qui à se tempore baptismatis expulsus est, cum dæmonum septenario sibi nu-

Enchirid. cap. 67. *al.* * in Ecclesia baptizantur.

Ibid. *al.* * saluabitur.

1. *Cor.* 3 15.

1. *Cor.* 6. 19.

mero addito ad ſe redire facit, priſtinámque domum in ſe quodammodo vindicare ſinit; fiunt illi nouiſſima peiora prioribus. Patet profectò ſi in eiſdem nequitiis vitam finierit, grauiùs illum, quàm eos, qui licet fidem Chriſti non perceperint, bonis tamen operibus operam dederunt, puniendum.

Proinde neceſſe eſt vt vnuſquiſque fidem Chriſti quam perceperit, operibus exornet. Et ſicut nulli de miſericordia Dei deſperandum eſt, ità nemo poſt hanc vitam iudicium Dei, quod niſi iuſtum eſſe non poteſt, ſibi aliiſque fauorabiliter molliendo temperet: Et propter hoc in hac vitâ bonis operibus deditus eſſe negligat. Quapropter procurandum eſt vt dum in hac vita viuitur, bonis operibus inſiſtatur, Domino monente per Prophetam: *Date Domino Deo veſtro gloriam, antequàm contenebreſcat, & antequàm offendant pedes veſtri ad montes caligoſos.* Et alibi: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt; inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas*, &c. Et Dominus in Euangelio: *Vigilate, & orate: quia neſcitis diem, neque horam.* Item: *Dies Domini ſicut fur, ita in nocte veniet.* Item: *Ambulate dum lucem habetis; ne tenebræ vos comprehendant.* Et Apoſtolus: *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis.* Quibus documentis perdocemur; quòd indulta tempora pœnitentiæ nequaquàm in vanum deducere, ſed potiùs bonis operibus indeſinenter debeamus inſiſtere.

Ier. 13. 16. *Iſa.* 55. 6. 7. *Matt.* 26. 41. 2. *Pet.* 3. 10. *Ioan.* 12. 35. 2. *Cor.* 6. 2.

CAPVT XX.

Quòd multi Chriſtianam profeſſionem verbis teneant, ſed operibus negligant.

SI mundanarum legum iura ob iurgiorum forenſium negotia dirimenda, à mortalibus edita, homines auidiſſimè diſcere, & intelligere acutiſſimè ſatagunt; vt his bene notis quid verum, quid falſum, quid iuſtum, quídue iniuſtum ſit in hac terrâ morientium liquidò diſcernere queant; quantò magis iura cæleſtia à ſummo Opifice Deo omnium

Digitized by Google

Creatore hominibus promulgata, ſalubritérque collata, quibus cauendũ malum, faciendúmq; bonum perdocetur; quæ etiam ſectatores ſuos ad terram prouehunt viuentium, cunctis fidelibus diſcere, & intelligere intentioni eſſe debet.

Lex itaque Chriſti non ſpecialiter clericis, ſed generaliter cunctis fidelibus obſeruanda, eſt à Domino attributa, licet in Euangelio quædam ſint præcepta ſpecialia, quæ ſolummodò contemptoribus mundi & Apoſtolorum ſectatoribus conueniant. Cætera tamen cunctis fidelibus vnicuique ſcilicet in ordine, quo ſe Deo deſeruire deuouit, indiſſimulanter obſeruanda cenſentur. Multi namque Laïcorum exiſtunt, qui legem Euangelicam & Apoſtolicam ſibi datam credunt, & intelligere procurant, & ſecundum eam viuere pro viribus inuigilant. Sunt alij qui eam ſibi datam credunt, hanc tamen intelligere, & ſecundum eam viuere detrectant. De talibus beatus Auguſtinus in libro Sermonum ad populum: [Homo, inquit, nimiùm aliquando mente peruersâ timet intelligere, nè cogatur quod intellexerit facere. Vnde ait Pſalmiſta: *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Tales verò niſi impræſentiarum ſe correxerint, quod eis in futurum proueniat, ſi animaduertere curauerint, & in Euangelio, & in Apoſtolo in promptu habent. De verbis Apoſt. ſer. 13. poſt init. *Pſ.* 35. 4.

Porrò ſunt alij tantæ vecordiæ, qui eam non ad ſe, ſed ſolummodò ad Clericos pertinere contendant; gloriantes ſo nomine Chriſti inſignitos, & putantes fide tenùs tantùm ſaluari poſſe; cùm Dominus in Euangelio dicat: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Et Apoſtolus Iacobus: *Fides*, inquit, *ſine operibus otioſa eſt.* Item. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit ſaluare eum?* Et paulò pòſt: *Fides*, inquit, *ſi non habuerit opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Ioannes Apoſtolus: *Qui dicit*, inquit, *ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt; & in eo veritas non eſt.* Paulus: *Confitentur, inquit ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Item alibi. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* *Matt.* 7. 21. *Iac.* 2. 26. 14. 1. *Ioa.* 2. 4. *Tit.* 1. 16. *Gal.* 5. 24.

Ait autem beatus Auguſtinus in præfato libro Sermonum: De verbis

Apoſt.ſer. 31. cap. 9. [Dico charitati veſtræ, fratres, omnes mali Catholici confitentur Chriſtum in carne veniſſe, factis autem negant. Nolite ergo eſſe tanquam fide ſecuri, adiungite fidei rectæ vitam rectam; vt Chriſtum confiteamini in carne veniſſe, & verbis vera dicendo, & factis bene viuendo. Nam ſi confitemini verbis, & factis negetis; fides talium propè fides eſt dæmoniorũ. Iacobus itaque Apoſtolus cùm de fide & operibus loqueretur aduersùs eos, qui ſibi putabant fidem ſufficere, &

Iac.2.19. opera bona habere nolebãt, ait: *Tu credis quia vnus eſt Deus, bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Numquid ideò dæmones ab æterno igne liberabuntur, quia credunt, & contremiſcunt?] Miſerabilis planè & valde lamentanda fides, quæ dæmonum fidei comparatur. Apoſtolus nempe fidem credentium à fide dæmonum diſtinguens, ait: *Fides*

Gal. 5. 6. *quæ per dilectionem operatur.* Claret namque quia fides niſi dilexerit, quod credit, ſéque bonis operibus exornauerit, meritum fidei amittit. Quàm multi hodie in Eccleſia exiſtunt, (quod non ſine magno animi mœrore proſequi poteſt) qui fidem Chriſti perceperunt, & opera habere contemnunt, vitiis inſeruiunt, & Chriſtianitatis nomen ſibi ſufficere putant. Numquid ſola fides ſuperbos, inuidos, auaros, adulteros, periuros, raptores, fornicatores, homicidas, & cæteris innumeris vitiis mancipatos, prouectura eſt ad regnum Dei, cùm Dominus in Euangelio, & Apoſtolus, dicat, quòd huiuſcemodi regnum Dei non poſſidebit? Quàm multi etiam qui propter mundi amorem, dilectionem ſui paruipendunt Creatoris, cum mundus cadat & concupiſcentia eius, & qui Chriſto adhæret, maneat in æternum; ſicut & Chriſtus ma-

Ioan.8.51. net in æternum, & qui, ipſo teſtante, ſuum *Sermonem ſeruauerit, mortem non videbit in æternum?* Ait autem Dominus per

Pſal.77.1. Prophetam: *Attendite populo meus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.* Qui populus Domini eſt, eius legem attendere, illiúſque verbis aurem accommodare procuret: qui autem facere negligit, populum eius ſe non eſſe demonſtrat.

Verùm ſunt nonnulli qui legem diuinam non ſolùm opere complere, ſed nec audire dignantur. Et quid rogo faciunt

Prou. 28. 9. de eo quod ſcriptum eſt: *Qui obdurat aurem ſuam ne audiat*

legem

legem oratio eius execrabilis erit. Quòd ſi oratio legem diuinam audire nolentis, execratur; nihilominus eius cor deſpicitur; ſi eius cor deſpicitur, Chriſtus in eo habitare dedignatur. Nequaquam igitur ad eius cor venit qui ſuas leges odit; quoniam cor huiuſcemodi ſubditum peccato, tantum hoſpitem habere non meretur; ſcriptura teſtante quæ ait: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Audiant hoc illi qui dies ſuas in peccatis ducunt, quòd vitiis ſubſtrati nequaquam ſpiritum ſanctum habitatorẽ habere poſſint, & quòd nemo peccato Chriſtóque pariter ſeruire poſſit; Domino in Euangelio dicente: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Et per Prophetam. *Coanguſtatum eſt ſtratum, breue eſt pallium: vtrumque operire non poteſt.* Ac ſi patenter dicat: Nemo me, auctoremq; peccati in ſuæ mentis lecto pariter recipere poteſt: *quæ enim*, vt Apoſtolus ait, *conuentio Chriſti ad Belial? Et quæ participatio luci ad tenebras?*

Sap. 1. 5. *Matt.* 6. 24. *Luc.* 16. 13. *Iſa.* 26. 20. 2. *Cor.* 6. 15.

Negligitur etiam profeſſio Chriſtiana à multis, & in multis, propter delectationes carnales & diuerſiſſimas huius ſæculi vanitates; quibus quantò plus iuſto, immò inaniter inſeruiunt, tantò minùs operibus Chriſtianæ profeſſionis vacare inueniuntur. Quòd ſi acta Apoſtolorum relegamus, & deuotionem Chriſtianæ plebis, quæ ſub eiſdẽ Apoſtolis floruit, diligenter animaduertimus, multùm noſtri ſæculi Chriſtiani populi deuotionem ab illorum diſtare reperiemus. Et quantò illi ardentiùs ac deuotiùs eam ſunt ſectati, tantò nonnulli ab eius operibus longè ſunt diſgreſſi. Proinde ſicut tunc initio naſcentis Eccleſiæ eadem fides operibus floruit, ita nunc eiſdem neglectis apud quoſdam marceſcit. Vt enim verbis beati Auguſtini vtar, [Chriſtus in nobis eſt idem, qui & in illis: eadem fides in nobis; ſed non eadem deuotio. In illis enim maior erat fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis. In illis ſicut vna fides, ita erat & vna ſubſtantia; vt quibus erat communis Chriſtus, communis fuit & ſumptus. Nefas enim putabant eum ſibi participem non adſciſcere in ſubſtantia, qui particeps eſſet in gratia. Non ergo verebantur ne eſurirent, ſed potius timebant ne alij eſurirent.] [Nunc autem, vt idem beatus Auguſtinus ait, ita alter de alterius inopia non

Serm. 4. 5. Maximi Epiſc. de diuerſ. inter Ambroſianos 9. apud quos varia eſt lectio. Ibid.

Digitized by Google

1. *Cor.* 11. 21. cogitat, vt illud ſit quod dicit Apoſtolus: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Et paulò pòſt: Nunc eſt illud tempus, *Matt.* 24. 12. quod Dominus in Euãgelio ait, *Abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Modò enim abundat auaritia & iniquitas, quæ ante largitatis bonitate ceſſabat, & refrigeſcit fraternitatis charitas, quæ priùs amore Chriſti feruebat. Tunc enim ſub Apoſtolis tanta fraternitatis dilectio fuit: vt in conuentu ſuo non inueniretur indigentia. Tanta autem modò Chriſtianitatis diſſimulatio eſt, vt in cœtu noſtro vix inuenias locupletem: locupletem autem vix inueniri dico, non facultatibus, ſed operibus. Ait autem Apoſtolus: *Diuites ſint in operibus bonis.* 1. *Tim.* 6. 18. Locupletem enim intelligi voluit in Eccleſia, qui Ibid. diues in Chriſto eſt.] Et idem poſt pauca: [Rarò igitur hoc tempore inuenimus in Chriſtiano populo locupletem, & ſi plerique in domibus auro ſint diuites: in Eccleſia tamen ſunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quòd præualent operantur, nec hoc eſt gratum quod aſſerunt, nec illud eſt ſatiabile quod reſeruant. Dixit autem Dominus ad Cain cùm offerret munera: *Si autem rectè offeras, recte autem non diuidas, peccaſti. Quieſce*; ſi tu Chriſtiane rectè non diuidis, qui de tanto auro tuo maiorem partem mammonæ ſeruas, quàm Deo largiris.]

In primordio igitur ſanctæ Dei Eccleſiæ: circa credentes ardor fidei ita vigebat, vt perſeuerarent in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & haberent omnia communia; & ſumerent cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum. Nunc autem deuotio Chriſtianitatis apud pleroſque longè aliter ſe habet, quàm à quibuſdam, doctrinæ Apoſtolorum præponitur, amor terrenorum negotiorum communicationi fractionis panis, tenacitas, frigus charitatis, & cupiditas ambiendæ rei alienæ, potiùs quàm propriæ largiendæ; orationibus delectatio carnis; curioſitas, rerum, ſollicitudo mundi, & multimoda mentis in diuerſa vagatio. Quæ autem illis erant communia, nunc quibuſdam ita ſunt propria, vt perrarò in alterius, & his quicquam retorqueatur vſum. Illi ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, nunc autem vix à quibuſdam ſumitur

Digitized by Google

cibus ſine detractione, ſine ſimulatione, ſine inſultatione, ſine hiſtrionum ſaltatione, & obſcæna locutione, & turpiloquiis, & ſcurilitatibus, & cæteris innumeris vanitatibus, quæ animum Chriſtianum à vigore ſui ſtatus emolliunt. Illi in ſimplicitate cordis; iſti autem è contrario ſub dolo & duplici animo, cùm ſcriptura dicit: *Sentite de Domino in bonitate: & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Illi ſumentes cibum, Deum collaudabant; iſti diuerſorum ciborum genera ad ſuum libitum exigentes erga lautiſſimos ſibi cibos præparatos artem collaudant cocorum: Et adeò in comedendo, & bibendo nimij exiſtunt; vt Nabuzardan princeps cocorum muros Ieruſalem, id eſt virtutes animarum ſuarum, ſubruere videbatur. Nec non & illius Euangelici ita ſunt immemores, quo præcipitur: *Videte ne grauentur corda veſtra in ebrietate, & crapula, & curis huius vitæ*: vt delitioſis cibis ventribus diſtentis, & diuerſiſſimis potionibus irrigatis, non ad laudes Dei, ſed ad cachinnationes ora diſſoluunt: non attendentes illud quod Dominus in Euangelio ait: *Væ vobis qui ridetis nunc; quia lugebitis, & flebitis.* Et alibi ſcriptura dicit: *Riſus dolore miſcebitur: & extrema gaudij luctus occupat:* Et è contrario de iuſtis. *Beati igitur qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* Non enim à magno myſterio vacat, quòd Dominus noſter IESV CHRISTVS fleuiſſe non riſiſſe in Euangelio legitur: ſcilicet vt in hoc, ſicut & in cæteris membris ſuis exemplum daret; quòd in hac conualle lacrymarum non propter fumea & fugitiua gaudia ridendum; ſed magis propter amiſſam noſtram æternæ patriæ hereditatem, à qua diu exulamus, nobis eſſet deflendum.

Sap. 1. 1.

Luc. 21. 34.

Ibid. 6. 25.

Prou. 14. 13.

Matt. 5. 5.

Terrendi ſunt ergo epulis multiloquióque vacantes damnatione illius purpurati diuitis, qui micas Lazaro indigenti dare noluit: Et ideo (vt beatus Gregorius ait) Vſque ad minima petenda peruenit, qui idcircò linguam ſibi refrigerari popoſcit: quia loquacitati quæ inter epulas maximè fieri ſolet, inſolenter inſeruiunt. Mulcendi ſunt verò, atque ad opus miſericordiæ prouocanda, exemplo beati Iob dicentis: *Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit ex ea puſillus.* Igitur ne multiloquio impunè ſe vacare poſſe quis putet,

Luc. 16. 24.

Iob. 31. 16.

Digitized by Google

Pſ. 33. 13. audiat quod Pſalmiſta canit: *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Coerceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Diuertat à malo & faciat bonum.* Multi nempe propter dies malos, quos fallente mundi amore putant eſſe bonos, perdunt dies bonos æternos, vbi eſt ſumma fœlicitas, & perpetui gaudij inenarrabilis beatitudo.

Eſt & aliud in Chriſtiana Religione magna admiratione dignum, eò quod leges humanæ, quæ plerumque peccare volentibus terrorem potius quàm Chriſti præcepta incutiunt, maiorem vim quàm diuinæ habere videãtur, cùm vtique illæ ſibi parentes, à temporali, hæ quoque ab æterna liberent pœna. Cùm enim quiſpiam regiæ aut imperialis dignitatis apicem tenens, mortalibus temporaliter imperans, aliquod edictum proponit, quod à ſibi ſubditis & audiri diligenter, & impleri fideliter ſagacitérque velit, quis ſubditorum non inhianter id audire, illiúſque iuſſionibus fideliter accelerat obtemperare? Quis in tantam verò audaciam prorumpere audeat? Quis id niſi ad ſui diſcrimen contemnere præſumat? Cùm hæc quippe dico, ſtupor & ineffabilis admiratio gignitur in animo meo: homines condunt leges, & à ſubditis cuſtodiuntur: Deus creator omnium æternaliter imperans, qui noſtro augmento non creſcit, nec noſtro detrimento decreſcit, in cuius manu ita ſumus, quaſi lutum in manu figuli; dedit ob ſalutem animarum capeſcendam legem, & audire contemnitur? Et ſi aure corporis auditur, aure cordis non percipitur; opere non adimpletur. Quid autem excuſationis Chriſtiani Domino afferre poterunt, qui mundanæ legis cenſuram ob mundialem metum ſuſcipiunt; & iugo Chriſti, quod leue & ſuaue eſt, & ad vitam ducit æternam, colla ſubmittere renuunt. Dominus dicit

Matt. 11. 28. 29. & 30. *Venite ad me qui laboratis & oneraſti eſtis: & ego reficiam vos* Et idem alibi. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris: Iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue.* Et venire ad talem tantúmque vocantem; & ab eo humilitatem, & manſuetudinem diſcere eiúſque iugum ſuſcipere recuſatur? Hoc qui faciunt, quid aliud faciunt, niſi à ſalute propria deficiunt? Quod quàm miſerabile & exitiabile ſit, explicari non poteſt.

Digitized by Google

Prouidendum eſt ergo omnibus fidelibus, vt diuinis legibus humanas, & diuino amori mundi non præponant amorem. Amatoribus namque mundi lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad mortem : Amatoribus verò Chriſti, arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Maioris quippe numeri ſunt hodie in Eccleſia (quod valde lugubre eſt) qui per latam & ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem, ambulare, quàm qui per arctam & anguſtam viam, quæ ducit ad vitam, contendant intrare. Et hoc idcircò fit, quia videtur illud impletum eſſe quod Apoſtolus ad Timotheum ſcribit : *Hoc autem ſcito*, inquit, *quòd in diebus nouiſſimis inſtabunt tempora periculoſa ; & erunt homines ſe ipſos amantes :* & cætera quæ in eadem proſequitur epiſtola. Et idem alibi : *Omnes enim ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Perſpicuè ſanè animaduerti, quòd profeſſio Chriſtiana modernis temporibus à pleriſque non ſic deuotè ac religiosè colitur, ſicut à priſcis colebatur Chriſtianis. 2. *Tim.* 3 2. *Phil.* 2 22.

Hanc itaque fidei regulam (de qua ſuperiùs breuiter, & in memoratis actibus Apoſtolorum pleniſſimè dictum eſt) Apoſtoli, immò per Apoſtolos Chriſtus tenendam fidelibus cenſuit. Si igitur hanc Chriſtus docuit, immò quia docuit, vt quid tot tantíſque conſuetudinibus ad votum quorundam repertis contemnitur ? Quæ quamuis Deo annuente veraciter percipiatur, operibus tamen à nonnullis diuerſiſſimis negligitur modis. Et hoc idcircò accidiſſe reor, quia irrepſit inter quoſdam Laïcos nimium deploranda conſuetudo, qui vtique legibus diuinis, quibus ſe per fidem ſubdiderunt, non vt oportet animaduerſis, non ſolùm quod libet & licitum non eſt, ſed & idquod licet, non tamen expedit, legem ſibi faciunt : & ſecundum id quod tamen libitum fuerit, viuere ſe poſſe inculpabiliter credunt : quod quia hîc per ſingula ex oraculis diuinis, & ſanctorum Patrum ſententiis oſtendere magnæ eſt prolixitatis, in ſequentibus, provt Deus poſſe dederit, demonſtrabitur capitulis.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quòd coniugium à Deo ſit inſtitutum; & non ſit appetendum cauſa luxuriæ, ſed liberorum procreatione.

Gen. 1.31. CVM Deus ſummè bonus, cunctaquæ fecit, bona ſint valde, dicente ſcriptura: *Et vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona.* Plerique quibuſdam bonis à Deo bono creatis, quibus malè vtuntur, in malum ſibi eadem bona conuertere noſcuntur. Innumerabilia quippe ſunt, & ineffabilia eius bona; inter quæ bonum eſſe coniugium, & in exordio creationis humanæ à Deo eſſe inſtitutum, cùm liber demonſtrat Geneſeos, in quo legitur: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem; & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna* Item ibi: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum: maſculum & fœminam creauit eos, & benedixit eis dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Et Salomon: *A Deo*, inquit, *præparatur viro vxor:* Et in Euangelio: *Non legiſtis, quia qui creauit ab initio, maſculum & fœminam creauit eos, quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet.* Et Paulus ad Corinthios: *Si autem acceperis vxorem non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit.* Item idem ad Hebræos. *Honorabiles*, inquit, *nuptiæ, & cubile immaculatum.* Quod autem ſi cauſa libidinis, & non potiùs fructu propaginis appetatur, tantùm bonum in culpam conuertatur, habes in libro beati Auguſtini de bono coniugali: [Bonum ergo, inquit, ſunt nuptiæ, in quibus tantò meliores ſunt coniugati, quantò caſtiores ac fideliores ſi Deum timent, maximè ſi filios, quos carnaliter deſiderant, etiam ſpiritaliter nutriant.] Item idem in

Ibid. 2.25.
Ibid. 1.27.
Ibid. 28.
Prou. 19. 14.
Mat. 19.6.
Marc. 10. .6
1. Cor. 7. 28.
Heb. 13.4.
Cap. 19. fine.

Digitized by Google

eodem: [Sanè videndum eſt alia bona nobis Deum dare, quæ propter ſeipſa expetenda ſunt; ſicut ſapientia, ſalus, amicitia; alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, potus, ſomnus, coniugium, concubitus: horum enim quædam ſunt neceſſaria propter ſapientiam, ſicut doctrina: quædam propter ſalutem, ſicut cibus, potus, ſomnus; quædam propter amicitiam, ſicut nuptiæ, vel concubitus. Hinc enim ſubſiſtit propagatio generis humani, in quo ſocietas amicalis magnum bonum eſt. His itaque bonis, quæ propter alia neceſſaria ſunt, qui non ad hoc vtitur, propter quod inſtituta ſunt, peccat aliàs venialiter, aliàs damnabiliter. Quiſquis verò eis propter hoc vtitur, propter quod data ſunt, bene facit. Cui ergo non ſunt neceſſaria, ſi non eis vtitur, melius facit.] Item idem in eodem: [Illud nunc dicimus ſecundum iſtam conditionem naſcendi & moriendi quam nouimus, & in qua creati ſumus, aliquid boni eſſe coniugium maſculi & feminæ: cuius * ſe detractionem ita diuina ſcriptura commendat, vt nec dimiſſa à viro nubere liceat alteri, quamdiu vir eius viuit, nec dimiſſo ab vxore liceat alteram ducere, niſi mortua fuerit quæ receſſit. Bonum ergo coniugium, quod etiam Dominus in Euangelio confirmauit, non ſolùm quia prohibuit dimittere vxorem, niſi exceptâ cauſâ fornicationis, ſed etiam quia inuitatus ad nuptias venit.] Item idem in eodem: [Cur ſit bonum coniugium meritò quæritur. Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diuerſo ſexu ſocietatem. Alioquin non iam diceretur coniugium in ſenibus, præſertim ſiue amiſiſſent filios, vel minimè genuiſſent. Nunc verò in bono licet annoſo coniugio, etſi emarcuit ardor caſtitatis inter maſculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter virum & vxorem: quia quantò meliores ſunt, tantò maturiùs à commixtione carnis ſuæ pari conſenſu ſe continere cœperunt; non vt neceſſitatis eſſet poſtea non poſſe quod vellent, ſed vt laudis eſſet priùs noluiſſe quod poſſent.] Scribit etiam idem beatus Auguſtinus ad Valerium Comitem: [Copulatio maris & feminæ, generandi cauſâ bonum eſt naturale nuptiarum: ſed iſto bono malè vtitur, qui beſtialiter vtitur, vt ſit eius intentio in

Ibid. c. 9.

Cap. 3.

al. * confœderationem.

Ibid.

De nupt. & cõcup. c. 4.

voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.] Et paulò
Ibid. pòſt. Verùm quod dixi ad naturam pertinere nuptiarum,
al. * mas. vt * maſculus & fœmina generandi ſocietate iungantur, &
ita inuicem non fraudent, ſicut omnis ſocietas fraudulentum ſocium naturaliter pati non vult: hoc tam euidens bonum, cùm infideles habent, quia infideliter vtuntur, in ma-
Ibid. c. 7. lum peccatúmque conuertuntur.] Idem poſt pauca: Proin-
med. de nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia verò ſine illo fieri non poteſt, erubeſcunt; tanquam ſi quiſpiam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perueniat; nec propter claudicationis malum mala eſt illa peruentio, nec propter peruentionis bonum, bona eſt claudicatio. Ita nec propter libidinis malum, nuptias condemnare; nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debemus.]

Lib. 2. c. 19. ante med. Iſidorus in libro officiorum: [Illa ſunt, inquit, certæ nuptiæ, quæ in coniugio non libidinem, ſed prolem requirunt; neq; enim ſic inſtitutæ ſunt, vt carnis voluptatibus ſeruiant, ſed tantùm vt fructum propaginis quærant. Nam vt ipſæ dotales tabulæ indicant, causâ procreandorum liberorum ducitur vxor. Quando ergo quiſque luxuriosè viuit ampliùs,
* Id ibid. initio cap. ſed varie. quàm neceſſitas procreandorum liberorum cogit, iam peccatum eſt. * Bona igitur ſunt coniugia, ſed bono virginali &
Ibid. poſt init. continentiæ viduali non ſunt coæquanda. Ait autem Iſidorus in eodem libello: Coniugia tantùm per ſe bona ſunt, per
al. * ſe. ea verò quæ circa * ea ſunt, mala fiunt. Per id namque mala
al. * fiunt. * ſunt, per id quod dicit Apoſtolus: *Qui autem cum vxore eſt,*
1. *Cor.* 7. 34. *cogitat ea quæ ſunt mundi.* Et iterum: *Propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.* Quòd autem non vnus
Ibid. & multæ, ſed vnus & vna copulantur, ipſa primùm diuinitùs facta coniunctio, in exemplum eſt. Nam cùm Dominus hominem figuraſſet, eíque parem neceſſariam proſpexiſſet, vnam de coſtis eius mutuatus, vnam illi fœminam finxit. Sícque Adam & mulier Eua inter ſe nuptiis functi, formam hominibus de originis auctoritate, & prima Dei voluntate ſanxerunt.]

De verbis Domini 53. c. 4. Præfatus quoque Auguſtinus in libro ſermonum ità ſcribit de laude coniugatorum: [Eſt, inquit, coniugalis vita laudabili

laudabilis, & habet in corpore Chriſti locum ſuum.] Et paulò pòſt, [Nouimus membra Chriſti eſſe quæ coniugalem agunt vitam; ſi membra Chriſti ſunt, id eſt ſi fideles ſunt.] Item idem: [Audeo, inquit, dicere coniugalem agentes vitam, ſi tenent humilitatem, ſuperbis caſtis meliores eſſe.] Ibid. Ibid.

His & cæteris innumeris documentis manifeſtatur coniugium, de quo ſancta & humilis naſcitur virginitas, bonum eſſe & honeſtum, ſi tamen caſtè vtatur. Et quiſquis illud pro eo quod inſtitutum eſt, appetit, bono bene vtitur: quiſquis eo male vtitur, procul dubio bonum ſibi in peccatum conuertere probatur. Ac per hoc oportet vt coniugati huiuſcemodi admiſſum intelligant, caueántque ne id quod licitum eſt, causâ libidinis ſibi in peccatum conuertant. Qui autem thori coniugalis pudicitiam huiuſcemodi in continentiæ næuis fuſcauerint, id neceſſe eſt quotidianis eleemoſynarum largitionibus, orationum iugibus precibus, pœnitentiæ lacrymis, & cæteris bonis operibus diluere ſatagant.

CAPVT II.

Vt qui vxores ducere voluerint, ſicut eas caſtas & incorruptas cupiunt inuenire, ſic ad eas caſti & incorrupti ſtudeant accedere.

QVIDAM Laïcorum amore libidinis ſuperati, quidam verò ambiendi honoris terreni cupiditate ducti, immò præſtolandi tempus, quo honores mundi nanciſci valeant, interim in cœno luxuriæ ſe volutantes, antequam ad copulam connubij accedant, diuerſiſſimis modis ſe corrumpunt, & virginale decus, quod vſque ad tempus legitimę vxoris accipiendæ conſeruare debuerint, amittunt, nec non & benedictione, qua Deus copulæ primorum hominum benedixit; & ea quæ nunc in Eccleſia per ſacerdotum myſteria ſecundum Canonicam auctoritatem, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ morẽ nupturis exhibetur, ſe priuant. Vnde etenim damnanda conſuetudo inoleuit, vt perrarò ſponſus & ſponſa in Miſſarum celebratione, ſecundùm præmiſſum ordinem,

benedicantur. Nam & filij, qui ex tali concubitu generati ſunt, licet vterque parens liberæ ſit conditionis, in hereditate tamen cum fratribus ex legitimo matrimonio natis (quod dolendum eſt) minimè iuxta mundanæ legis cenſuram ſuccedere valent. De qua re beatus Ambroſius in libro primo, cuius titulus eſt, *de Abraham*, ita ſcribit: Diſcant ergo homines coniugia non ſpernere, nec ſibi ſociare impares, ne huiuſmodi ſuſcipiant liberos, quos heredes habere non poſſint; vt vel transfundendæ hereditatis contemplatione, ſi nullo contuitu pudoris mouentur, digno ſtudeant matrimonio. Audiant igitur qui vxores ducere cupiunt, qualiter Angelus Raphaël Tobiam de vxore ſibi coniungenda inſtruxerit: *Hi namque*, inquit, *qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmon ſuper eos. Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies contineus eſto ab ea: Nihil aliud niſi orationi vacabis. Cum ea ipſa autem nocte incenſo iecore piſcis fugabitur dæmon. Secunda verò nocte in copulatione ſanctorum Patriarcharum admitteris. Tertia autem nocte benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis incolumes procreentur. Tranſacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidinis ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Si qui fortè ſunt qui in accienpidis caſtè vxoribus ſacerdotalem paruipendere voluerint admonitionem, prorſus neceſſe eſt vt Angelicam magnipendant inſtructionem.

Tob. 6. 16.

Qui autem impuri & non caſti, caſtas & puras volunt ducere vxores, audiant quid beatus Auguſtinus in libro Sermonum dicat: [Vos qui ducturi eſtis vxores, ſeruate vos vxoribus veſtris. Quales eas vultis inuenire, tales vos debent & ipſæ inuenire. Quis iuuenis eſt, qui non caſtam velit ducere vxorem? Et ſi accepturus eſt virginem, quis non intactam deſiderat? Intactam quæris, intactus eſto. Puram quæris, noli eſſe impurus. Non enim illa poteſt, & tu non potes. Si fieri non poſſit, nec illa poſſet. Quia verò illa poteſt, doceat te quia fieri poteſt. Et vt illa poſſit, Deus regit. Sed tu glorioſior eris, ſi feceris. Quare glorioſior? Illam premit parentum cuſtodia, refrenat infirmioris ſexus ipſa

De verbis Dom. ſer. 46. c. 2.

Digitized by Google

verecundia. Poſtremò leges timet, quas tu non times. Ideò glorioſior eris ſi feceris; quia tu ſi feceris, Deum times. Habet illa multa quæ timet præter Deum, tu ſolum Deum times. Sed tu quem times, maior eſt omnibus. Ipſe timendus eſt in publico, ipſe in ſecreto. Procedis, videris; intras, videris: lucerna ardet, videt te; lucerna extincta eſt, videt te: in * cubiculum intras, videt te; in corde verſaris, videt te. Ipſum time, illum cui cura eſt vt videat te, & vel timendo caſtus eſto. Aut ſi peccare vis, quære vbi te non videat, & fac quod vis.] Item idem in ſermone ad populum, cuius titulus eſt *de decem cordis*: [Noli, inquit, dicere tibi, quando fortè luxurianter aliquid vis agere: adhuc vxorem non habeo, facio quod volo: non enim poſt vxorem meam pecco. Iam noſti pretium tuum; iam noſti quò accedis, quid manduces, quid bibas. Abſtine te à fornicationibus: ne fortè dicas mihi ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad proſtitutam eo; nec illud præceptum violo quò dictum eſt: *Non mœchaberis*. Quia vxorem nondum habeo, nec poſt illam aliquid facio. Nec illud præceptum violo, vbi dictum eſt: *Non concupiſces vxorem proximi tui:* quia ad publicum vado: in quod præceptum incurro? Non inuenimus chordam quam tangamus. Quo neruo legimus fugitiuum iſtum? Non fugiat, habet vnde ligetur. Decem enim præcepta ad duo illa referuntur, ſicut audiuimus, vt diligamus Deum, & proximum. Et duo illa, ad vnum illud. Vnum eſt autem: *Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris*. Intelligat ſanctitas veſtra. Etenim quod fieri tibi non vis, alij ne feceris, ad duo præcepta pertinet. Si homini non feceris quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet. Si autem quod non vis pati ab homine, ipſi Deo vis facere, nonne facis alteri quod pati non vis? Charior tibi factus eſt homo, quàm Deus. Ergo quomodo ipſi facio, inquis, Deo? Corrumpis teipſum. Et vnde iniuriam Deo facio, quia corrumpo meipſum? Apoſtolum audi: *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Hoc dicit Chriſtianis, hoc dicit fidelibus. *Si quis templum Dei corrupit, corrumpet illum Deus*. Videtis quomodo minatur? Non vis corrumpi domum tuam; quare corrumpis domum Dei? Certè facis alicui quod pati non vis. Non eſt

Ibid. c. 3.

* *al.* cubile

Cap. 20.

Exod. 20. 14.

Ibid. 17.

Matt. 7. 12.

1. *Cor.* 3. 16.

Ibid. 17.

ergo quo euadatur. Teneturille qui ſe teneri non putabat.]

His igitur quæ prælibata ſunt diligenter perſpectis, ſummopere ſtudendum eſt coniugij copulam adeuntibus, vt nec clanculò cum meretricibus, nec palam cum ancillulis, antequàm vxorio vinculo ſe innectant, corrumpantur: vt ſcilicet quia centeſimum virginitatis nequeunt, ſaltim caſtè copulati triceſimum fructum à Domino percipere valeant.

CAPVT III.

Quòd coniugatis carnali copulæ indiferenter ſeruire non conueniat.

SVNT plerique coniugalem ducentes vitam, qui tempora coëundi & non coëundi cum vxoribus pudiciſſimè diſcernere ſtudent: ſunt etiam qui huius diſcretionis modum non ſolùm habere renuunt, quin potiùs ſe caſtigantibus & redarguentibus impudenter obiicere ſolent: Vxores, inquiunt, noſtræ nobis lege coniunctæ ſunt, ſi pro libitu noſtro eis quando & qualiter volumus, vtimur, non peccamus. Maioris autem criminis rei efficimur, ſi ab vxorum amplexibus abſtinemus, & filios, quos generare debuimus, non generamus. Quod dico, ſæpiſſimè mihi obiectum eſt: quorum impudentiſſimæ aſſertioni, immò libidinoſæ voluntati, quam ſibi huiuſcemodi facere legem geſtiunt, renititur Eccleſiaſtes dicens: *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri à complexibus.* Et Apoſtolus: *Tempus*, inquit, *breue eſt; reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, & qui gaudent tanquam non gaudentes: & qui emunt tanquam non poſſidentes. Præterit enim figura huius mundi.*

Eccl. 3 5.

1. *Cor.* 7. 30.

Papa enim Gregorius in libro Paſtorali: [Admonendi namque ſunt coniugiis obligati, vt cùm viciſſim quæ ſunt alterius cogitant, ſic eorum quiſquis ſtudeat placere coniugi, vt non diſpliceat conditori: ſic ea quæ huius mundi ſunt, agant, vt tamen appetere quæ Dei ſunt, non omittant. Sic de bonis præſentibus gaudeant, vt tamen intentione ſolli-

Part. 3. c. 28.

Digitized by Google

citâ mala æterna pertimeſcant. Sic de malis temporalibus lugeant; vt tamen conſolatione integra ſpem in bonis * futuris figant: quatenùs dum in tranſitu cognoſcunt ſe eſſe quod agunt, in manſione quod appetunt, nec mala mundi cor confringant, cùm ſpes bonorum cœleſtium roborat: nec bona præſentis vitæ decipiant, cùm ſuſpecta ſubſequentis iudicis mala contriſtant. Itaque animus Chriſtianorum coniugum & infirmus & fidelis, qui & plenè temporalia deſpicere non valet, & tamen ſe* contingere per deſiderium valet, quãuis in delectatione carnis interim iaceat, ſupernę ſpei refectione conualeſcat. Et ſi habet quæ mundi ſunt in vſu itineris, * ſeruet quæ Dei ſunt in fructu peruentionis. Nec totum ſe in hoc quod agit * inferat, nec ab eo quod robuſtè ſperare debuit, funditùs cadat: quod bene ac breuiter Paulus exprimit, dicens: *Qui habent vxores, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes.* Vxorem quippe quaſi non habendo habet, qui ſic per illam carnali conſolatione vtitur, vt tamen nunquam in praua opera à melioris intentionis rectitudine eius amore flectatur. Vxorem quaſi non habendo habet, qui tranſitoria cuncta eſſe cõſpiciens, curam carnis ex neceſſitate tolerat, ſed æterna gaudia ſpiritus ex deſiderio expectat. Non flendo flere eſt, ſic exteriora aduerſa plangere, vt tamen nouerit æternæ ſpei conſolatione gaudere. Et rursùm, non gaudendo gaudere eſt, ſic de infirmis animum attollere, vt tamen numquam deſinat ſumma formidare. Vbi aptè quoque paulò pòſt ſubdidit. *Præterit enim figura huius mundi:* Ac ſi apertè diceret: Nolite conſtanter mundum diligere, quando & ipſe non poteſt, quem diligitis, ſtare. In caſſum ergo cor quaſi* manens figitis, dum fugit ipſe quem amatis. Admonendi ſunt coniuges, vt ea in quibus ſibi aliquando diſplicent, & patienter inuicem tolerent, & exhortantes inuicem ſaluent. Scriptum namque eſt: *Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*: Lex quippe Chriſti, charitas eſt: quia ex illo nobis & largienter ſua bona contulit, & æquanimiter mala noſtra portauit. Tunc ergo legem Chriſti & eius mandata imitando complemus, quando & noſtra bona benignè conferimus, & noſtrorum mala piè ſuſtinemus.]

al. * perennibus.

al. * æternis ſe coniungere.

al. * ſperet.

al. * conferat.

1. *Cor.* 7. 30.

Ibid. 31.

al. * manentes.

Gal. 6. 2.

Digitized by Google

His ergo quæ ſuprà memorata ſunt auditis, diligentérque perſpectis, omittant impudici coniugati voluptuoſum libitum ſuum ſibi facere legem; & diſcant ex præmiſſis auctoritatibus, quòd eos non oporteat ſuis immoderatè vti debere vxoribus.

CAPVT IV.

De Conſeruanda fide inter virum & vxorem: & quòd non liceat concubinam habere.

NON conuenit Chriſtianæ Religioni, vt vnus multas aut vna diuerſos in vno corpore ſociet. Apud Iudæos nempe, & quoſdam alios incredulos, hæc impudica conſuetudo perdurat. Non enim fas eſt neque decet Chriſtianum, relictâ coniugalis thori fide, per diuerſa ſcorta vagari. Quod etiam ea quæ ſequuntur, fieri non debere demonſtrant. Ait autem Dominus per Malachiam: *Hoc rurſus feciſtis. Operiebatis lacrymis altare Domini, fletu & gemitu; ita vt non reſpiciam ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu veſtra. Et dixiſtis: quam ob cauſam? Quia Dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti. Et hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. Nonne vnus fecit, & reſiduum eius ſpiritus? Et quid vnuſquiſq; quærit, niſi ſemen Dei? Cuſtodite ſpiritum veſtrũ, & vxorẽ adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere.* Et Apoſtolus: *Vxori*, inquit, *vir debitum reddat: ſimiliter & vxor viro.* Et paulò pòſt: *Nolite*, inquit, *fraudare inuicem: niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi. Et iterũ reuertimi in idipſum, ne tentet vos ſatanas, propter incontinentiam veſtram.* Item idem: *Mulier*; inquit, *non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir, & vir non habet ſui corporis poteſtatem ſed mulier.*

Malac. 2. 13.

1. *Cor.* 7. 3.

Ibid. 5.

Ibid. 4.

Auguſtinus in libro de bono coniugali: [Decus ergo coniugale eſt caſtitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fidem; hoc eſt opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apoſtolus dicendo: *Et ſi acceperis vxorem non peccaſti: & ſi nupſerit virgo non peccat; & quod vult faciat, non peccat ſi nubat.* Exigendi autem debiti ab alterutro ſexu immoderatior pro-

Cap. 11.

1. *Cor.* 7. 28.

Digitized by Google

greſſio, propter illa quæ ſuprà diximus, ſecundùm veniam conceditur.] Item idem in eodem: [Ad caſtitatem namque pertinet, non fornicari, non mœchari, nullo illicito concubitu maculari: quæ qui non obſeruant, contra præceptum Domini faciunt: & ob hoc extorres ſunt à virtute obedientiæ.] Item: [Debent ergo ſibi coniugati, non ſolùm ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum causâ, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas, verùm etiam infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos concubitus vitandos, mutuam quodammodo ſeruitutem, vt & ſi alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit. Et ad hoc enim vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir.] Item idem in eodem: [Si ergo ſeruatur fides honoris, & obſequiorum inuicem debitorum ab alterutro ſexu, etiam ſi langueſcentibus, & prope cadauerinis vtriuſq; membris, animorum tamẽ ritè coniugatorum, tantò ſincerior quantò potentior; & tantò ſecurior, quantò placidior caſtitas perſeueret.] Item idem in libro de decem chordis. [Intuemini ſermonem Dei. *Non mœchaberis*. Nolite mœchari poſt vxores veſtras; quia nõ vultis vt mœchentur poſt vos vxores veſtræ. Nolite ire vos quò ſequi non vultis: ſine cauſa vos excuſare conamini, quando dicitis: Numquid eo ad vxorem alienam? Ad ancillam meam eo. Vis vt dicat vxor tua tibi, numquid eo ad virum alienum? Ad ſeruum meum eo. Dicis, non eſt vxor aliena, ad quam vado? Abſit vt dicat hoc illa: Melius enim vt doleat de te, quàm imitetur te. Illa enim caſta & ſancta femina, & verè Chriſtiana eſt, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, ſed propter charitatem dolet. Non ideò non vult vt facias, quia & ipſa non facit: ſed quia tibi non expedit: Nam ſi propterea non facit, vt non facias; ſi feceris, faciet. Si autem Deo illud debeat, ſi Chriſto illud debeat, quod tu exigis, & ideò reddit, quia iubet ille, & ſi fornicatur vir, caſtitatem illa Deo exhibet. Chriſtus enim loquitur in cordibus bonarum fœminarum; loquitur intus huiuſmodi verbis: De iniuriis viri tui torqueris: quod tibi enim facit, dole, ſed ipſum noli imitari, vt malè facias; ſed ipſe te imitetur in bono. Nam in eo quod malè facit, noli

Cap. 23. med.

Cap. 6. poſt. init.

Cap. 3. ſub med.

Cap. 9. init. *Exod.* 20. 14.

Digitized by Google

al. * time me Deum tuum. eum putare caput tuum, ſed * me. Nam ſi in eo quod malè facit, caput eſt, ſecuturum eſt corpus caput ſuum; eunt ambo in præceps. Vt autem non ſequatur malum caput ſuum, teneat ſe ad caput Eccleſiæ Chriſtum. Huic debet charitatem ſuam: huic defert honorem ſuum. Abſens ſit vir, præſens ſit vir, non peccat illa, quia numquam eſt abſens, cui debet vt non peccet.]

Lib 2. c. 8. med. Item idem in libro de adulterinis coniugiis: [Illi, inquit, quibus diſplicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma ſeruetur, & potiùs eligunt, maximéque in hac cauſa mundi legibus ſubditi eſſe, quàm Chriſti: Legant quid Imperator Antonius, non vtique Chriſtianus, de hac re conſtituerit. Ait enim inter reliqua: Periniquum enim mihi videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet, quæ res poteſt & virum damnare, & ob confeſſionem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel cauſam facti tollere. Si hæc obſeruanda ſunt propter decus terrenæ ciuitatis, quantò caſtiores quærit cœleſtis patria, & ſocietas Angelorum.]

Ibid. paulò pòſt.

Prou. 5. 19. Beda in expoſitione Prouerbiorum: [*Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus.* Illa, inquit, ſit tibi ſemper chariſſima coniunx, quæ ſicut cerua ſerpentes, ita perſequatur ſcorta, & ſuis effuget ab ædibus.] Hieronymus in Epiſtola de morte Fabiolæ: [Quidquid, inquit, viris iubetur, hoc conſequenter redundat ad fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda eſt; & vir mœchus tenendus. Si quis meretrici iungitur, vnum corpus facit. Ergo quæ ſcortatori, impuróque ſociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ ſunt Chriſti. Aliud Papianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris pudicitiæ fræna laxantur: & ſolo ſtupro atq; adulterio cõdemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur: quaſi culpam dignitas faciat, non voluptas. Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris: eadem ſeruitus pari conditione cenſetur.

Epiſ. 30. ferè init.

De vero cultu l. 6. c. 23. med. Senſum Scribit autem & Lactantius: [Cùm quis habet vxorem, neque ſeruam, neque liberam habere poterit, vt matrimonio fidem ſeruet. Neque enim, vt viris publicatio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ virum habens ab altero polluitur:

dum

dum diuina lex ita duos in vnius matrimonij corpore coniunxerit, vt adulter ſit qui ſquis compagem corporis in diuerſa detraxerit. Iniquum eſt enim vt vir id exigat ab vxore, quod præſtare non poſſit. Ambroſius in libro de Abraham: [Imitemur ergo Abraham, vt heredes ſimus terræ per iuſtitiam fidei, per quam ille mundi heres factus eſt. * ſed fortaſſe dicat aliquis: Quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cùm de ancilla ſuſceperit filium? Aut quid ſibi hoc vult eſſe, vt tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cuius tanta opera miramur? * Sed conſideremus primùm, quia Abraham ante legem Moyſi, & ante Euangelium fuit; nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit; nec ante legem vlla eſt rei damnatio, ſed ex lege. Deus in Paradiſo licet coniugium laudauerit, non adulterium damnauerat. * Habes vnam Abrahæ defenſionem. Secunda illa eſt; quòd non ardore aliquo vagæ ſuccenſus libidinis; non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio coniugalem poſthabuit thorum, ſed ſtudio poſteritatis, & propagendæ ſobolis. Adhuc poſt diluuium raritas erat generis humani, erat etiam religionis, ne quis non reddidiſſe videretur debitum naturæ.]

potiùs quã verba excepit Author.

Lib. 1 c. 3. in fine.

*Ibid. c. 4. init.

*Ibid. poſt pauca.

*Ibid. paulò pòſt.

Vos ergò moneo, viri maximè, qui ad gratiam Domini tenditis, non coniungi adulterino corpori; qui enim ſe meretrici coniungit, vnum corpus eſt. Nec dare hanc occaſionẽ diuortij mulieribus: Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum; omne ſtuprum adulterium eſt: Nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem viro quæ ab vxore debetur caſtimonia. Quidquid in ea quæ non ſit legitima vxor commiſſum fuerit: adulterij damnatur crimine. Ergo aduertiſtis quid debeatis cauere; ne quis ſacramentis ſe indignum præbeat. Accipite etiam illud: quia huiuſmodi intemperantia ſoluit charitatem coniugij, ſuperbas ancillas facit: iracundas matronas, diſcordes, contumaces: concubinas procaces, inuerecundos maritos: ſimul vt de domino conceperit ancilla, ſpernit dominam ſuam tanquam ditior partu. Domina ſe deſpici dolet: maritum auctorem iniuriarum ſuarum arguit. Patet nempe quod inter virum & vxorem par pudicitiæ forma, & coniugalis thori fides ſit conſeruanda: ne-

Digitized by Google

que fas ſit viro, aut causâ prolis, aut causâ luxuriæ cum alterâ, neque mulieri cum altero vinculum coniugale diſſoluere.

CAPVT V.

Quòd viri in caſtitate vxores ſuas diligere, eíſque vt pote vaſi infirmiori honorem debeant impendere.

IN præcedenti capitulo de fide conſeruãda inter virum & vxorem breuiter collectum, in hoc quoque ſequenti de diligendis à viris vxoribus amore caſto reſtat colligendum. Legitur in Prouerbiis: *Sit vena tua benedicta: & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus; Vbera eius inebrient te omni tempore: & in amore illius delectare iugiter.* Et in Eccleſiaſte: *Perfruere vita cum vxore quam diligis cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole omni tempore vanitatis tuæ.* Petrus verò Apoſtolus ait: *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam quaſi infirmiori vaſi muliebri impertientes honorem; tamquam coheredibus gratiæ veſtræ, vt non impediantur orationes veſtræ.* Paulus quoque: *Viri,* inquit, *diligite vxores veſtras; ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Item idem: *Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam: Ita & viri debent diligere vxores ſuas, ſicut corpora ſua.* Auguſtinus quoque in libro ad Valerium contra Pelagium: [Dubitari non poteſt, naturali ordine viros potiùs fœminis, quàm viris fœminas principari. Quod ſeruans Apoſtolus ait: *Caput mulieris vir.* Et, *mulieres ſubditæ eſtote viris veſtris.* Et Apoſtolus Petrus: *Quomodo,* inquit, *Sara obſequebatur Abrahæ dominũ eum vocans.* Quod licet ità ſe habeat, vt naturam principiorum amet ſingularitatem, faciliùs tamen pluralitatem videmus in ſubditis; tamen plures fœminæ vni viro numquam licitè iungerentur, niſi ex hoc plures filij naſcerentur: Vnde ſi vna concumbat cum pluribus quia non eſt ei hinc multiplicatio prolis, ſed frequentatio libidinis, coniunx non poteſt eſſe, ſed meretrix. Quoniam ſanè non tantùm, fœcunditas, cuius fructus in prole eſt nec tantùm pudicitia, cuius vinculum eſt fides; verùm etiam quoddam

Prou. 5. 18. 19.
Eccleſ. 9. 9.
1. *Pet.* 3. 7.
Coloſ. 3. 19.
Epeſ. 5. 28.
Ibid. 29.
De nupt. & cõcup. c. 9. ſub med.
Coloſ. 3 18.
1. *Pet.* 3. 6.
Cap 10.

Digitized by Google

ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apoſtolus: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Huius procul dubio ſacramenti res eſt, vt maſculus & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt, inſeparabiliter perſeuerent, nec liceat, exceptâ causâ fornicationis, à coniuge coniugem dirimi.] Hieronymus in libro contra Iouinianum: [Si, inquit, Chriſtus ſanctè, ſi caſtè, ſi abſque vlla macula Eccleſiã diligit, viri quoque in caſtitate vxores ſuas diligant; Et ſciat vnuſquiſq; ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore.] Ambroſius in libro primo, cuius titulus eſt, *De Abraham*: vbi eiuſdem Abrahæ hoſpitalitatem, quam Angelis exhibuit, deſcribit, ita dicit: [Et dixit Saræ, feſtina, & conſperge tres menſuras ſimilaginis, & fac ſubcinericia. Bonus maritus exortem religioſi muneris eſſe non patitur vxorem; nec auarè ſibi totum munus vſurpat. Rectè igitur & pietatis & verecũdiæ cauſa ſeruatur. Quod pietatis eſt, vult eſſe commune: quod pudoris eſt integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hoſpitum explorat aduentum: intra tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam, & opera muliebria toto exercet pudore. Foris maritus inuitat, intus Sara adornat conuiuium: Nec ſolùm ipſe feſtinat Abraham; ſed etiam feſtinandum dicit vxori, ſociam deuotionis oſtendens, nec fide diſparem.]

Coloſ. 3. 19.

Lib. 1. ante med.

1. *Theſ.* 4.

Lib. 1. c. 5. ante med.

Gen. 18. 6.

Qui ergò magis pulchritudinem corporis, & deſiderium voluptatis, quàm decorem mentis in vxoribus diligunt, audiant quid præfatus Ambroſius in memorato primo libro dicat: [Docetur quiſque non magnopere decorem quærendum coniugis, qui viro plerumque necem gignere * ſolet. Non enim tam pulchritudo mulieris, quàm virtus eius & grauitas delectat virum. Qui ſuauitatem quærit coniugij, non ſuperiorẽ cenſuambiat, quàm neceſſitates non teneant maritales: non monilibus ornatam, ſed moribus.] Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte. [Inuenitur, inquit, bonus Chriſtianus diligere in vna fœmina creaturam Dei, quam renouari & reformari deſiderat: odiſſe autem coniunctionem, copulationémque corruptibilem, atque mortalem, hoc eſt diligere in ea quod homo eſt, odiſſe quod vxor eſt.] Et paulò pòſt: [Poteſt igitur Chriſtianus cum

Lib. 1. c. 2. med.

al. * ſoleat

Lib. 1. c. 15.

Digitized by Google

coniuge concorditer viuere : ſiue indulgentiam carnalem cum ea ſupplens, quod ſecundùm veniam, non ſecundùm debitum, dicit Apoſtolus; ſiue filiorum propagationem, quod iam nonnullo gradu poteſt eſſe laudabile: ſiue fraternâ ſocietate ſine vlla corporum commixtione, habens vxorem tanquam non habens, quod eſt in coniugio Chriſtianorum excellentiſſimum atque ſublime: vt tamen oderit in ea nomen temporalis neceſſitatis, & diligat ſempiternæ beatitudinis.] Scribit etiam idem ad Valerium Comitem: [Abſit ergò vt fidelis homo, cùm audit ab Apoſtolo, *Diligite vxores veſtras*, concupiſcentiam carnis diligat in vxore, quam nec in ſeipſo debet diligere, audiens alterum Apoſtolum: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt.*

De nupt. & cõcup. c. 18. ante fin.

Coloſ. 3. 19.

1. *Ioan.* 2. 15.

Perpendant itaque coniugati, quòd ſicut præmiſſa documenta declarant, exterior pulchritudo, & carnalis vxorum delectatio, earum interiori caſto amori nullatenùs ſit præferenda. Non ſint igitur in vxoribus diuitiæ tantùm & pulchritudo, ſed potiùs pudicitia, & morum probitas quærenda.

CAPVT VI.

Quòd cum vxoribus carnis commixtio, gratiâ fieri debeat prolis, non voluptatis.

AVDIANT hoc fideles coniugati, apud quos in explendâ cum vxoribus carnali voluptate, penè quidquid libitum eſt, licitum putatur: quòd non expediat eis ſecundùm ritum gentium quæ ignorant Deum in morbo deſiderij vaſa ſua, id eſt coniuges ſuas, ſed in ſanctificatione & honore poſſidere, ſicut pleniſſimè ſanctorũ Patrum documenta ſubnexa declarãt. Hieron. in expoſitione Eccleſiaſtæ: [*Nolite fraudare*, inquit, *inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi:* Liberis ſcilicet dandam operam, & rursùm continentiæ.] Item idẽ in expoſitione Epiſtolæ ad Galatas; immunditiam & luxuriam tractans, ita dicit: [Sequitur enim immunditiã comes luxuria. Quomodo enim in veteri lege de nefandis criminibus, quæ in occulto fiunt, & ea nominare turpiſſimum eſt; ne & dicentis os, & aures audientium pollueren-

In expoſ. c. 3. v. 5.

1. *Cor.* 7. 5.

In expoſ. ad Gal. c. 5. v. 19.

Digitized by Google

tur, generaliter ſcriptura complexa eſt dicens: *Verecundos, vel reuerentes facite filios Iſraël ab omni immunditia*: ſic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipſarum quoque opera nuptiarum, ſi non verecundè & cum honeſtate quaſi ſub oculis Dei fiant, vt tantùm liberis ſeruiatur, immunditiam, & luxuriam nominauit.] Notandum quòd coïtus cum vxore, niſi causâ prolis fiat, immunditia, & luxuria ab Apoſtolo nominetur. Beatus quoque Auguſtinus in libro, quem ad Valerium Comitem ſcribit, exponens ſententiam Pauli: *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, abſtinere vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore, non in morbo deſiderij; ſicut & gentes quæ ignorant Deum*: ita dicit: [Non ſolùm igitur coniugatus fidelis vaſe non vtitur alieno, quod faciunt à quibus vxores appetuntur alienæ; ſed nec ipſum proprium in concupiſcentiæ carnalis morbo poſſidendum ſciat. Quod non ſic accipiendum eſt, tanquam prohibuerit Apoſtolus coniugalem, hoc eſt licitum honeſtúmque concubitum; ſed vt iſte concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adiunctum, ſi non præcedente peccato in eo periiſſet libertatis arbitrium; quod nunc ideò habet adiunctum vt non ſit cauſa voluptatis, ſed neceſſitatis; ſine qua tamen in procreandis filiis ad fructum peruenire non poteſt ipſius voluntatis: quæ * voluptas in connubiis fidelium, non] eo fine determinatur, vt tranſituri filij naſcantur in ſæculo iſto; ſed vt permanſuri renaſcantur in Chriſto. Quod ſi prouenerit, merces erit de coniugio plenæ fidelitatis; ſi autem non prouenerit, pax erit coniugibus bonæ voluntatis. Hac intentione cordis qui ſuum vas poſſidet, id eſt coniugem ſuam, procul dubio non poſſidet in morbo deſiderij ſicut gentes, quæ ignorant Deum: ſed in ſanctificatione & honore, ſicut fideles, qui ſperant in Deum. Illo quippe concupiſcentiæ malo, vtitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æſtuantem frenat & cohibet; nec niſi propagini conſulens relaxat atque adhibet: vt ſpiritaliter generandos carnaliter gignat, non vt ſpiritum carni ſordida ſeruituti ſubiiciat.]

Leuit. 15.

De nupt. & cõcup. c. 8.

1. *Theſſ.* 4. 3.

al. * volũtas.

Item idem in libro de bono coniugali: [Concubitus enim

Cap. 10. ſub med.

Digitized by Google

neceſſarius causâ generandi, inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis. Ille autem qui vltra iſtam neceſſitatem progreditur; iam non rationi, ſed libidini obſequitur.] Item idem in eodem: [Nuptiarum quippe vſus ita ſe habet: vt ſi quid in eis per carnis commixtionem quod excedat generandi neceſſitatem, quamuis venialiter factum fuerit, contaminatio ſit.]

Cap. 6. ante fin. Et paulò pòſt : [Coniugalis enim concubitus generandi gratiâ non habet culpam ; concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed cum coniuge propter thori fidem, venialem habet culpam: adulterium verò, ſiue fornicatio lethalem habet culpam. Ac per hoc melior quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit causâ gignendi. Sed quia illa continentia meriti amplioris eſt, reddere verò debitum coniugale, nullius eſt criminis ; exigere autem vltra generandi neceſſitatẽ, culpæ venialis: fornicari porrò, vel mœchari, puniendi criminis. Caueredebet chara caſtitas, ne dum ſibi quærit vnde ampliùs honoretur, coniugi faciat vnde damnetur.]

Cap. 7.

Cap. 16. Item idem in eodem: [Quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis: Et vtrumque non eſt ſine delectatione carnali. Quæ tamen modificata, & temperantiâ refrenante in vſum naturalem redacta, libido eſſe non poteſt. Quod eſt autem in ſuſtentando victu illicitus cibus, hoc eſt in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod eſt in luxuria, ventris & gutturis illicitus cibus, hoc eſt in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod eſt in cibo licito nullus immoderatior appetitus; hoc eſt in coniugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo ſatius eſt mori fame, quàm idolothytis veſci; ita ſatius eſt defungi ſine liberis, quàm ex illicito concubitu ſtirpem quærere. Vndecumque autem naſcantur homines, ſi parentum vitia non ſectentur, & Deum recte colant, honeſti & ſalui erunt: ſemen enim hominis ex qualicumque homine Dei creatura eſt; & eo malè vtentibus, male erit, non ipſum aliquando malum erit. Sicut autem filij boni adulterorum, nulla defenſio eſt adulteriorum ; ſic mali filij coniugatorum, nullum crimen eſt nuptiarum.]

Lib. 3. c. 18. ante med. Item idem in libro de doctrina Chriſtiana: [Nam ſi multis vxoribus caſtè vti quiſquam pro tempore

Digitized by Google

potuit, poteſt alius vnâ libidinosè. Magis enim probo multarum fœcunditate vtentem propter aliud, quàm vnius carne fruentem propter ipſam. Ibi enim quæritur vtilitas temporum oportunitatibus congrua, hîc ſatiatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicata; Inferioríſque gradus ad Deum ſunt, quibus ſecundùm veniam concedit Apoſtolus carnalẽ cum ſingulis coniugibus conſuetudinem propter intemperantiam eorum; quàm illi qui plures ſinguli cùm haberent, ſicut ſapiens in cibo & potu, non niſi ſalutem corporis, ſic in concubitu non niſi procreationem filiorum intuebantur.]

Gregorius in libro Paſtorali: [Admonendi ſunt coniuges, vt ſuſcipiendæ prolis ſe meminerint causâ coniunctos, & cùm immoderatè admixtioni ſeruientes, propagationis articulum in vſum transferunt voluptatis, perpendant, vt per hoc, quod licet extrà non exeant, in ipſo tamen coniugio & coniugij iura tranſcendant; Vnde neceſſe eſt, vt crebris exorationibus defleant, quòd pulchram copulæ ſpeciem admixtis voluptatibus fœdant, hinc eſt enim quòd peritus medicinæ cœleſtis Apoſtolus, non tam ſanos inſtituit, quàm infirmis medicamenta monſtrauit, dicens: *De quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat; & vnaquæque ſuum virum habeat.* Qui enim fornicationis metum* permiſit, profectò non ſtantibus præceptum contulit; ſed ne fortaſſe in terram* ruerint, lectum cadentibus oſtendit. Vnde adhuc infirmantibus ſubdit: *Vxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & vxor viro.* Quibus dum in magna honeſtate coniugij aliquid de voluptate largiretur, paulò poſt adiungit: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam: non ſecundùm imperium.* Culpa quippe eſſe innuitur, quod indulgere prohibetur. Sed quæ tantò citius relaxetur, quantò non per hanc illicitum quid agatur; ſed hoc quod eſt licitum, ſub moderamine non tenetur. Exemplum Loth, qui ne cum Sodomis quaſi in incendio libidinis deperiret, non ad montem caſtitatis conſcendit, ſed in Segor manſit coniungij. Legitur etiam in hiſtoria Anglorum, ita beatum Gregorium ad conſulta Auguſtini ſcripſiſſe: [Oportet itaque legitima carnis copula vt

Part. 3. cap. 28.

1. *Cor.* 7. 1.

al. * præmiſit.

*al.** rueruent.

Ibid. 3.

Ibid. 6.

Gen. 19. *c.*

Bedæ hiſt. Ang. l. 1. c. 27 ante fin. & Gre-

Digitized by Google

gor. Epiſt. 31. l. 12. lõgè ante fin.

cauſa ſit prolis, non voluptatis; & carnis commixtio, procreandorum liberorum ſit gratiâ, non ſatisfactio vitiorum. Cùm verò non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de ſua commixtione quod defleant.]

Quod quia deflendum eſſe tot tantáque documenta perhibent, caueri prorsùs oportet. Quapropter attendant coniugati; quòd ipſe coïtus cum vxore, ſi non amore ſuſcipiendæ prolis, ſed causâ libidinis exiſtit, fletu opus habeat.

CAPVT VII.

Contra eos, qui à coïtu vxorum prægnantium ſe minimè abſtinere debere contendunt.

SI causâ prolis vxor ducitur, & commixtio maris & fœminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri, poſtquam fructum oriundæ prolis tumefactus vxoris venter indicauerit, quid coïtus cum vxore, iam niſi æſtum libidinis demonſtrat? Nonne ab huiuſcemodi coïtu abſtinere nolenti quodammodo dicit Dominus: Si causâ liberorum vxorem duxiſti, iam me operante adeptus es quod voluiſti; vt quid operi meo morbidæ libidinis quicquam ſuperaddere præſumpſiſti? Hi autem qui cum prægnantibus vxoribus licenter coïre poſſe contendunt, legant beatum Auguſtinum in libro de bono coniugali ità ſcribentem: Sunt item viri vſque adeò incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant. Quidquid ergò inter ſe coniugati, immodeſtum, inuerecundum, ſordidumque gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum. Eſt etiam & cuiuſdam ſapientis ſententia à beato Hieronymo approbata, hunc habens modum: [Adulter eſt, inquit, in ſuam vxorem amator ardentior.] In alienâ quippe vxore omnis amor turpis, in ſuâ nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu: Regit impetus voluptatis: nec præceps fertur in coïtum. Nihil eſt fœdius, quàm vxorem amare quaſi adulteram. Certè qui dicunt ſe causâ Reipublicæ, & generis humani

In comment. Ezech. c. 18. 6. ex Xiſti Pitagorici ſenten. in Bibliot. Pat. ſent. 222.

Digitized by Google

humani vxoribus iungi, & liberos tollere, imitentur ſaltem pecudes Et poſtquàm vxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores ſe vxoribus exhibeant, ſed maritos.

Liquidò igitur patet, quoniam ſicut clariſſimorum Doctorum dicta ſanciunt, & antiqui coniugati Patres in exemplum ſunt, prorſus à coïtu vxorum prægnantium ſit abſtinendum. At ſi quiſpiam contendere voluerit, ſe aut nolle, aut non poſſe, aut certè non debere huiuſcemodi coïtu abſtinere ; nouerit quòd culpa non careat concubitus cum vxore, quando non prolis, ſed causâ exercetur libidinis.

CAPVT VIII.

De Inceſtis.

CVM omnis illicitus concubitus inceſtus ſit ; multò magis concubitus cum propinquis, Deóque dicatis fœminis, habetur inceſtus : qui enim vel cum virginibus Deo ſacratis, vel ſanguine propinquis miſcetur, inceſti, id eſt, incaſti iudicantur. Tamdiu verò, vt Chriſtiana Religio, & auctoritas ſanctæ Eccleſiæ ſanxit, coniugia inter propinquos vitanda ſunt, quamdiu neceſſitudinum nomina perſeuerant. Quoniam nunquam Chriſtianis conuenit, vt duæ aut tres neceſſitudines, vt beatus ait Auguſtinus, in homine vno fiant. Auctoritate quippe ſanctæ Dei Eccleſiæ, quam Apoſtolis ſibi traditã creditur, obſeruare ; * cui refragari fas non eſt : & mundanæ legis cenſurà, nec non & ipſius naturæ honeſtiſſimo ordine perdocetur, propinquitatis coniugia vſq; in ſeptimum gradum differenda : Et tunc (vt idem beatus Auguſtinus in libro de ciuitate Dei dicit) ne ipſa propinquitas longiùs abeat, & eſſe deſiſtat, hanc matrimonij vinculo rurſum colligari, & quodammodo fugientem reuocari.

De ciuit. Dei l. 15. c. 16.

ſup. * oportet.

Ibidem.

Beatus quoque Papa Gregorius in Decretalibus ſuis, inter cætera eos, qui de propria cognatione vxores ducunt, Apoſtolico anathemate percellit, dicens : [Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio, anathema ſit : & reſponderunt omnes ter anathema ſit. Si quis nuptam duxerit in coniugio

Greg. II. Concil. Rom. 1. c. 1. & ſeq.

Digitized by Google

anathema ſit: & reſponderunt omnes: anathema ſit: Si quis nouercam aut nurum ſuam duxerit in coniugio, anathema ſit: & reſponderunt omnes ter anathema ſit. Si quis conſobrinam duxerit in coniugio, anathema ſit: & reſponderunt ter omnes anathema ſit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit: & reſponderunt ter omnes anathema ſit.] At ſi quis obiicere voluerit aliter beatum Papam Gregorium de gradibus propinquitatis Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcripſiſſe, nouerit illum non vt auctoritati Eccleſiæ contrairet; ſed potiùs vt eidem rudi populo conſuleret, id feciſſe.

Lib. 12. epiſt. 31. Reſp. 7.

Quia ergo Chriſtianis inceſta coniugia omninò ſint vitanda, apertè demonſtratur, vt quid igitur appetitur tale coniugium, vbi & culpa innuitur, & mũdanę dignitatis nobilitas infamiæ denotatur? Denotatur dico; quia qui tali coniugio innectitur, denobilitatur, & filij qui ex tali coniugio naſcuntur, in hæreditate n ſecundum humanæ legis cenſuram non admittuntur. Porrò inde neceſſe eſt, vt vnuſquiſque fidelis huiuſcemodi inceſta coniugia caueat; ne id quod licitè, & inculpabiliter poteſt cum aliis, id illicitè, & culpabiliter gerendo cum propinquis, & peccati lapſum incurrat, & Apoſtolico anathemate percellatur.

CAPVT IX.

Contra impudicos qui dicunt, cùm genitalia à ſapientiſſimo Creatore Domino ſint creata, cur mutuus patiatur ardor, & non potiùs pro vniuſcuiuſque libitu libido exerceatur.

NON deſunt ſuæ libidini vacare volentes, qui dicant: genitalia membra ideò à ſummo Opifice Deo in vtroque ſexu creata ſunt, vt pariter commiſceantur. Quid ergò delinquimus ſi pro libitu noſtro concubitus exercemus? Quod qui dicunt, perpendant neceſſe eſt, quòd non ſolùm genitalia, verum etiam & cætera corporis membra ideò

Digitized by Google

Deus creauerit, vt his licita non illicita agantur: ſi quis igitur ea in illicitos, & extraordinarios vſus conuerterit, bona quibus bene vti debuit, in ſui perniciem retorquet. Scribit itaque beatus Hieronymus cõtra obiecta Iouiniani dicentis: [Cur, inquit, creata ſunt genitalia? Et ſic à Conditore ſapientiſſimo * creati ſumus, vt mutuum noſtri patiamur ardorem, & geſtiamus in naturalem copulam? Ita periclitamur reſponſionis verecundiâ, & quaſi inter duos ſcopulos, & quaſdam neceſſitates & pudicitiæ συμπαθείας hinc atque inde, vel pudoris vel cauſæ naufragium ſuſtinemus. Poteram quidem dicere, quomodo poſterior pars corporis & meatus, per quem alui ſtercora egeruntur, relegatus eſt ab oculis, & quaſi poſt tergum poſitus, quibus venæ corporis irrigantur, à Deo conditus eſt: * Compellor aliquid loqui, & inſipiens fieri, ſed vos me vt loqui audeam coëgiſtis. Dominus noſter atque Saluator, cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui dignatus eſt accipere; factus obediens vſque ad mortem, & mortem crucis; quid neceſſe erat vt cum his membris naſceretur, quibus vſurus non erat, qui certè vt ſexum oſtenderet etiam circumciſus eſt? Cur Ioannem Apoſtolum, & Baptiſtam ſua dilectio caſtrauit, quos viros naſci fecerat? Qui in Chriſtum credimus, Chriſti ſectemur exempla. Et ſi noueramus eum ſecundùm carnem: ſed iam nunc non nouimus eum.] Item idem in expoſitione libri Eccleſiaſtæ: [Vniuerſa enim bona fecit Dominus in tempore ſuo: bonum eſt vigilare atque dormire; nec tamen ſemper vigilare atque dormire bonum eſt; quia viciſſim iuxta diſpoſitionem Dei, bonum eſt vnumquodque, cùm opus eſt.]

Lib. 1. cõtra Iouin. poſt med. *al.* * fabricati.

* paulò poſt. *Phil.* 2.

In expoſ. c. 3. v. 11.

Ex quibus non vt quidam æſtimant, ad luxuriam & ad delicias inſtar animalium prouocamur. Ait & Pſalmographus: *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* Item: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* In libro quoque Tobiæ: *Hi namque*, inquit, *qui coniugium ita ſuſcipiunt vt Deum à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus, habet poteſtatem dæmon ſuper eos.* His enim teſtimoniis tantæ impudentiæ adſertores conuicti, intelligant, quòd membris genitalibus à Deo bono creatis, non liceat ad vniuſcuiuſque

Pſ. 31. 11. & 48. 13. *Tob.* 6. 16.

libitum; ſed ad ea pro quibus à Deo ordinabiliter inſtituta ſunt, ſecundùm eius voluntatem, tempore, & ordine ſuo vti.

CAPVT X.

Quòd tempore menſtruo omnino ab vxoribus ſit abſtinendum.

Ezech. 18. 6. In comment in Ezech. ad eund. ver.

EZECHIEL Propheta cùm bona viri iuſtificata enumeraret, ſexto loco ità intulit: *Ad mulierem menſtruatam non acceſſerit.* Quem locum ita beatus Hieronymus exponit: [Per ſingulos, inquit, menſes grauia atque torpentia mulierum corpora, immundi ſanguinis effuſione releuantur. Quo tempore ſi vir coïerit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium ſeminis trahere; ita vt leproſi & elephantioſi ex hac conceptione naſcãtur: & fœda in vtroq; ſexu corpora paruitate vel enormitate membrorum ſanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris vt non ſolùm in alienis vxoribus, ſed in ſuis quoque, quibus videntur lege coniungi, ſcripturâ *Gen.* 1. 28. dicente: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram:* certa concubitus norint tempora, quando coëundum, quandóque ab vxoribus ſit abſtinendum. Quod quidem & Apoſtolus & Eccleſiaſtes ſonant: *Tempus*, inquit, *amplexandi; & tempus longe fieri à complexibus.* Caueat ergo & vxor ne fortè victa deſiderio coëundi * celet virum: & maritus ne vim faciat vxori, putans omni tempore ſubiectam ſibi debere eſſe coniugij voluptatem. Vnde & Paulus. *Vt nouerit*, inquit, *vnuſquiſque vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione & iuſtitia.* Auguſtinus in libro ſermonum ad populum.]* Quotieſcumque, inquit, dies Dominicus venerit, aut feſtiuitatis, nullus vxorem ſuam cognoſcat. Quoties ſanguinis fluxum patiuntur mulieres, ſimiliter obſeruandum eſt; quia qui tunc concepti fuerint aut dæmoniaci, aut curui, aut epileptici erunt. Et ſi animalia ſine intellectu non ſe coniungunt, niſi certo & legitimo tempore, quantò magis homines, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei creati ſunt, * debent ſe obſeruare?]

Eccleſ. 3. 5

al. * illiciat.

1. *Theſſ.* 4. 4. De temp. ſer. 3. poſt med.

al. * quotiens.

al. * deberent hoc.

Digitized by Google

Scribitur etiam in Leuitico: *Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſeminis, ſeptem diebus ſeparabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit vſque ad veſperam: & in quo dormierit, vel ſederit, in diebus ſeparationis ſuæ polluetur. Qui tetigerit lectum eius, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua immundus erit vſque ad veſperam. Omne vas ſuper quod illa ſederit, quiſquis tetigerit, lauabit veſtimenta ſua; & lotus aquà pollutus erit vſque ad veſperam. Si coierit vir cum ea tempore menſtruali, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum in quo dormierit, polluetur. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis non in tempore menſtruali: vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat, quamdiu huic ſubiacet paſſioni, immunda erit quaſi in tempore menſtruo; Omne ſtratum in quo dormierit, & vas in quo ſederit pollutum erit. Quicumque tetigerit eam, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aquà immundus erit vſque ad veſperam. Docebitis ergo filios Iſraël vt caueant immunditias, & non moriantur in ſordibus ſuis, cum polluerint tabernaculum meum quod eſt inter eos.* Item ibi: *Ad mulierem quæ menſtruæ patitur non accedes: nec reuelabis fœditatem eius.* Item ibi: *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & reuelauerit turpiditunem eius, ipſa peribit quæ aperuit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.* Leuit. 15. 19. Rom. 15 4.

Cùm enim Apoſtolus dicat: Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: Et lex ſpiritalis ſit, & ſpiritaliter intelligi debeat, in hoc loco ſicut præmiſſa ſanctorum Patrum documenta declarant, & ſuperficies litteræ demonſtrat, ſaluo ſpiritali intellectu, viris omnino ab vxoribus menſtruum patientibus eſt abſtinendum.

CAPVT XI.

Qualiter mulier poſt partum: & vir poſt concubitum vxoris, debeant Eccleſiam ingredi.

GREGORIVS Papa ad interrogationem Auguſtini Anglorũ Epiſcopi ait: [Cùm enixa fuerit mulier, poſtquot dies Eccleſiam intrare debeat, Teſtamenti veteris pręce- Lib. 12. epiſt. 12. ſub med. & Beda

Digitized by Google

hiſt. Ang. l. 1. c. 27. poſt med.

ptione didiciſti; vt pro maſculo diebus triginta tribus, pro fœmina autem diebus ſexaginta ſex, debeat abſtinere. Et paulò pòſt: Praua autem, inquit, in coniugatorum moribus conſuetudo, * obrepſit, vt * contemnant eos lactare quos gignunt, aliiſque mulieribus ad nutriendum tradant: quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inuentum; quia dum continere ſe nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. * Vir autem cum propria coniuge dormiens, niſi lotus aqua intrare Eccleſiam non debet; ſed neque lotus intrare ſtatim debet: lex autem veteri populo præcepit; vt mixtus vir mulieri, & lauari aqua debeat, & ante ſolis occaſum Eccleſiam non intrare. Quod tamen intelligi ſpiritaliter poteſt; quia mulieri vir miſcetur, quando illicitæ concupiſcentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur: * quia niſi priùs ignis concupiſcentiæ à mente deferueat, dignum ſe congregationi fratrum æſtimare non debet, * qui ſe grauari per nequitiam prauæ voluptatis videt. Quamuis de hac re diuerſæ hominum nationes diuerſa ſentiant, atque alia cuſtodire videantur: Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus vſus fuit, poſt admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululùm reuerentérque abſtinere.] Hîc contra illos agitur, qui à coïtu vxorum ſurgentes, irreuerenter Eccleſiam ingreſſi, non ſolùm ad ſacro-ſanctum altare indiſcretè accedunt, verùm etiam Corpus & ſanguinem Domini indifferenter ſumunt. Intelligant ergo, quòd Eccleſiam Chriſti ingreſſi, Corpus & ſanguinem eius non niſi mundo corpore, puróque corde percipere debeant.

al. * ſurrexit.

al. * mulieres filios quos gignunt. * Ibid. paulò pòſt.

al. * qui.

al. * quia.

CAPVT XII.

Quòd niſi cauſâ fornicationis, vt Dominus ait, non ſit vxor dimittenda, ſed potiùs ſuſtinenda.

VARIAS ob cauſas quidam ſuas dimittere ſolent vxores. Quatuor quippe ſunt, quibus fœminæ viris appetibiles fiunt, genus, prudentia, diuitiæ, & pulchritudo. Sunt

Digitized by Google

namque nonnulli, qui dum liberæ conditionis ſortitos ſe putant eſſe vxores, ſi aliqua occaſione poſteà ſeruituti ſubactæ fuerint, illicò eas à iure coniugij ſcindunt: Et hoc lege mundifaciunt, non lege Chriſti. Sunt etiam alij qui dum prudentes, & formoſas, & diuites ſortiuntur in coniugium, ſi poſtea aut mente captæ, aut aliqua alia incommoditate corporis correptæ, aut earum patrimonio prodiga effuſione conſumpto in paupertatem fuerint redactæ, impudenter eas dimittunt prudentibus, & pulchrioribus ac ditioribus delectantes. Quod ne fiat Domini ſententiâ prohibetur, dicentis in Euangelio; quòd qui vxorem ſuam, exceptâ causâ fornicationis dimiſerit, mœchetur: & qui dimiſſam duxerit, ſimili modo mœchetur. Sunt enim plerique laïcorum, qui huic ſententiæ immò legi Chriſti reſultantes, libitum carni ſuæ ſibi legem facere non verentur. Quod quantum nefas ſit, & à Religione Chriſtiana remotum, ea quæ ſequuntur indicant. *Matt.19.*

Scribitur enim in Geneſi: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Et in Euangelio: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et Apoſtolus: *His autem*, inquit, *qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere; Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; & vir vxorem non dimittat.* Et paulò pòſt: *Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet: ſicut in omnibus Eccleſiis doceo. Circumciſus aliquis vocatus eſt, non inducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt; non circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. Vnuſquiſque enim in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: [Dictum eſt autem: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij.* Hæc iuſtitia minor eſt Phariſæorum, cui non eſt contrarium quod dicit Dominus: *Ego autem dico vobis, quicumque dimiſerit vxorem ſuam, exceptà causà fornicationis, mœchatur, & qui ſolutam à viro duxerit, mœchatur.* Non enim qui præcepit dari libellum repudij, hoc præcepit, vt vxor dimittatur; ſed, *Qui dimiſerit*, inquit, *det illi libellum repudij:* vt iracundiam temerariam proiicientis vxorem, libelli cogitatio temperaret. Qui *Gen.2.24.* *Mat.19.6.* *Marc.10.9.* *1 Cor.7.10* *Ibid.17.* Lib.3.c.14 *Mat.5.31.* *Ibid.19.7.* *Mat.19.7.*

Digitized by Google

ergo dimittendi moram quæſiuit, ſignificauit quantùm potuit duris hominibus, ſe nolle diſcidium. Et ideò ipſe Dominus alio loco interrogatus, ita reſpondit: *Hoc moyſes propter duritiam cordis veſtri fecit.* Quantumuis enim durus eſſet qui vellet dimittere vxorem, cùm cogitaret libello repudij dato iam ſine periculo eam poſſe alteri nubere, facilè placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum, vt non facilè vxor dimittatur, ſolam cauſam fornicationis excepit: cæteras verò vniuerſas moleſtias, ſi quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro caſtitate fortiter ſuſtineri; & mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ ſoluta eſt à viro.]Et paulò pòſt: [Nihil enim iniquius quàm fornicationis causâ dimittere vxorem, ſi & ipſe conuincatur fornicari. Occurrit enim illud: *In quo enim alterũ iudicas, te ipſum condemnas. Eadem enim agis qui iudicas.* Quapropter quiſquis fornicationis causâ vult abiicere vxorem, prior debet eſſe à fornicatione purgatus; quod ſimiliter etiã de fœmina dixerim.

Ibid.

Ibid. c. 16. med.

Rom. 2. 1.

Ex Comment. in Matt. c. 19. v. 4.

Hieronymus in commentariis Mathæi Euangeliſtæ:] Interrogatus Dominus dixit: *Non legiſtis quia qui fecit ab initio maſculum & feminam fecit eos?* Hoc in exordio Geneſeos ſcriptum eſt. Dicendo autem maſculum & fœminam, oſtendit ſecunda vitanda coniugia Non enim ait maſculum & fœminas fecit, quod ex priorum repudio quærebatur; ſed *maſculum & fœminam*, vt vnius coniugis conſortio necteretur. *Propter hoc dimittet homo patrem ſuum & matrem; & adhærebit vxori ſuæ.* Similiter ait, *& adhærebit vxori ſuæ*, non vxoribus. *Et erunt duo in carne vna.* Præmium nuptiarum eſt duabus vnam carnem fieri. Caſtitas iuncta ſpiritui, vnus efficitur ſpiritus. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Deus coniunxit vnam faciendo carnem viri & feminæ, hanc homo non poteſt ſeparare, niſi forſitan Deus ſolus. Homo ſeparat, quando propter deſiderium ſecundæ vxoris primam dimittit. Deus ſeparat, qui & coniunxerat, quando ex conſenſu propter ſeruitutem Dei, eò quod tempus in arcto ſit, ſic habemus vxores quaſi non habentes. *Dicunt illi, quid ergo mandauit Moyſes dari libellum repudij, & dimittere?* Aperiunt calumniam quam parauerant. Et certè Dominus non propriam ſententiam protulerat, ſed veteris

Mat. 19 5.

Ibid. 7.

hiſtoriæ,

Digitized by Google

hiſtoriæ, & mandatorum fuerat recordatus Dei: *Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras; ab initio autẽ non fuit ſic.* Quod dicit iſtius modi eſt. Numquid poteſt Dominus ſibi eſſe contrarius, vt aliud ante iuſſerit, & ſententiam ſuam nouo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt: ſed Moyſes cùm videret propter deſiderium ſecundarum coniugum, quæ vel ditiores vel iuniores, vel pulchriores eſſent, alibi indulgere primas vxores, aut interfici, aut malam vitam ducere: maluit intercedere diſcordiam, quàm odia & homicidia perſeuerare.] Et paulò pòſt: [*Dicunt ei diſcipuli: ſi ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Graue pondus eſt vxorum, ſi exceptâ causâ fornicationis eas non licet dimittere. Quid enim ſi temulenta fuerit, ſi iracunda, ſi malis moribus, ſi luxurioſa, ſi guloſa, ſi vaga, ſi iurgatrix, & maledica; iſtiuſmodi tenenda erit? velimus nolimus, ſuſtinenda eſt.] *Ibid.* 8.

Ex euidentiſſimis indiciis comprobatum eſt, vxores niſi causâ fornicationis interueniente, penitus dimitti nec poſſe, nec debere. Sicut enim viri nullâ aduerſitate fracti, nullâ aduerſitate corporis corrupti, ab vxoribus ſuis ſe patiuntur dimitti, aut negligi, ita nihilominùs propter quaſdam aduerſitates, & calamitates, niſi, vt præmiſſum eſt, causâ fornicationis, viri vxores ſuas dimittere, aut negligere ſine periculo animæ ſuæ poſſunt. Et ſicut pudicis & honeſtis fœminis moris eſt, virorum ſuorum infirmantium, & longa ægritudine tabeſcentium lectulis iugiter adſidere, eíſque famulari, & pro viribus opitulari, & in nullo à coniugalis thori fide deficere, ita prorsùs decet, & Chriſtianæ profeſſioni congruit, vt viri eandem vicem vxoribus ſuis rependant.

CAPVT XIII.

Quòd hi qui causâ fornicationis, dimiſſis vxoribus ſuis, alias ducunt, Domini ſententiâ adulteri eſſe notantur.

QVòd qui vxorẽ ſuam, exceptâ causâ fornicationis, dimiſerit, & aliam duxerit, mœchus ſit: & qui dimiſſam

Digitized by Google

duxerit, ſimili modo mœchus ſit, & ſuperiùs ex Domini ſententia declaratum, & in hoc capitulo non ex ſuperfluo eſt
1. *Cor.* 7. replicandum. Apoſtolus quoque ait: Quòd ſi diſceſſerit mulier, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Hieronymus etiam in Commentariis Matthæi Euangeliſtæ: [Quia
In Exp. in c 19. Matt. poterat, inquit, accidere vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; ſic priorem dimittere iubetur vxorem, vt ſecundam primâ viuente non habeat. Quod enim dicit, tale eſt: ſi non propter libidinem, ſed propter iniuriam dimittis vxorem, quare expertus infelices priores nuptias, nouarum te immittis periculo? Nec non quia poterat euenire, vt iuxtà eandem legem vxor quoque marito daret repudium: eadem cautelâ præcipitur, ne ſecundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ ſemel fuerat adulterata, opprobrium non timebat, ſecundo præcipitur viro, quòd ſi talem duxerit, ſub adulterij crimine ſit.] Auguſtinus in libro ad Valerium contrà Pelagium. [Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & in Eccleſia, vt * viuentes cum viuente in æternum nullo diuortio * ſeparentur: cuius ſacramenti tãta obſeruatio eſt in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia Chriſti, quibuſq; fidelibus cõiugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, vt cùm filiorum procreandorum causâ vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores; nec ſterilem coniugem fas ſit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quòd ſi quiſquam fecerit, non lege huius ſæculi, vbi interueniente repudio ſine crimine conceditur, cum aliis alia copulare connubia: quod etiam ſecundum Moyſen Dominus propter duritiam cordis illorum Iſraëlitis permiſiſſe teſtatur: ſed lege Euangelij reus eſt adulterij; ſicut etiam ipſa, ſi alteri nupſerit; & vſque adeò manent inter viuentes ſemel inita iura nuptiarum, vt potiùs ſint inter ſe coniuges, qui ab alterutro ſeparati ſunt, quàm cum his, quibus aliis adhæſerunt. Cum aliis quippe adulteri non eſſent, niſi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum cõnubium poteſt cum quo priùs adulterium fuit. Ita manet inter viuentes quoddam vinculum coniugale, quod nec ſeparatio, nec cum * adultero copulatio poſſit

De nupt. & cõcup. c. 10. poſt init.
al. * viuẽs.
al. * ſeparetur.
al. * altero.

auferre.] Item idem de ſermone Domini in monte: [Mœchum dicit virum, qui eam duxerit, quæ ſoluta eſt à viro. Cui rei Apoſtolus terminum oſtendit, quia tamdiu dicit obſeruandum, quamdiu vir eius viuit: Illo autem mortuo, dat nubendi licentiam.] Lib. 1. c. 14. med.

Hoc igitur tantum nefas contra præceptum Domini & ſaluatoris noſtri IESV CHRISTI, de dimittendis vxoribus, & aliis ducendis, ideò inoleuiſſe dubium non eſt: quoniam nefandi tanti criminis operatores ſeueriſſimâ canonicâ cenſurâ, vt oportet, non percelluntur. De qua re ita Innocentius Papa in decretalibus ſcribit: [De his etiam, inquit, requiſiuit dilectio tua; qui interueniente repudio aliis ſe matrimonio copularunt; quos in vtraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui verò vel viuente vxore, quamuis diſſociatum videatur eſſe coniugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, in tantum vt etiam hæ perſonæ, quibus tales coniuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundùm illud quod legitur in Euangelio: *Et qui dimiſerit vxorem ſuam*, & duxerit aliam, mœchatur: *Similiter qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Et ideò omnes à communione fidelium abſtinendos.] Innocent. I. epiſt. 3. cap. 6. *Mat.* 5 32.

CAPVT XIV.

Vt parentes liberos ſuos diligenter in timore Dei erudiant, docentes eos qualiter caſtè viuere, Deúmque colere, & parentibus honorem debeant impendere. Et quale periculum eis immineat, qui facere negligunt.

SVNT multi qui liberos ſuos plus ſpiritu, quàm carne; & ſunt qui plus carne, quàm ſpiritu diligunt. Sunt item alij qui plus eos legem cœli, quàm mundi; & ſunt è contrario qui plus leges mundi, quàm cœli diſcere ſuadent. Sunt etiam qui plus cœleſtibus, quàm terrenis, & ſunt è contrario qui plus terrenis, quàm cœleſtibus eos inhiare docent. Audiant igitur qui carnaliter filios ſuos diligunt, & legibus mundi po-

Digitized by Google

tius quàm cœleſtibus eos inſtruere ſatagunt, quid Dominus
Deut. 6 6. in Deuteronomio dicat: *Erunt*, inquit, *verba mea hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo; & docebis ea filios tuos, & meditaberis ea ſedens in domo tua.* Item poſt pauca: *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter veſtros oculos collocate. Docete filios veſtros vt illa meditentur.* Imitentur ergo beatum Iob, cuius ſtudium circa filios erudiendos tale extitit, vt non ſolùm eos exteriùs perfectos opere & ſermone efficeret; verùm eorum etiam corda ſacrificij oblatione mundaret. Scribit enim
Lib. 1. c. 4. in fine. beatus Gregorius in moralibus. *Cúmque in orbem tranſiſſent*
Iob. 1. 5. *dies conuiuij: mittebat Iob, & ſanctificabat illos, ſurgenſque diluculo, offerebat holocauſta per ſingulos* [Cùm dicitur mittebat, & ſanctificabat illos, apertè monſtratur quid diſtrictè erga illos præſens ageret, quibus abſens ſollicitudine non deeſſet.] Item idem poſt pauca:] Sed quia beati Iob filij tantâ fuerant diſciplinâ bonæ accincti inſtitutionis, vt neque per facta in conuiuiis, neque per verba delinquerent, apertè monſtratur cùm ſubditur. *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Perfectos quippe in opere eſſe
Ibid. c. 5. poſt init. & ſermone docuerat, pro quibus de ſola pariter cogitatione metuebat.] Et poſt pauca. [Sed in hac re ſolerter intuendum eſt, quanta pater potuit ſeueritate filiorum opera corrigere, & quanta ſollicitudine ſtuduit corda mundare.]

Attendant etiam & Dauid inſtruentem Salomonem fi-
3. Reg. 2. 2. lium ſuum. De quo ita in primo libro Malachiæ legitur: *Ego ingredior viam vniuerſæ terræ. Confortare & eſto vir fortis, & obſerua cuſtodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & cuſtodias cæremonias eius, & iudicia eius, & præcepta & teſtimonia*: ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, & in libro Paralipome-
1. Par. 28. 9. non: *Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda ſcrutatur, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris illum, proiiciet te in æternum.*

Tob. 1. 9. Attendant & Tobiæ; de quo ita legitur: *Quòd cùm factus eſſet vir, accepit vxorem Annam ex tribu ſua; & genuit ex ea filium, nomen ſuum imponens ei. Quem ab infantia ſua timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Item idem poſt pauca Fi-

Digitized by Google

lium ſuum Tobiam alloquens ait: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli; & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Cùm autem ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelies eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ habeto Deum in mente: & caue ne aliquando peccato conſentias & prætermittas præcepta Dei noſtri. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet: vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire ſtude. Præmium enim tibi bonum theſaurizas in die neceſſitatis: quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat; & non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coràm ſummo Deo eleemoſyna omnibus qui faciunt eam. Attende tibi fili ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire. Superbiam numquã in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue. Et merces mercenarii apud te omnino non maneat. Quod ab alio odis fieri tibi, vide nè aliquando tu alteri facias. Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Conſilium ſemper à ſapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* Item idem. *Audite ergo filii mei patrem veſtrum: ſeruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ ſunt placita eius. Et filiis veſtris mandate vt faciant iuſtitias & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua.* *Ibi* 10.

Legitur & in Prouerbiis. *Erudi filium tuum, ne deſperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam, ne ſubtrahas à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgà, non morietur. Tu virgà percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Erudi filiũ tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ Qui parcit virgæ, odit filium ſuum. qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* *Prou.* 19. 18. *Ibid.* 23. 13. 14. *Ibid.* 29. 17. *Ibid.* 13.

Ieſus filius Syrach: *Fili,* inquit, *tibi ſunt, erudi illos; & curua* 24.

Digitized by Google

Eccli. 7. 25. 26. *illos à pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Apoſtolus quoque ait: *Epheſ.* 6. 4. *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in doctrina & correptione Domini.* Item idem: *Coloſ.* 3. 21 *Patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant.* Epiſ. 7. ſub med. Hieronymus ad Lætam: [Si perfecta ætas & ſui iuris imputatur parentibus, quantò magis lactans, & fragilis, & iuxtà *Ioan.* 4. ſententiam Domini ignorat dexteram & ſiniſtram, id eſt *Hier.* 50. 51. boni & mali neſcit differentiam? Si ſollicita prouides, ne filia percutiatur à vipera; cur non eadem curâ prouideas ne *Gen.* 34. feriatur à malleo vniuerſæ terræ; ne bibat de aureo calice Babylonis; ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ; ne ludat pedibus; ne trahat tunicas? Venena non dantur niſi melle circumlita. Et vitia non decipiunt niſi ſub ſpecie vmbráque virtutum.] Et infra: [Qui autem paruulus eſt, & ſapit vt paruulus, donec ad annos ſapientiæ veniat, & Pythagoræ Y littera eum perducat ad biuium, tam bona eius, quàm mala parentibus imputantur: niſi fortè exiſtimes Chriſtianorum filios, ſi Baptiſma non receperint, ipſos tantùm reos eſſe peccati; & non etiam ſcelus referri ad eos qui dare noluerint, maximè eo tempore quo contradicere non poterant, quæ accepturi erant: ſicut è regione ſalus infantium, maiorum lucrum eſt.]

Cap. 2. Ambroſius in libro de Ioſeph: [Inſtruimur igitur qualis eſſe debeat affectus parentum, filiorúmque gratia: ſed frequenter amor ipſe patrius niſi moderationem teneat, nocet liberis: ſi aut nimia indulgentia delictum reſoluat; aut prælatio vnius cæteros ab affectu germanitatis auertat. Plus adquiritur filio, cui fratrum adquiritur amor. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hereditas filiorum. Iungat filios æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Lucrum pietas neſcit pecuniæ, in quo pietatis diſpendium eſt. Quid miraris ſi propter fundum aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter Iacob ſancti filios exarſit inuidia? Quid ergo? reprehendendus eſt Iacob, quia præferebat vnum ceteris? Sed nec libertatem poſſumus auferre parentibus, ne eos plus diligant quos plus credant mereri, nec filiis reſecare ſtudium debemus plus placendi. De-

nique & Iacob plus illum amabat, in quo maiora virtutum inſignia præuidebat.]

Quidam autem ſunt qui filios ſuos blandis tantùm hortantur ſermonibus, & non deterrentur exemplo Heli ſacerdotis, qui filios ſuos verbis tantùm coërcuit, & ſeueriſſimâ diſtrictione ferire detrectauit. Porrò ſunt plerique parentes, qui filios ſuos dum lubricę ætatis exiſtunt, verberibus ad bene agendum corrigere negligunt: qui cùm ad intelligibilem ætatem peruenerint, & malis operibus deſeruire cæperint, non facilè à malo cohiberi parentum caſtigatione poſſunt; quorum peccata parentibus, qui eos in tenera ætate caſtigare noluerunt, imputari dubium non eſt. *1. Reg. 2.*

CAPVT XV.

Quòd filij debitum honorem parentibus impendere debeant.

AIt Deus in lege: *Honora patrem tuum & matrem tuam: vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi:* Item ibi: *Qui maledixerit patri & matri, morte moriatur.* Salomon: *Oculus*, inquit, *qui ſubſannat patrem, & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ.* Item. *Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet.* Item. *Filius ſapiens lætificat patrem: & ſtultus deſpicit matrem ſuam.* Item: *Qui affligit patrem & fugit matrem, ignominioſus eſt, & infœlix.* Item: *Qui maledixerit patri ſuo & matri: extinguetur lucerna eius in mediis tenebris.* Et Apoſtolus. *Filij obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim eſt iuſtum: honora patrem tuum, & matrem tuam (quod eſt mandatum primum in promiſſione) vt bene ſit tibi & longæuus ſis ſuper terram.* Et Tobias filium ſuum inſtruens ait: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim eſſe debes quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Cùm autem & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelies eam circa me.*

Exo. 20. 12. *Ibid. 21. 17.* *Prou. 30. 17.* *Prou. 15. 5.* *Ibid. 20.* *Eph. 6. 1.* *Tob. 4. 3.*

Digitized by Google

Tom. 10. Fragm. 2. Auguſtinus in decem præceptorum expoſitione ita ſcribit: [Quartum præceptum eſt: Honora patrem tuum; & matrem tuam. Huic contraria in quinta Ægyptiorum plaga cynomia eſt: Quid eſt cynomia? Muſca canina, græcum vocabulum eſt. Caninum eſt parentes non agnoſcere. Nihil tam caninum, quàm cùm illi qui genuerunt, non agnoſcuntur. Meritò ergo & catuli canum cæci naſcuntur. Hieronymus in Epiſtola ad Furiam: Bonum eſt quidem poſt Deum amari parentes à filiis, ſed ſi neceſſitas venerit, vt amor parentum & filiorum Dei amore comparetur; & non poſſit vtrumque ſeruari, tunc odium in propinquis, pietas in Deo eſt. [*Honora patrem tuum*: ſed ſi te à vero patre non ſeparat. Tamdiu ſcito ſanguinis copulam, quamdiu ille ſuum nouerit Creatorem.] Ambroſius in libro, cuius titulus eſt,* *de Ioſeph.* [Primùm omnium quantam diſcimus parentibus deferre reuerentiam cùm legimus, quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat; & qui maledicebatur, maledictus erat? Ideò hanc parentibus gratiam donauit Deus, vt filiorum pietas prouocaretur. Prærogatiua parentum, diſciplina eſt filiorum. Honora ergo patrem, vt benedicat te: Honoret patrem pius propter gratiam; ingratus propter timorem. Et ſi pauper eſt pater & non habet diuitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen vltimæ benedictionis hereditatem, quas ſanctificationis opes ſucceſſoribus largiatur. Et meritò plus eſt beatum, quàm diuitem fieri.] Sunt nempe peruerſæ voluntatis filij, qui honorem parentibus impendendum malè intelligentes, eum in eo ſolo conſtare diſſimulant, quòd parentes recognoſcunt, eíſque ſe corpore non animo humiliant; & ea quibus indigent, eis adminiſtrare refugiunt. Animaduertant ergò, quòd [honor in ſcripturis, (vt beatus Hieronymus ait) Non tantùm in ſalutationum officiis deferendis, quantum in eleemoſynis, ac munerum oblatione ſentitur.] Et idem poſt pauca: Præcepit, inquit, Dominus vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum conſiderans, vt filij honorarent, etiam in vitæ neceſſariis miniſtrandis parentes ſuos.

Epiſt. 10. poſt init. ſenſū non verba profert.

Ibid. *Exod.* 20.

De bened. Patriarch. c. 1.

Ex comment. in Matt. c. 4. v. 4.

Reſtat igitur tunc filios dignè honorem impendere debitum parentibus, cùm eos ſuos generatores humiliter veneran-

Digitized by Google

venerantérque recognoſcere, eíſque neceſſaria procurauerint, adminiſtrare.

CAPVT XVI.

Vt coniugati in domibus ſuis Paſtorale ſê nouerint exercere debere miniſterium.

EXISTVNT in vtroque ſexu, qui in ſibi ſubiectis plus animarum lucrum, quàm commodum terrenum quærunt: ſunt etiam è contrario nonnulli potentes, & quædam nobiles matronæ, qui ab eis quęſtum tantùm terrenum auare exigunt; & ſaluationem animarum illorum aut diſſimulant, aut certè penitùs paruipendunt; putantes ſe nullum in illorum lapſibus periculum ſubituros, nullámque pro eis Deo rationem reddituros: quibus ne illud propheticum quoquo modo aptari poſſit, verendum eſt, in quo legitur: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis*, & cætera quæ de paſtoribus propheticus ſermo exſequitur. Si languente capite (vt beatus ait Gregorius) membra in caſſum vigent, languentibus vtique membris, caput aut languidum, aut languori vicinum ſit, neceſſe eſt. *Ezech.* 34. 3. Paſt. curæ par. 2. c. 7. init.

Qualem autem ſollicitudinem & curam erga ſubiectam ſibi domum huiuſcemodi exhibere debeant, ſequentia docent. Ait Salomon in Prouerbiis: *Diligenter attende vultum pecoris tui, tuóſque greges conſidera.* Item: *Vbi non eſt gubernator, populus corruit. In doctrina noſcitur vir: cor ſapientis quærit doctrinam.* Beda in homiliis de paſtoribus: [Non ſolùm, inquit, Paſtores Epiſcopi & Preſbyteri, & Diaconi, vel etiam Rectores Monaſteriorum; ſed & omnes fideles, qui paruulæ ſuæ domus cuſtodiam gerunt, paſtores rectè vocantur, in quantum eidem ſuę domui ſollicitâ vigilantiâ præſunt. Et quicumque veſtrum ſaltem vni aut duobus fratribus quotidiano regimine præeſt, paſtoris *eiſdem debet officium implere; quia in quantum ſufficit, paſcere hos verbi dapibus iubetur. Immò vnuſquiſque veſtrum, fratres, qui etiam pri- *Prou.* 27. 23. *Ibid.* 11. 14. *Ibid.* 12. 8. *Ibid.* 15. 14. Ex hom. in aurora natalis Domini, Luc. 2. inter hom. hiemales de ſanct. *al.* *eiuſdē

uatus viuere creditur, paſtoris officium tenet, & ſpiritalem paſcit gregem, vigiliáſque noctis cuſtodit ſuper illum, ſi bonorum actuum, cogitationúmque mundarum ſibi aggregans multitudinem, hũc iuſto moderamine gubernare, cœleſtibus ſcripturarum paſcuis nutrire, & vigili ſolertia contra immundorum ſpirituum inſidias ſeruare contendit.] Greg. in homilia Euangelij. [Vtinam, fratres chariſſimi, non ad iudicium noſtrum dicamus, quia omnes qui ſacerdotij nomine cenſentur, Angeli vocantur: Propheta atteſtante, qui ait: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sed eius altitudinem nominis etiam vos, ſi vultis, poteſtis mereri: Nam vnuſquiſque veſtrum in tantum ſufficit, in quantum gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi à ſua prauitate proximum reuocat, ſi exhortari ad bene operandum curat, ſi æternum regnum vel ſuplicium erranti denuntiat. Cùm verba ſanctæ annuntiationis impendit, profectò Angelus exiſtit. Et nemo dicat: admonere non ſufficio, exhortari idoneus non ſum. Quantum potes exhibe, nè malè ſeruatum, quod acceperas, in tormentis exigaris. Neque enim plus quàm vnum talentum acceperat, qui hoc abſcondere magis ſtuduit, quàm erogare. Et ſcimus quòd in tabernaculo Dei non ſolùm phialæ, ſed percipiente Domino etiam cyathi facti ſunt. Per phialas quippe doctrina exuberans; per cyathos verò parua atque anguſta ſcientia deſignatur. Alius doctrinâ veritatis plenus audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius explere quod ſentit, non valet; ſed quia hoc vt cumque denuntiat, profectò per cyathum guſtum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id eſt, in ſancta Eccleſia poſiti, ſi per doctrinæ ſapientiam miniſtrare phialas minimè poteſtis, in quantum pro diuina largitate ſufficitis, proximis veſtris boni verbi cyathos date. In quantum vos perfeciſſe exiſtimatis, etiam alios trahite, in via Dei habere ſocios deſiderate. Si quis veſtrum, fratres, ad forum aut fortaſſe ad balneum pergit, quem otioſum eſſe conſiderat, vt ſecum veniat, inuitat. Ipſa ergo terrena actio vos veſtra conueniat, & ſi ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis. Hinc enim ſcriptum: *Qui audit, dicat veni.*] Item idem in

Homil. 6. ſub med.

Malac. 2. 7.

Apoc. 22. 17.

Digitized by Google

homilia de nouem ordinibus Angelorum: [Nam ſunt plerique qui parua capiunt, ſed tamen hæc eadem parua piè annuntiare fratribus non deſiſtunt. Iſti itaque in Angelorum numero diſcurrunt.] Hom. 34.

Auguſtinus in ſermone ad populum: [Filios, inquit, & omnes familias veſtras admonete, vt caſtè, & iuſtè, & ſobriè viuant, & ad bonum exemplum, & bona opera prouocate.] Item idem in libro ſermonum: [A malis corde ſemper diſiungimini; ad tempus cautè corpore copulamini: nec tamen negligentes ſitis in corrigendis veſtris, ad curam ſcilicet veſtram quoquomodo pertinentibus, monendo, hortando, docendo, terrendo: quibuſcumque modis poteſtis agite. Nec cùm inuenitis in ſcripturis, & in exemplis ſanctorum, ſiue qui ante, ſiue qui poſt Domini aduentum in hac vita fuerunt, quòd mali bonos in vnitate non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos malos.] Clamat enim Iſaias Propheta: *Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Quod idem beatus Auguſtinus ita exponit: [Quid eſt enim, inquit, tangere immundum, niſi conſentire peccatis? Quid eſt autem, exire inde, niſi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro vniuſcuiuſque gradu atque perſona, ſalua pace, fieri poteſt? Diſplicuit tibi, quòd quiſque peccauit, non tetigiſti immundum. Redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exigit, congruam, & quæ vnitatem non violet diſciplinam, exiſti inde.] Multi nempe ſunt, qui hanc receſſionem, & hunc exitum facere, & hoc immundum non tangere paruipendunt. Dum enim in domibus ſuis rapinas, oppreſſiones pauperum, furta, adulteria, & cætera innumera mala fieri ſinunt, & talium obſequiis deliniti, ſocietate delectati, eis corde iunguntur; procul dubio non inde recedere comprobantur. Cùm verò talibus peccantibus conſentiunt, ab eorum conſortio non exeunt. Cùm igitur ergà huiuſcemodi delinquentes congruam diſciplinam non exhibent, pollutum, & immundum minimè tangere cauent. Videant itaque huiuſcemodi Prælati, qualem erga malè agentes rigorem diſciplinæ, & erga oppreſſos opera miſericordiæ beatus Iob impendebat: Ait namque: *Auris audiens beatificabat me: & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quòd*

De verb. Dom. ſer. 18. c. 18.

Iſa. 15. 11.

Ibid. c. 10.

Digitized by Google

tri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Et alibi in Euange- *Ibid.* 18.
lio: *Accedens*, inquit, *Petrus ad Ieſum dixit: Domine quotiens* 21.
peccauerit in me frater meus, dimittam vſque ſepties? Cui reſpondit Dominus: non vſq; ſepties; ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Et poſt ali- *Ibid.* 35.
qua: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Quod ità beatus ediſſerit Hieronymus: [Formidoloſa, inquit, ſententia, ſi iuxtà noſtrã mentem ſententia Dei flectitur, atque mutatur. Si parua fratribus non dimittimus, maiora nobis à Deo non dimittuntur. Et quia poteſt vnuſquiſque dicere, nihil habeo contra eum, ipſe nouit: habet Deum iudicem, non eſt mihi curæ quid velit agere, ego ignoui ei: confirmat ſententiam ſuam & omnem ſimulationem fictæ pacis euertit, dicens: *Si* *Ibid.* 35.
non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Iib. 3. in Matt. c. 18. fin.

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: [Iubemur ergo illaturi munus in altare, ſi recordati fuerimus aliquid aduerſum nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, & pergere, ac reconciliari fratri; deinde venire, & munus offerre. Quòd ſi accipiatur ad litteram, fortaſſis aliquis credit ita fieri oportere, ſi præſens ſit frater: Non enim diutiùs differri poteſt, cùm munus tuum relinquere ante altare iubearis. Si ergo de abſente, & quod fieri poteſt etiam tranſmare conſtituto, aliquid tale veniat in mentem, abſurdum eſt credere ante altare munus tuum relinquendum: quod poſt terras, & maria pererrata offeras Deo. Et ideò prorsùs intrò ad ſpiritalia refugere cogimur, vt hoc quod dictum eſt, ſine abſurditate poſſit intelligi. Altare itaque ſpiritaliter, in interiore Dei Templo ipſam fidem accipere poſſumus, cuius ſignum eſt altare viſibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, ſiue prophetiam, ſiue doctrinam, ſiue orationem, ſiue hymnum, ſiue pſalmum, & ſi quid tale aliud ſpiritalium donorum animo occurrit, acceptum eſſe non poteſt Deo, niſi fidei ſinceritate fulciatur.] Lib. 1. c. 10.

Gregorius in moralibus: [Ab omnipotente, inquit, Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia perfertur. Mundari etenim debet priùs animus, qui munus offerre vult Deo, quia omne quod datur Deo ex dantis mente penſatur. Omnis malitiæ macula ab interiore noſtro Lib. 22 c. 8.

Digitized by Google

pas recuſant. Item idem in libro paſtorali: [*Si offers munus tuum ad altare*, & cætera. Ex qua ſcilicet perceptione penſandum eſt, quorum hoſtia repellitur; quàm intolerabilis culpa monſtratur. Nam cùm mala cuncta bonis ſequentibus diluantur, penſemus quanta ſint mala diſcordiæ, quæ niſi extincta fuerint funditùs, bonum ſubſequi non permittunt.] *Mat.5.23.* S. Greg. vbi ſuprà c. 23.

His itaque prælibatis ſententiis, affatim inſtruimur, tunc nos exteriùs hoſtiam mundam Deo offerre poſſe, cùm à corde noſtro omne nubilum diſcordiæ deterſerimus: &, iuxtà Apoſtolum, *hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem*, ante diuinæ maieſtatis oculos nos exhibuerimus. *Rom.12.1.*

CAPVT XVIII.

Quòd ad perceptionem Dominici Corporis & ſanguinis frequenter, & diſcretè ſit accedendum.

SACRO-SANCTVM Corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV CHRISTI, vbi & redemptio totius ſalutis, & myſterium fidei noſtræ conſiſtit, quidam reuerenter & ſalubriter; quidam indiſcretè & indignè percipiunt. Sunt etiam nonnulli, qui tanti ſacramenti participatione ob reatuum ſuorum obligationem, ſacerdotis iudicio, meritò priuantur. Sunt item plerique (quod valdè periculoſum, & congrua emendatione dignum eſt) qui ab hoc ſacramento partim incuriâ, partim deſidiâ adeò ſe ſubtrahunt (vt vix in anno niſi ſub tribus tantùm feſtis præclaris) potiùs quàm ex deuotione faciant; neſcientes, aut ſcire nolentes, quòd ſicut corpus ſine cibo & potu, ita & anima ſine ſpiritali cibo moritur.

Quanti autem ſit diſcriminis, niſi accipiatur: Et quanti ſi indiſcretè ſumatur, ſubitò breuiter collecta Euangelica & Apoſtolica teſtimonia, & ſanctorum Patrum dicta demonſtrant. Ait autem Dominus in Euangelio: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Et alibi: *Amen dico vobis niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui mandu-* *Ioan. 6. 57. & 54. 55.*

Digitized by Google

cat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Paulus ad Corinthios: *Calix*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Item: *Itaque quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diſcernens corpus Domini.*

1. Cor. 10. 16. & 11. 27.

Lib. 1. lõge ante med.

Hieronymus in libro aduersùs Iouinianum: [Omnis populus acceſſurus ad montem Syna, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus ſanctificari iuſſus eſt, & ſe ab vxoribus abſtinere. Quod quidem ſcimus etiam & Dauid fugientem ab Abimelec ſacerdote dictum: *Si mundi ſunt pueri ab vxoribus? Et ille reſpondit ab heri & nudius tertius.* Panes enim propoſitionis, quaſi corpus Chriſti, de vxorum cubilibus conſurgentes edere non poterant. Et in tranſitu contemplandum quod dixerat: *ſi mundi ſunt pueri ab vxoribus?* videlicet quòd ad munditias corporis Chriſti omnis coïtus ſit immundus. Gregorius in libro Moralium: [Quis namque ſit ſanguis Chriſti non iam audiendo, ſed bibẽdo diſcimus: quis ſanguis ſuper vtrumque poſtem iuxta exemplum antiqui populi ponitur, quandò non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur: in vtroque etenim poſte agni ſanguis eſt poſitus, quando ſacramentum paſſionis Chriſti, cùm ore ad redemptionem ſumitur; ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Quaſi in nocte agni carnes comedimus, cùm in ſacramento modò dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad inuicẽ noſtras conſcientias non videmus. Nam nihil prodeſt Corpus & ſanguinem Chriſti Ieſu ore percipere, & ei peruerſis moribus contraire. Qui ſceleratè viuunt in Eccleſia, & communicare non deſinunt; & putant ſe tali communione mundari, diſcant nihil ad emundationem proficere ſibi, dicente Propheta: *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* Et Apoſtolus: *Qui enim hoc accipit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.*

1. Reg. 21. 4.

Ier. 11. 15.

1. Cor. 11. 29.

Lib. 1. c. 18. med.

Iſidorus in libro officiorum: [Dicunt, inquit, aliqui, niſi aliquo interueniente peccato, Euchariſtiam quotidie nobis, iubente Domino, poſtulamus, dicentes: *Panem noſtrum quotidianum*

Luc. 11. 3.

Digitized by Google

quotidianum da nobis hodie; quod quidem benè dicunt, ſi hoc cum religione, & deuotione, & humilitate ſuſcipiunt; nè dendo de iuſtitia, ſuperbâ prę ſumptione id faciant. Cæterũ ſi talia ſunt peccata, quæ quaſi mortuum ab altari remoueant, priùs agenda pœnitentia eſt; ac ſic deinde ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendũ; quia dicit Apoſtolus: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore quis accipiat, quo debeat agere pœnitentiam. Cæterùm ſi tanta non ſunt peccata, vt * non excommunicatus quiſque iudicetur, non ſe debet à medicina Dominici corporis ſeparare; nè dum fortè diu abſtinere perhibetur, à Chriſti corpore ſeparetur. Manifeſtum eſt enim, eos viuere, qui corpus eius attingunt. Vnde timendum eſt, nè dum diu quiſque ſeparatur à Chriſti corpore, alienus remaneat à ſalute, ipſo docente: *Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Qui enim iam peccare quieuit, communicare non deſinat. Coniugatis autem abſtinendum eſt à coïtu, plurimíſque diebus orationi vacare, & ſic deinde ad Chriſti corpus accedere.] Et paulò pòſt: [Quapropter eligendi ſunt aliqui dies, quibus priùs homo continentiùs viuat, quò ad tantum ſacramentum dignus accedere poſſit.]

1. Cor. 11. 29.

al. * excõmunicandus.

Ioan. 6. 54.

Item idem in libello qui Synonyma inſcribitur: [Quotidie, inquit, Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo nec vitupero: Omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor: ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ pecceptione, quàm purificari. Et ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſueuit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia poſt baptiſmum crimina commiſſa premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ ſatisfacere, & ità ſacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad iudicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam accipere.]

Eſt S. Auguſt. c. 53. de Eccleſiaſt. dogmat.

Digitized by Google

Cùm igitur conuentus Chriſtianorum ad Eccleſiam ideò præcipuè inſtitutus ſit, vt inter hymnorum & laudum ſolemnia participatio Corporis & ſanguinis Domini celebretur, ſatis mirari non poteſt vnde vſus valde reprehenſibilis irrepſerit, vt quidam tanto ſacramento ſe priuari non pertimeſcant; & ſi contigerit vt aliquo interueniente peccato ab eo ſeparentur, nec dolore nec contritione cordis conterantur. Porrò idem reprehenſibilis vſus in tantum inolitus eſt, vt quaſi pro lege haberi, & tanto ſacramento non participantibus quandam impunitatem promittere videatur. Proinde neceſſe eſt, vt vnuſquiſque fidelis ſibi hinc inde pericula imminere cognoſcat; ſcilicet quia niſi manducauerit, & biberit, vitam in ſe non habebit: ſi indignè manducat & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit. Præparet ergò ſe, vt mundo pectore & corpore redemptionis ſuæ munus & frequenter & diſcretè accipere valeat; vt Chriſtum in præſenti ſecum habere, & ab eo in futuro ad vitam reſuſcitari mereatur.

CAPVT XIX.

De Decimis fidelium.

CVM oblationes & decimæ fidelium, ſolius Dei causâ dari debeant, multifariâ diſtributione, emendatione valde indigente, à pleriſque dari ſolent; quoniam ſicut ſunt nonnulli qui Deo deuotè, ità exiſtunt quàm plures, qui eas non honoris diuini, ſed queſtus ſui causâ, ſacerdotibus diſtribuunt; eóſque quibus præſunt, diſtribuere compellunt: ſcilicet vt id quod datum fuerit, aut totum, aut penè totum in ſuos ſuorúmque retorqueatur vſus: hi namque licet ab hominibus honoratores Dei videri velint, dehonoratores tamen, immò diuini dati ſubreptores, ad ſui perniciem exiſtunt.

Porrò ſunt plerique qui poſſeſſionum limitibus coangustati, & reditibus carentes, aut in iuris ſui proprio, aut certè ex munere alicuius potentis habent Baſilicas, ad quas religioſa deuotio fidelium oblationum & decimarum magnam

Digitized by Google

conferre ſolet copiam : ſuper quâ huiuſcemodi cupiditate ducti ſolent dicere: Ille Preſbyter multa de meâ acquirit Eccleſiâ, quapropter volo, vt de eo quod de meo acquirit, ad votum meum mihi ſeruiat, ſin aliàs, meam vltra non habebit Eccleſiam. Sed & in talibus Baſilicis conſtituti non ſinunt preſbyteros , niſi ab eis munus quod optant, accipiant.

Sunt etiam plerique potentes, qui obliti ordinis & miniſterij ſui, huiuſcemodi Baſilicas poſſidentes, rebus tenues, fidelium verò largiſſimis decimis abundantes, contra fas ſuis aut Clericis aut Laïcis beneficiario munere conferunt, vt de huiuſcemodi oblationibus & decimis ſibi ſeruiant : Quod quàm ſit extraordinarium, & Religioni Chriſtianæ incongruum, nec non & facientibus periculoſum, qui animaduertit, intelligit. Non enim ad Laïcorum, ſed ad Pontificum miniſterium, per quos Baſilicæ Deo dedicantur , pertinet, qualiter oblationes & decimæ fidelium Deo oblatæ diſpenſentur ordinare. Pontificum ſanè miniſterium eſt, quantum ex eiſdem fidelium oblationibus in fabricis applicetur Eccleſiæ : quantum in luminaribus concinnandis, quantum in hoſpitibus colligendis, & pauperibus recreandis, quantúmque in preſbyterorũ, eorúmque qui ſecum militiam Chriſti gerunt, neceſſitatibus ſubleuandis expenſetur, diſponere ; non Laïcorum, vt in ſuos ſuorúmque ex his quicquam retorqueatur vſus, exigere. Hoc nempe genus auaritiæ in tantum quoſdam obligauerat Laïcos, vt hoc ſe iuſtè & rationabiliter, immò inculpabiliter ſectari, eſſe putarent, donec glorioſus orthodoxus Domnus Ludouicus Imperator, inter cætera pietatis ſuæ beneficia, quæ honore & amore Domini noſtri IESV CHRISTI ſanctæ contulit Eccleſiæ, ab hoc quoque eam immunem effecerit. Caueant ergo ſe Laïci neceſſe eſt, ab appetitu decimarum & oblationum fidelium ; ne quicquam ſibi ex his per vim, niſi ad periculum ſuum, vendicare poſſe ſciant, ſuoq; contenti ſint miniſterio ; ne dũ alterius vſurpant, ſuo, quo contenti eſſe debent, miniſterio, quodammodò ſe indignos faciant ; & aliorum quoque pia vota ſibi in peccatum conuertant, & ſa[illegible]gij notam incurrant. Ozias itaque Rex quia temerario aulu ſacerdotale mi-

niſterium arripuit, illicò immunditiâ lepræ mulctatus eſt. Baltazar quoque Rex quia vaſa diuinis vſibus conſecrata, in ſuos vſus contra fas conuertit, vitâ cum regno caruit.

Quiſquis ergo de hoc genere auaritiæ ſibi impunitatem promittit, audiat quid ſacri Canones in Concilio Gangrenſi de hac re decernãt: [Si quis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſenſum Epiſcopi, vel eius cui huiuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit.] Scribit quoque Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum: [Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt:] Et infrà: [Aut quod apertiſſimi ſceleris eſt exinde aliquid ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat.] Scribit etiam in Commentariis Mathæi Euangeliſtæ: [Omnes igitur qui ſtipe templi, & his quæ conferuntur ad vſus Eccleſiæ, abutantur, in aliis rebus quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt ſcribis, & ſacerdotibus redimentibus mendacium, & ſaluatoris ſanguinem.]

Cap. 7. Ex interp. Dionyſij exigui.

Epiſ. 2. ſub fin.

Quòd autem decimæ ſacerdotibus, immò in ſacerdotibus Deo dari debeant, ſubtùs teſtimonia collecta declarant: Scribitur in Geneſi: *Et dedit ei*, id eſt, Abraham Melchiſedech *decimas ex omnibus.* Item: *Votum vouit Iacob dicens: Si fuerit Deus mecum & cuſtodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtem ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi, in titulum vocabitur domus Dei: cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Et in Exodo: *Decimas tuas & primitias non tardabis offerre.* In Leuitico: *Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum Domini ſunt: & illi ſanctificant.* Item: *Omnes decimæ boum & ouium, & omne quodcumque tranſit ſub virga, in numerum decimum quodcumque euenerit, ſanctificatum erit Domino. Non mutabis illum bonum malo; neque malũ bono.* In libro quoque Numer. *Separabitis primitias Domino de cibis veſtris, ſiue de areis primitias ſeparabitis; ita & de pulmentis dabitis primitias Domino.* Item: *Omnem medullam vini, olei, ac frumenti quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.* Item: *Dixitque Dominus ad Aaron. In terra eorum nihil poſſidebis; nec habebis partem inter*

Gen. 14. *Ibid.* 28. 20.

Exod. 22. 29.

Leu. 27. 30. & *ſeq.*

Num. 15. 19.

Ibid. 18. 12. 20.

Digitized by Google

eos: Ego pars, & hereditas tua in medio filiorum Iſraël. Filijs autem leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis. In Deuteronomio: *In loco quem elegerit Dominus Deus veſter, vt ſit nomen eius in eo: illuc omnia quæ præcipio conferetis holocauſta, & hoſtias, ac victimas; decimas, ac primitias manuum veſtrarum, & quicquid præcipuum eſt in muneribus quæ vouiſtis Domino.* Item: *Decimam partem ſeparabis de cunctis frugibus tuis, quæ naſcuntur in terra per annos ſingulos: & comedes eam in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit; vt in eo nomen illius inuocetur. Decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ouibus tuis; vt diſcas timere Dominum Deum tuum omni tempore.* In libro Tobię: *Hic ſolus fugiebat conſortia omnium; & pergebat ad Ieruſalem, ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum ſuum Iſraël. Omnia primitiua ſua, & decimas ſuas fideliter offerens.* In Malachia: *Inferte omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam: & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ: nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes.* Ieſus filius Sirach: *In omni dato hilarem fac vultum tuum: in exultatione ſanctifica decimas tuas.* Paulus: *Equidem de filiis Leui ſacerdotium accipientes mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundum legem, ideſt à fratribus ſuis.*

Deut. 12. 11. *Ibid* 14. 22. *Tob.* 1. 6. *Malac.* 3. 10. *Eccli.* 35. 11. *Heb.* 7. 5.

Auguſtinus in ſermone ad populum: [Propitio Chriſto gratias agite, fratres chariſſimi: iam prope ſunt dies in quibus fructum quæritis, & meſſes colligere debemus: & ideò gratias agentes Deo qui dedit de offerendis, immò de reddēdis decimis cogitemus. Deus enim noſter qui dignatus eſt totum dare, decimā à nobis dignetur repetere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturum. Sic enim ipſe per Prophetam promittit, dicēs: *Inferte*, inquit, *omnem decimam in horrea mea: & ſit cibus in domo mea; & probate me in his, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructus vſque ad abundantiam.* Ecce probauimus quomodo decimæ magis nobis quàm Deo proficiant. O homines ſtulti, quid mali imperat Deus, vt non mereatur audiri? Sic enim dicit: *Primitias*

De temp. ſer. 219. init. *Malac.* 3. 10. *Num.* 18. 30.

Digitized by Google

areæ tuæ & torcularis tui offerre mihi non tardabis. Si tardiùs dare peccatum eſt, quantò peius eſt non dediſſe? Et iterum dicit: *Honora Dominum Deum tuum de tuis iuſtis laboribus, deliba ei de fructibus iuſtitiæ tuæ, vt repleantur horrea tua frumento, vinoque torcularia redundabunt.* Non præſtas hoc gratis, quod citò recipies cum magno fœnore. Quæris fortè cui proficiat quod Deus accipiat redditurus? Quæris iterum cui proficiat quod pauperibus datur? Si credis, tibi proficit: ſi dubitas, perdidiſti. Decimæ enim, fratres chariſſimi, tributa ſunt egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina ſacerdotibus. Quòd ſi decimas non habes fructuum terrenorum, quod agricola, quodcumque te paſcit ingenium Dei eſt, inde decimas expetit, vnde viuis: de militia, de negotio, de artificio tuo redde decimas. Aliud enim pro terra dependimus. Aliud enim pro vſu vitæ penſamus. Redde ergo homo, quia poſſides: redde, quia naſci meruiſti: ſic enim dicit Dominus: Dabunt ſingulis redemptio animarum ſuarum; & non erunt in eis morbus neque caſus. Ecce habes in ſcripturis ſanctis cautionem Domini tui, per quam tibi promiſit, quòd ſi decimas dederis, non ſolùm abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis conſequeris. *Replebuntur*, inquit, *areæ tuæ frumento: vino quoque torcularia redundabunt: & non erunt in eis morbi neque caſus.* Cùm enim decimas dando, terrena & cœleſtia poſſis munera promereri, quare per auaritiam duplici te benedictione defraudas? Audi ergo indeuota mortalitas: Noſti, quia Dei ſunt cuncta quæ percipis, & de ſuo non commodas rerum omnium Creatori? Non eget Dominus, non præmium poſtulat, ſed honorem', * de tuo aliquid eget, quod refundat. Primitias rerum & decimas petit, & negas auare. Quid faceres, ſi nouem partibus ſibi ſumptis, tibi decimam reliquiſſet? Quod certè iam factum eſt. Cùm meſſis tua pluuiarum benedictione ſubtractâ ieiuna defecit, & vindemiam tuam aut grando percuſſit, aut pruina decoxit. * Quid eſt auide quod ſubputatur? Nouem tibi partes retractæ ſunt, quia decimam dare noluiſti. Conſtat quidem, quod ipſe non dederis, ſed tamen Deus* exiget. Hæc eſt enim Domini iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi decimam non dederis, tu ad de-

Prou. 3. 10

Prou. 3.

al. * non de tuo exigit aliquidquod refundat.

al. * Quid auidè ſupputas?

al. * exiget.

cimam reuoceris. Scriptum eſt enim, quia decimæ agri tui, & primitiæ terræ vobiſcum ſunt.] * Video vos, & fallere me exiſtimaſtis: intus in theſauris veſtris, & in domibus veſtris erit direptio. Dabis impio militi quod non vis dare ſacerdoti? Quid diceret Dominus? Nempe, meus eſt homo quem feci, mea eſt terra quam colis, mea ſunt ſemina quæ ſpargis, mea animalia quæ fatigas, meæ ſunt pluuiæ & imbres, ventorum flamina mea ſunt, meus ſolis calor, & cùm omnia mea ſint elementa, tu qui manus tantùm accommodas, ſolam decimam merebaris. Qui ergò aut præmium comparari, aut peccatorum deſiderat indulgentiam promereri, reddat decimas, etiam de nouem partibus, ſtudeat eleemoſynam dare; ita tamen vt quicquid, excepto victu mediocri, & veſtitu rationabili, ſuper fuerit, non luxuriæ reſeruetur, ſed in theſauro cœleſti per eleemoſynam pauperum reponatur. Quicquid enim nobis Deus pluſquàm opus eſt, dederit, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit; ſi non dederimus, res alienas inuaſimus.]

al. * Vidi autem.

Paulò poſt.

Euidentibus itaque indiciis declaratum eſt, qualiter decimæ Deo dari debeant. Si igitur ſcripturâ monente, decimis, & primitiis, & cæteris terrenorum fructibus Deus honoratur, vtique quia honoratur; procul dubio qui hæc Deo dare negligit; & ſi ille in non dando Deum dehonorat, multòmagis ille Deum dehonorat, qui ſuis militibus Deo oblata contra fas vſurpat. Propter hanc nempe auaritiam quæ ſacerdotes Domini exinaniuit, & ad paupertatem perduxit, extant hodie nonnullæ Baſilicæ ita carioſæ, culminíſque egentes, &, quod maius eſt, paupertate præpediente pene ad ſolum vſque collapſæ, vt in his Chriſto famulari, eiuſque Corpus & ſanguis confici dignè nequeat. Quas etiam dum pagani, & increduli conſpiciunt, nomen Chriſtianorum blaſphemant, dicentes: Ecce qualia Templa Chriſtiani Chriſto Deo ſuo fabricant. Et impletur illud Apoſtoli: *Nomen Domini per vos blaſphematur in Gentibus*. Sicut enim priſcorum Chriſtianorum deuotio circà Baſilicas Chriſti fabricandas, & diuerſis donariis cumulandas, earúmque ſacerdotes venerandos flagrabat, ità nunc peruerſis, & inordinatis

Rom. 2. 24.

Digitized by Google

conſuetudinibus emergentibus multorum, quod emendatione dignum eſt, in his expoliandis & dehonorandis auaritia æſtuat. Quiſquis verò in eorumdem Chriſtianorum numero à Chriſto Domino connumerari deſiderat, eorum exempla ſequi non negligat, ac ſeipſum filium, non prædonem Eccleſiæ efficiat.

CAPVT XX.

Quòd ſacerdotibus, per quos homines Deo reconliantur, honor debitus ſit exhibendus.

CVM igitur ſacerdotes, mediatores videlicet inter Dominum & populum, ob amorem & honorem illius, cuius miniſterium gerunt, congruo honore, remotâ perſonarum & diuitiarum acceptione, ſint venerandi, multi in eis non miniſterium Chriſti, ſed quod fas non eſt, diuitias, & honores venerantur mundi. Et quantò potentiores, & ditiores exiſtunt, tantò maioris honoris & venerationis ab eis habentur. Sunt etiam quidam ſacerdotes diuitiis & honoribus mundi carentes, qui adeò contemptui à quibuſdam Laïcis habentur, vt eos non ſolũ adminiſtratores, & procuratores rerum ſuarum faciant; ſed etiam ſibi more Laïcorum ſeruire compellant, eóſque conuiuas menſæ ſuæ habere dedignentur: qui videlicet habere ſacerdotes nomine tenùs ſibi videri geſtiunt, re autem ipſa propter quam habendi ſunt, nolunt, taléſque interceſſores apud Deum habere volunt, quales eſſe prorſus deſpiciunt. Hoc quàm ſit periculoſum, ac reprehenſibile, & Religioni Chriſtianæ incongruum, & inhoneſtum, verbis explicari fas non eſt: hoc nempe non ſolùm propter quorundam negligentiam ſacerdotum, verùm etiam propter quorundam ſuperbiam, & ignorantiam Laïcorum, accidere dubium non eſt.

Quantæ autem ſint venerationi habendi, & legalia, & Euangelica, & Apoſtolica inſtituta, & ſanctorum Patrum dicta breuiter ſubtùs collecta ſanciunt: Scribitur enim in Deuteronomio: *Dijs non detrahes; & Principi populi tui non maledices.*

Exod. 22. 28.

Digitized by Google

maledices. Item ibi: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram. Et iudicij intra portas tuas videris variari verba; ſurge, & aſcende in locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit in illo tempore, quæréſque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem: Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te: iuxtà legem eius ſequeris ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrauerit Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille; & auferes malum de medio Iſraël, cunctúſque populus audiens pertimeſcat, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.* Et in Eccleſiaſte: *In tota anima tua time Dominum: & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute dilige eum qui fecit te: & miniſtros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua; & honorifica ſacerdotes eius.* Item: *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum ſapientium: & in prouerbiis illorum conuerſare. Ab ipſis enim diſces doctrinam & intellectum, & ſeruire mandatis ſine querela.* Et in Euangelio: *Qui vos recipit me recipit.* Item idem: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.* Item: *In quãcumque autem ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit; & ibi manete donec exeatis.* Et infra: *Quicumque enim non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros exeuntes foras de domo, vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Paulus: *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris; & obtemperate eis. Ipſi enim peruigilant quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri; vt cum gaudio hoc faciant & non gementes.* Paulus iterum *Qui bene præſunt Presbyteri*, inquit, *duplici honore habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hieronymus ad Heliodorum: [Abſit, inquit, vt quicquam de his ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claues regni cœlorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant, qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant. Clerici oues paſ-

Deu. 17. 8. *& ſeq.*

Eccl. 7. 30. *& ſeq.*

Matt. 10. 40. *& ſeq.*

Heb. 13. 17.

1. *Tim.* 5. 17.

Epiſ. 1. ſub med.

Matt. 16. 18.

Digitized by Google

Homil.de Recip. Seueriano. to.5.Lat.

cunt, ego paſcor.] Ioannes Conſtantinopolitanus: [Sicut corpus cohærere neceſſarium eſt capiti, ità & Eccleſiam ſacerdoti, & Principi populi; vtque virgulta radicibus, & fontibus fluuij, ità & filij patri, & magiſtro diſcipuli. Obedientia diſcipulorum clareſcat in vobis, & quantum affectum patri defertis appareat. Adornate me filij, & imponite mihi obedientiæ veſtræ coronam; facite me apud omnes beatum

*Heb.*13.17

iudicari, & doctrinam meam magnificate per obedientiam veſtram, ſecundùm Apoſtoli verba dicentis: *Obedite præpoſitis veſtris, & obtemperate eis: quia ipſi peruigilant pro vobis, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.* Hoc ergò præmoneo, ne quis pro paruo habeat commonitionem noſtram. Pater enim ſum, & neceſſe eſt me filiis conſilium ſuadere: quod enim in carnalibus patribus natura carnis, hoc in nobis gratia ſpiritus agit.]

Rufini l.1. c.2.

Ex hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij alloquutio Conſtantini ad Epiſcopos: [Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, vt veſtra iurgia quæcumque ſunt ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis dij, & conueniens non eſt vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus,

*Pſ.*81.1.

de quo ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat.*] Sicut in nonnullis aliis, ita & in eo forma vitæ Chriſtianæ fuſcatur: eo quòd quidam Laïcorum Sacerdotes Domini debito honore non venerantur. Gregorius quippe ait in libro Paſtorali: [Facta quippe Præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt, etiam cùm rectè reprehendenda iudicantur. Si quando verò contrà eos vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt vt per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenùs ad ſemetipſum redeat, & cùm præpoſitæ poteſtati deliquerit, eius contra ſe iudiciũ, à quo ſibi prælata eſt poteſtas, perhorreſcat. Nam cùm præpoſitis delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus. Scribit & Iſidorus in libro Sententiarum: [Rectores itaque à Deo iudicandi ſunt, à ſuis autẽ ſubditis nequaquàm ſunt iudicandi.] Et paulò pòſt: [Quòd ſi à fide exorbitauerit

Lib.3. c. 39.ſub fin.

rector, tunc erit arguendus à ſubditis. Pro moribus verò reprobis, tolerandus magis, quàm diſtringendus à plebe eſt] Non ergò propter quoſdam ſacerdotes negligenter viuentes, rectè agentes contemptui habendi ſunt. Bene itaque agentes non ſolùm venerandi, ſed etiam imitandi ſunt. Malè verò agentes venerandi quidem ſunt propter miniſterium Chriſti, non tamen imitandi. Vnde Dominus ait in Euangelio: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.* Mat. 23. 3.

Quapropter cauendum eſt quibuſdam Laïcis, ne ſacerdotes Domini tanto deſpectui habeant, ne eos opprimentes expolient. Nec iure fori conſtringant, atque diuerſiſſimis iniuriis, ſicuti facere ſolent, afficiant: quoniam cùm eos quibus libet modis dehonorant, Chriſtum, cuius miniſtri ſunt, dehonorant, dicentem in Euangelio: *Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos recipit, me recipit.* Luc. 10. 16. Quod beatus Auguſtinus ità in libro ſermonum ediſſerit: [Si ſolis, inquit, Apoſtolis dixit, *qui vos ſpernit, me ſpernit*, Spernite & nos. Si autem ſermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos, & in eorum loco nos conſtituit, videte ne ſpernatis nos, & ad illum perueniat iniuria, quam nobis feceritis. Si enim nos non timetis, timete illum qui dixit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*] De verb. Dom. ſer. 24. c. 1. Imitentur ergo in venerandis & obtemperandis ſacerdotibus potentiâ, & copioſiſſimis honoribus ſublimatum Theodoſium orthodoxum Imperatorem, quàm humiliter reuerentérque beati Ambroſij memorabilis viri monitis, & increpationibus, atque excommunicationibus paruerit. Sciebat nempe poteſtatem Imperialem, quâ inſignitus erat, ab illius pendere poteſtate, cuius famulus & miniſter Ambroſius erat. Hoc qui pleniùs noſſe voluerit, librum hiſtoriæ tripertitæ nonum, ſub titulo triceſimo legat. Lib. 9. c. 30.

CAPVT XXI.

Quòd noſſe oporteat Laïcos ſacerdotibus ligandi atque ſoluendi poteſtatem à Domino eſſe collatam. Et quòd eorum monitis libenter parere, atque excommunicationibus humiliter debeant ſuccumbere.

QVIDAM Laïcorum tantæ temeritatis exiſtunt, vt monita, & obiurgationes, atque excommunicationes ſacerdotum nihili ducant: quod quantum à Chriſtiana profeſſione abhorreat, qui animaduertit, intelligit. Is namque vſus valde reprehenſibilis & execrabilis, adeò apud quoſdam excreuit, & vt ita dixerim, in legem deuenit, vt iuſſionem ſacerdotis, & excommunicationem æquè vt cuiuſdam laïci ducant; quos ſuadeo vt paulò perpendant ea quæ ſubiecta ſunt.

Ait autem Dominus in Euangelio ſpecialiter Eccleſiæ Principi beato Petro Apoſtolo: *Tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Matt. 16. 19. Ait etiam generaliter omnibus diſcipulis: *Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Hunc locum ità beatus Hieronymus in Commentariis exponit: Ex Comment. Mat. c. 18. [Quia dixerat, inquit, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: & poterat contemptoris fratris hæc occulta eſſe reſponſio, vel tacita cogitatio: ſi me deſpicis, & ego te deſpicio: ſi tu me condemnas, & meâ ſententiâ condemnaris: poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant qui à talibus condemnantur diuinâ ſententiâ roborari, & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter in cœlo.] Item Dominus in Euangelio: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. 23. Quæ verba ita beatus Gregorius exponit: [Libet intueri, illi diſcipuli ad onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti. Ecce non ſolùm de ſemetipſis Hom. 26 poſt init.

ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt, Principatum ſuperni iudicij ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent; ſic eos à Deo decebat erigi, qui tantùm pro Deo conſenſerãt humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt; & alios damnant, vel liberant, quiſemetipſos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Eccleſiâ Epiſcopi locum tenent: ligandi ac ſoluendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.* Sub magno ergo moderamine paſtores Eccleſiæ vel ſoluere ſtudeant, vel ligare. Sed vtrùm iuſtè, vel iniuſtè obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: nè is qui ſubeſt, & cùm iniuſtè forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex aliâ culpâ mereatur; Paſtor ergo vel abſoluere indiſcretè timeat, vel ligare. Is autem, qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat vel iuſtè, vel iniuſtè, nec Paſtoris ſui iudicium temerè reprehendat: nè etſi iniuſtè ligatus eſt, ex ipſius tumidæ reprehenſionis ſuperbiâ, culpa, quæ non erat, fiat.] Hieronymus ad Heliodorum: [Clerici, inquit, de altario viuunt: mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem. Si munus ad altare non defero, nec poſſum obtendere paupertatem, cùm in Euangelio viduam duo quæ ſola ſibi ſupererant æra mittentem laudet Dominus. Mihi ante Preſbyterum ſedere non licet. Illi ſi peccauero, licet tradere me Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in diem Domini Ieſu. Et in veteri quidem lege, quicumque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extrà caſtra poſitus, lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiectâ, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpiritali mucrone truncatur, aut eiectus de Eccleſia rabido dæmonum ore decerpitur.]

* Et poſt multa ib.

Ep. 1 ſub med.

De multis quædam breuiter, de poteſtate Sacerdotibus à Domino collata teſtimonia collecta ſunt: ſciant ergo Laïci huic poteſtati ſe ſubiectos eſſe debere: & quoniam qui huic ſuperbit, aut in aliquo pertinax exiſtit, eius ordinationi, à quo attributa eſt, ſuperbiſſimè, immò periculoſiſſimè reniti conuincitur.

Digitized by Google

CAPVT XXII.

De his qui propter honores terrenos & caducos adeò extolluntur, vt pauperes, naturâ ſibi ſimiles, non recognoſcant.

CAVENDVM his qui præſunt, nè ſibi ſubiectos, ſicut ordine, ita naturâ inferiores ſe eſſe putent: prouidâ namque diſpenſatione diuinâ actum eſt, vt mortalis à mortali, non naturâ, ſed quadam mundanâ dignitate inferior, vt pote imbecillis à valido pia prælatione & gubernatione tueretur; ita tamen vt naturâ ſemper æqualis agnoſceretur. Quod cùm ita ſit, multi rebus perituris, & citò præterlabentibus tumentes, tam eos, quibus præſunt, quàm etiam eos, quos potentiâ, & honoribus, & diuitiis præcedunt, ſibi naturâ æquales non recognoſcunt; & ſi verbis agnoſcunt, affectione tamen non agnoſcunt. Quod vitium ex fonte ſuperbiæ emanare manifeſtum eſt. Cur enim dominus & ſeruus, diues & pauper, naturâ non ſunt æquales, qui vnum Deum non acceptorem perſonarum habent in cœlis?

Quòd ergo Domini id quod æquum & iuſtum eſt ſeruis præſtare debeant, Paulus docet dicens: *Domini quod iuſtum eſt & æquum ſeruis præſtate: ſcientes quòd veſter & illorum Dominus ſit in cœlo.* De qua etiam re ita ait beatus Gregorius: [Potentibus viris magna eſt virtus humilitatis, conſiderata æqualitas conditionis. Omnes namque homines naturâ æquales ſumus; ſed acceſſit diſpenſatorio ordine, vt quibuſdam Prælati* videantur. Si igitur hoc à mente deprimimus quod temporaliter acceſſit, inuenimus citiùs quod naturaliter ſumus. Plerumque enim ſe animo accepta poteſtas obiicit, eúmque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ conſiderationis deprimendus eſt tumor elationis. Si enim apud ſemetipſam mens deſcendit de vertice culminis, citiùs planitiem inuenit naturalis æqualitatis. Nam, vt præfati ſumus, omnes homines natura æquales genuit, ſed varianțe meritorum ordine, alios aliis diſpenſatio occulta

Coloſ. 4. 1.

Moral. in Iob. l. 21. c. 10. in med.

al. videamur.

poſtponit. Ipſa autem diuerſitas, quę acceſſit ex vitio, rectè eſt diuinis iudiciis ordinata; vt quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cùm præſunt, non in ſe poteſtatem ordinis, ſed æqualitatem conditionis attendunt: nec præeſſe gaudent hominibus, ſed prodeſſe: ſciunt enim quòd antiqui Patres noſtri, non tam hominum Reges, quàm paſtores pecorum fuiſſe memorantur. Et cùm Noë Dominus filiiſque eius diceret: *Creſcite & multiplicamini & replete terram*; ſubdidit: *Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*. Non enim ait, ſit ſuper homines qui futuri ſunt; ſed, ſit ſuper cuncta animalia terræ: homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus eſt, & id circò ei dicitur, vt ab animalibus, non ab homine timeatur: quia contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri.] *Gen. 9. 2.*

Auguſtinus in ſermone ad populum: [Nonnulli autem diuinorum præceptorum immemores, ita circà ſeruos ſuos & ſubditos ſibi poteſtatem dominationis exercent, vt in diebus ieiunij non dubitent flagellis eos cædere, pœnis afficere, compedibus præpedire. Et ſi fortè cùm ad reficiendum venitur, tardiùs miniſter adfuerit, ſtatim eum verberibus laniare, & priùs ſe ſatiare ſeruili ſanguine, quàm conuiuij voluptate. Horum tale ieiunium eſt; quod ideò ieiunatum eſt, non vt diuinitatis miſericordiam prouocaret, ſed vt clamorem familiæ ingemiſcentis effunderet. Quiſquis autem cupit Dei miſericordiam promereri, ipſe debet eſſe prior miſericors: ſcriptum eſt enim: *In qua menſura menſi fueritis, eadem menſura remetietur vobis*. Et quod magis dolendum eſt, Chriſtianus dominus Chriſtiano in his diebus ſeruo non parcit, minimè reſpiciens, quòd ſi ſeruus eſt conditione, gratiâ tamen frater eſt. Etenim ſi [illegible]iliter Chriſtum induit, iiſdem participat ſacramentis, eod[illegible]o & tu vtitur Deo Patre, cur te non vtatur vt fratre:] Item idem in libro ſermonum: [Mendici Dei ſumus: vt agnoſcat ille mendicos ſuos, agnoſcamus nos noſtros. Sed & etiam ibi cogitemus, quando petitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, quid petunt: Qui petunt? homines. A quibus petunt? ab hominibus. Qui petunt? mortales. A quibus petunt? à mortalibus. Qui pe- *Mat. 7. 2.* *De verbis Dom. ſer. 5. c. 7.*

Digitized by Google

tunt? fragiles. A quibus petunt? à fragilibus. Qui petunt? miſeri. A quibus? à miſeris. Exceptâ ſubſtantiâ facultatum, tales ſunt qui petunt, quales ſunt à quibus petunt. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoſcis patrem tuum? Non ſum, inquit, talis: abſit à me vt talis ſim. Inflatus, obſericatus iſta loquitur de pannoſo. Sed ego nudos interrogo: non interrogo in veſtibus quales ſitis, ſed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, ambo miſeram vitam inchoantes, ideò ambo plorantes. Ecce recole diues primordia tua, vide vtrùm huc aliquid attuleris. Iam veniſti, & tanta inueniſti. Dic, rogo te, quid attuliſti? Dic quid attuleris? Aut ſi dicere erubeſcis, Apoſtolum audi:

* Cap. 8. 1. *Tim.* 6. 7 * *Nihil intulimus in hunc mundum.* Sed fortè quia nihil attuliſti, & hîc multa inueniſti, aliquid hinc tecum ablaturus es? Et hoc fortaſſe amore diuitiarum trepidas confiteri. Audi & hoc Apoſtolus dicat, qui te non palpat: *Nihil intulimus in hunc mundum*: vtique quando nati ſumus, ſed nec auferre aliquid poſſumus, vtique quando de corpore eximus. Nihil attuliſti, nihil hinc auferes: Quid te inflas contra pauperem? Quando naſcuntur infantes recedant de medio parentes, ſerui, clientes, recedant de medio turbæ obſequentes, & agnoſcantur pueri diuites flentes. Pariant ſimul diues, & pauper: pariant ſimul mulier diues, & mulier pauper: Non attendant quod pariunt: diſcedant paululum, redeant & cognoſcant. Ecce diues nihil attuliſti in hunc mundum, ſed nec auferre hinc aliquid potes.] Item in ſermone ad populum: [Quare pauper tecum non accipit cibum, qui tecum acceptus eſt regnum. Quare pauper non accipit veterem tunicam tuam, qui tecum accepturus eſt immortalitatis ſtolam? Quare pauper non meretur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptiſmi ſacramentum? Cur indignus eſt accipere vel reliquias ciborum tuorum, qui tecum venturus eſt ad conuiuia Angelorum?]

Ibid.

His & cæterorum diuinorum eloquiorum ſententiis, potentes & diuites edocti, agnoſcant & ſeruos ſuos, & pauperes ſibi naturâ æquales. Si igitur ſerui Dominis naturâ æquales ſunt, vtique quia ſunt, non ſe putent impunè domini laturos, dum turbidâ indignatione, & concitanti animi furore;

aduersùs

aduersùs errata ſeruorum inflammati; circà eos aut in ſæuiſſimis verberibus cædendo, aut in membrorum amputatione debilitando nimij exiſtunt, quoniam vnum Deum habent in cœlis. Eos verò quos in hoc ſæculo infimos abiectóſque cultu, & cute, & opibus ſe impares conſpiciunt, naturâ pares, & æquales ſibi eſſe prorsùs agnoſcant.

CAPVT XXIII.

De his qui propter venationes, & amorem canum, cauſam pauperum negligunt.

CVM cauſam pauperum Chriſti, quidam faſtu potentiæ tumefacti, quidam diuturna requie delectati, quidam etiam corporales delitias, in quibus nimium metas diſcretionis excedentes reſoluuntur, amplexati, non magnopere ducere ſoleant, exiſtunt nihilominus quàm plures qui ob amorem canum & diuerſiſſimas venationes, quibus miſerabiliter inſiſtunt, & ſe, & pauperum curam quodammodò negligunt. Miſerabilis planè & valde deflenda res eſt, quando proferis, quas cura hominum non aluit, ſed Deus in commune mortalibus ad vtendum conceſſit, pauperes à potentioribus ſpoliantur, flagellantur, ergaſtulis detruduntur, & multa alia patiuntur: hoc enim qui faciunt, lege mundi ſe id facere iuſtè poſſe contendunt: quos conuenio vt iuſto libramine decernant, vtrùm lex mundi legem euacuare Chriſti debeat, nec ne, qui profectò ſicut fideles reſpondere oportet, legi Chriſti legem mundi præponi nequaquàm debere reſponderunt. Chriſtus enim docet in Euangelio, vt ſi quis noſtra abſtulerit, non repetamus ea. Et Apoſtolus: *Iam quidem omnino delictum eſt quia iudicia habetis vobiſcum; quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potiùs fraudamini?* Si enim ille qui ſua ablata repetit, contra Euangelium facit, multò magis ille in auctorem Euangelij delinquit, qui ea quæ ſua non fuerunt, violenter exigit. Quis igitur neget contra regulam Chriſtianitatis fieri, cùm propter vnius hominis delitias, tot pauperes Chriſti diuerſiſſimis iniuriis affi- 1. Cor. 6. 7

ciuntur; quod ità multifariè fit, vt vix explicari queat. Palpent verò & promittant talia facientibus impunitatem, qui volunt, & audent. Ego verò neminem palpare, immò ſecurum ſuper hac re reddere audeo, quòd hæc impunè vllo pacto facere poſſit. Quiſquis verò in hoc facto ſibi impunitatem promittit, perpendat moneo, quid in tremendi iudicij die legem Chriſti ſectantes mercedis, quídue à lege Chriſti propter legem mundi exorbitantes damnationis percepturi ſint: Nam & hoc ſummæ eſt dementiæ, cùm propter venationes quis dominicis & aliis feſtis diebus à ſolemnibus Miſſarum celebrationibus, & diuinis laudibus vacat: & propter huiuſcemodi venationes ſalutem animæ ſuæ, eorúmque quibus præeſt, & prodeſſe debuit, negligit: hi namque plus delectantur latratibus canum, quàm melodiis intereſſe hymnorum cœleſtium.

Beatus itaque Auguſtinus in homiliis ad populum, venationi immoderatæ incumbentes ita alloquitur: [An putatis illum ieiunare, fratres, qui primo diluculo non ad Eccleſiam vigilat, non beatorum Martyrum loca perquirit, ſed ſurgens congregat ſeruulos, diſponit retia, canes producit, ſiluáſque perluſtrat. Seruulos, inquam, ſecum pertrahit (fortaſſe magis ad Eccleſiam feſtinantes) & voluptatibus ſuis peccata accumulat aliena, neſciens reum ſe futurum tam de ſuo delicto, quàm de perditione ſeruorum. Tota igitur die venatibus immoratur, tunc clamorem immoderatum offerens, tunc ſilentium latenter indicens; lętus ſi aliquid ceperit, iratus ſi id quod non habebat, dimiſit, & tanto ſtudio gerit, vt venetur. In his ergo luxuriis, fratres, dicite. Quis cultus ſit Dei? Quæ mentis poſſit eſſe deuotio? Qui propterea ieiunat non vt Deo aut orationibus vacet, ſed vt tota die otioſus & liber propriam exerceat voluntatem? Quamuis igitur qui huiuſmodi es frater, veſpere ad domum redeas; quamuis declinante iam ſole manduces, potes videri voluptatem tuam exercens, feciſſe Domini voluntatem? Hæc enim voluntas eſt Domini, vt ieiunemus à cibis pariter & à peccatis: abſtinentiam indicamus corpori, vt à vitiis magis animæ abſtinere poſſimus: frænum enim quoddam eſt luxuriantis animæ, corpus exhauſtum; quiſquis autem ieiunat & pec-

Digitized by

cat, lucrum eſcarum feciſſe videtur', non ſalutis ; & parcendo copiis repleſſe cellarium, non mentem ſaginaſſe virtutibus. Sunt enim plerique qui de venatibus redeuntes, magis canum quàm ſeruorum curam gerunt, & faciunt eos iuxtà ſe vel dormire vel recumbere, quotidianum illis cibum in ſui præſentia miniſtrantes : qui vtrùm ſeruus eius fame moriatur, ignorãt: & quod grauius eſt, ſi diligenter his præparatum non fuerit, pro cane ſeruus occiditur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos, & craſſos canes diſcurrere ; homines autem pallentes, & titubantes incedere. Iſti ergò non miſerebuntur aliquando pauperibus, qui minimè ſuis famulis miſerentur.

Item idem in expoſitione Pſalmi centeſimi ſecundi : [Paululùm, inquit, attendat charitas veſtra, donec euoluatur res etiam exemplis, multùm vtilis ad intelligendum. Hoc dixit cùm eſurierit neſcio quis, ſi habes vnde des, da : ſi vides dandum eſſe ad ſubueniendum, da. Ne pigreſcant in te viſcera miſericordiæ, quia tibi peccator occurrit. Occurit enim tibi peccator homo : cùm dico occurit tibi peccator homo, duo nomina dixi : hæc nomina non ſuperflua ſunt. Duo nomina aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo opus eſt Dei : quod peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei ; noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis ? Quid eſt dare operi hominis. Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc faciet, inquis? Quis hoc faciet? Vtinam nemo, vtinam pauci, vtinam non publicè. Qui venatoribus donant, quare donant. Dicant mihi, quare donant venatoribus ? Hoc in illo amat, in quo nequiſſimus eſt ; hoc in illo parcit, hoc in illo veſtit, ipſam nequitiam publicam ſpectaculis omnium. Qui donat hiſtrionibus, qui donat auguribus, qui donat meretricibus ; quare donat? Non tamen ibi attendit naturam operis Dei, ſed nequitiã operis humani. Vis videre quid honoras in venatore, quando illum veſtis? Dicatur tibi, ſis talis ; amas illum, gaudes ad illum, vis quodammodo ſpoliare te, & illum veſtire. Noli cum iniuria accipere, ſi tibi dicatur de meretricibus : tales ſint filiæ tuæ. Iniuria eſt, inquit: quare iniuria eſt, niſi quia illa iniquitas? Quare iniuria eſt, niſi quia illa turpi- Sub med.

tudo? Non ergo donas cum donas fortitudini, ſed turpitudini. quomodo ergo qui venatori donat, non homini donat, ſed arti nequiſſimæ. Nam ſi homo tantùm eſſet, & venator non eſſet, non donares. Honoras in eo vitium, non naturam. Sic contrà, ſi des iuſto, ſi des Prophetæ, ſi des diſcipulo Chriſti aliquid cuius indiget, & non ibi cogites quia diſcipulus Chriſti eſt, quia miniſter eſt Dei.] Perpendant itaque qui venationibus inſiſtunt, quòd magis ſibi debeant conſulere, quàm his inſeruire; magíſque debeant pauperum, ſuorúmque ſeruorum curam, quàm canum gerere. Nequaquam igitur fidelibus Chriſti cura canum curæ hominis ad imaginem Dei conditi vllo pacto anteponenda eſt.

De Aleatoribus, multò poſt init.

His ita dictis, reſtat de aleatoribus neceſſariò dicendum. Sciant præterea aleatores, quia, vt beatus Cyprianus eximius Martyr ſcribit: [Dum aliis inſeruiunt, delinquunt, qui adeò illud opus execratur, & deteſtatur, vt laqueum diaboli eſſe proteſtetur; quod etiam ab omnibus fidelibus, modis omnibus vitandum eſſe denuntiat: cùm enim multa de aleatoribus granditer ſcriberet, ad extremum hoc intulit: Aleæ nè luſeris; vbi luſus nociuus eſt, & crimen mortale; vbi dementia ſine conſideratione; vbi nulla veritas, ſed mendaciorum mandra. Abſcinde inde manum tuam, & auerte inde cor tuum. * Abſtrahe caliginem inimici ab oculis tuis.] Et infra: [Eſto tibi, & vitæ tuæ in operationibus iuſtus & prouidus. Fuge diabolum perſequentem te, & fuge aleam inimicam rerum tuarum: ſtudium ſit tibi ſapientiæ: Euangelicis monitis erudire; puras manus ad Chriſtum extende, vt promereri Dominum poſſis, aleam noli aſpicere.] De hac re qui pleniùs noſſe vult, legat eiuſdem ſancti viri ex aſſe alloquutionem, quam inde fecit: Vbi profectò inueniet, quantum illud opus vnicuique Chriſtiano reſpuendum ſit.

Ibid. ſub finem.

al. * extrahe.

Scio namque quid amatores aleæ dicant. quid mali facimus: quid-ve delinquimus, ſi aleis ludimus? quibus reſpondendum eſt, quòd multis modis in eodem luſu delinquitur. Primò quia vix ſine mendacio, aut periurio, aut irâ, aut diſcordiâ peragitur: quòd ſi fortè in nullo horum delinquatur, in eo ſolo proculdubiò peccatur, quia ocioſitati, quæ inimica eſt animæ, inſeruitur. Noueris ergo quicumque es, ô alea-

Digitized by Google

tor, quia de ſingulis diebus & horis, quas aleis inſeruiendo inſumis, Deo es rationem redditurus. Ad hoc etiam ſcio multos turbidâ indignatione reſponſuros. quid, inquient, ſæculari hominis prodeſt mundus iſte, ſi his & aliis diuerſiſſimis iocis ad votum ſuum repertis non perfruitur? Cui verbis Domini reſpondeo: *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Manifeſtum eſt autem quia dum aleis inſeruitur, nullum exinde animæ lucrum acquiritur. Audiant etiam huiuſcemodi Ioannem Apoſtolum monentem atque dicentem: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſi quis dilixerit mundum, non eſt charitas Patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum eſt, & ſuperbia vitæ, quæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt: & mundus tranſit & concupiſcentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum.* Audiant & Iacobum: *Quicumque*, inquit, *voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituetur.* Cùm ergo dilectio mundi ità ab Apoſtolis inhibeatur, vt quid caduca & fumea tam caſſo amore diliguntur? Vt quid mundus tantum diligitur, qui diu non tenebitur? Vt quid eius tranſitoria dilectio æterni Regni dilectioni præponitur? Sic igitur à Chriſtiano diligendus eſt mundus, vt eo cadente non cadat Chriſtianus.

Matt. 16. 26.

1. Ioan. 2. 15. 16. 17. & 18.

Iac. 4. 4.

CAPVT XXIV.

Iuſtè iudicandum: Et munerum acceptionem vitandam.

SVNT qui bonis bene: & ſunt è contrario qui bonis malè vtuntur. Quiſquis Dei donis non ad Dei voluntatem, ſed ad ſuam cupiditatem vtitur, Deo ingratus exiſtens bonis malè vti probatur. Scientiam porrò rectè iudicandi à Deo mortalibus conferri dubium non eſt, Apoſtolo Iacobo teſtante, & dicente: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Ac per hoc qui à tramite iuſtitiæ, quæ ſua vnicuique tribuit, aut timore, aut cupiditate, aut odio, aut amore reflectitur. Chriſtum

Iac. 1. 17.

Digitized by Google

vtique, qui iuſtitia eſt, dehonorare conuincitur: ſicut enim æquum eſt vt qui rectè ſapit, rectè agat, ita iniquum eſt rectè ſapere, & non rectè agere. Per iuſtitiam quippe ſtabilitur regnum; & per iniuſtitiam euertitur: Vnde & multa Regna iam per iniuſtitiam euerſa, in exemplum ſunt. Cùm igitur & legalia, & Euangelica doceant documenta Deum inter illos habitare, qui eius monitis parentes à calle iuſtitiæ non deuiant; cur homines, quos ipſe ad ſuam imaginem creauit, & nobilitate ditauit, & ſcientiâ rectè iudicandi ſublimauit, in non rectè iudicando à medio ſui eum repellunt? Quem proculdubio qui à ſe prauè iudicando repellunt, inimicum ſuæ ſalutis in medio ſui conſtituunt; quoniam ſicut illi qui iuſtitiæ & veritati ſtudent, Chriſto adhærent, ità illi qui pro iuſto iniuſtè, & pro vero falsò iudicant; illi abſque dubio qui mendax eſt, & pater eius ſe quodammodò mancipant. quid, inquam, iniquius, Deóque odibilius poteſt eſſe, quando in foro plus ſectatur amor nummi, quàm Chriſti? Qui enim pro rectè iudicando nummos accipiunt, more Iudæ Chriſtum, qui vtique iuſtitia eſt, acceptâ pecuniâ vendunt. Nam & ille qui alicuiusrei gratiâ falsò iudicat, & qui veritatem occultat, vtique abominabilis eſt apud Deum, & penè æquali crimine apud eum detinetur. quapropter his qui iudiciariâ poteſtate prædiți ſunt, magna circumſpectio, & vigilantia neceſſaria eſt; nè ab eis, vel coràm eis iudicium rectum in aliquo peruertatur. Quoniam ſi propter ſuam incuriam, & diuturnam quietem, diuerſáſque delitias, quibus dum plus iuſto incumbunt, pauperum cauſa contemnitur, & ſæpe æquitas iudicij violatur, prauum, iniquúmque quid geſtum fuerit, in eos procul dubio id retorquebitur.

Quòd autem remotâ perſonarum, & munerum acceptione rectè iudicandum ſit, ſequentia indicant. Legitur in Exodo: *Non declinabis in iudicio pauperis. Mendacium fugies. Inſontem & iuſtum non occides: quia auerſor impium; nec accipies munera quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Item idem in eodem: *Non contemnas pauperem in iudicio.* In Leuitico: *Non facies quod iniquum eſt: nec iniuſte iudicabis; nec conſideres perſonam pauperis; nec honores vultum potentis: iuſtè iudica proximo tuo.* Item ibi: *Nolite facere iniquum aliquid in*

Exo.26.3.

Leu.19.15

Digitized by Google

iudicio, in regula, in pondere, in menſura, ſtatera iuſta, & æqua ſint pondera: iuſtus modius, æquuſque ſextarius; Ego Dominus Deus tuus. In Deuteronomio: *Dixit itaque* Moyſes. *Præcipe eis* (haud dubium quin iudicibus) *dicens: Audite illos, & quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, nulla erit diſtantia perſonarum: ita paruum audietis, vt magnum; nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia iudicium Dei eſt.* Item: *Iudices & magiſtros conſtitue in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas: vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipient perſonam, nec munera: quia munera obcæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris.* Item idem in eodem: *Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ*: In Paralipomenon libro ſecundo: *Conſtituitque iudices Ioſaphat terræ in cunctis ciuitatibus munitis, per loca ſingula, & præcipiens iudicibus: Videte, ait, quid facitis. Non enim hominis iudicium exercetis, ſed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum; & cum diligentia cuncta facite. Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* In Pſalmo: *Si verè vtique iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.* Item: *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iuſtificate.* In Prouerbiis: *Miſericordia, & veritas non te deſerant.* Item in eodem: *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij.* Item ibi: *Qui cognoſcit in iudicio faciem, non facit bene.* Item ibi: *Facere miſericordiam, & iudicium, magis placent Domino, quàm victimæ.* Item ibi: *Accipere perſonam impij, non eſt bonum in iudicio.* Item: *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum.* Item: *Nouit iuſtus cauſam pauperis: impius ignorat ſcientiam.* In Iſaia: *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferetis ab eo, væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitias, ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis?* Item: *Hæc dicit Dominus: Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam: quia iuxtà eſt ſalus mea, vt veniat; & iuſtitia mea, vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet iſtud? Cuſtodiens ſabbatum, nè polluat illud. cuſtodiens*

Deu. 1. 17.

Deut. 27. 19.

2. *Par.* 19. 17.

Pſ. 57. 1.

Ibid. 81. 3.

Prou. 3. 3. *& ſeq.*

Iſa. 5. 23. *& ſeq.*

Digitized by Google

Zac.8.16. *manus ſuas ne faciat omne malum.* In Zacharia: *Hæc ſunt*, inquit, *verba quæ facietis, loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portis veſtris. Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum nè cogitetis in cordibus veſtris; & iuramentum mendax ne diligatis: Omnia enim hæc ſunt*
Iob.15.34. *quæ odi, dicit Dominus.* Scribit itaque in Iob: *Congregatio hypocritæ ſterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera*
ta M.7.2. *libenter accipiunt.* In Euangelio: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim*
Ioa.7.24. *iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Ioannes in Epiſtola ſua: *Nolite*, inquit, *iudicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.*

Gregorius in Moralibus: [Iudices ſæculi huius pro terrenis lucris multas iniurias tolerant, & pro cœleſti mercede vel tenuiſſimi verbi ferre contumelias recuſant. Terreno iudicio tota etiam die inſiſtere iudices fortes ſunt, in oratione verò coràm Domino ad vnius horæ momentum laſſantur. Plerumque nonnulli iudices terrena præmia appetunt, & iuſtitiam defendunt, ſéque innocentes æſtimant, & eſſe defenſores rectitudinis exultant, quibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, à defenſione protinùs iuſtitiæ ceſſatur; & tamen defenſores ſe iuſtitiæ cogitant, ſibique rectores aſſerunt, qui nequaquam rectitudinem, ſed nummos quærunt. Iſidorus in
Lib. 3. c. 54. libro ſententiarum: [Ad delictum, inquit, pertinet Principum, qui prauos iudices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam ſicut populi delictum eſt, quando Principes mali ſunt, ſic principis eſt peccatum, quando iu-
Ibid. c. 55. dices iniqui exiſtunt.] Item idem: [Grauiùs lacerantur pauperes à prauis iudicibus, quàm à cruentiſſimis hoſtibus. Nullus enim prædo tam cupidus eſt in alienis, quàm iudex iniquus in ſuis.] Et paulò pòſt: [Sæpe iudices ipſam iuſtitiam, quam ad obtinendam ſalutem æternam ſuſcipiunt, muneribus acceptis deſtruunt: Et cùm de iuſto iudicio tempo-
Ibid. c. 38. ralia lucra conquirunt, præmio æterno priuantur.] Item idem: qui rectè iudicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat: quia iuſtitiam, quam gratis impertire debuit, acceptione pecuniæ vendit.] Et paulò pòſt: [Tres ſunt, inquit, munerum acceptiones, qui-

bus

bus contra iuſtitiam humana vanitas militat, id eſt, fauor amicitiarum, adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris.] Item idem poſt pauca: [Quatuor modis iudicium humanum peruertitur; timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu poteſtatis alicuius veritatem loqui paueſcimus. Cupiditate, dum præmio muneris alicuius corrumpimur. Odio, dum contra quemlibet aduerſa molimur. Amore, dum amico & propinquis* præſtare contendimus. His enim quatuor modis ſæpe æquitas violatur, ſæpe innocentia læditur.]

* al. complacere.

Plura quidem & alia extant diuinæ auctoritatis præcepta de ſectanda iuſtitia, & munerum acceptione cauenda, quæ neceſſe eſt vt vnuſquiſque, qui officiũ rectè iudicandi ſuſcepit, diligenter perpendat, & tractet: & ſecundùm ea & rectè viuere, & rectè iudicare ſatagat. Caueat ergo ne acceptâ pecuniâ Chriſtum vendat: ne pro lucro terreno æterna remuneratione ſe priuet: Deíque iudicia ante oculos ſemper præponat; timens, treménſq; ne de iuſtitiæ tramite deuians cadat, & vnde iuſtificari debuit, inde condemnetur.

CAPVT XXV.

De Vitanda Iuratione.

CVM in multis omnes, Apoſtolo Iacobo teſte, offendamus, apud vtrumque ordinem, Clericalem, videlicet & Laïcalem, immò apud vtrumque ſexum, in incauta iuratione valdè & miſerabiliter delinquitur. Putatur enim à quibuſdam quòd ſolummodò ille qui falſitatem ſuper oſſa alicuius ſancti viri, aut ſuper reliquias, aut ſuper altare, aut Euangelia iurat, periurij crimine teneatur obnoxius: ille verò qui pro qualibet re magna, aut parua Deum teſtem inuocat, & per ſanctam Trinitatem, ſupernóſque ciues iurare non trepidat, immunis habeatur à periurio; præſertim cùm omnis qui teſtem adhibet Deum, iurare comprobetur, ſicut beatus Auguſt. in libro ſermonũ, ait. Dominus quoque ait in lege: *Non aſſumas nomen Domini Dei tui in vanum: nec*

Serm. de decollat. S. Ioan. c. 3.

Exo. 20.7

Digitized by Google

per cœlum, aut terram, aut Ieroſolymam, aut per caput ſuum iurarent: quod non vitio recipientis, ſed malè intelligentis eſt factum. Itaque Dominus docet, nihil eſſe tam vile in creaturis Dei, vt per hoc quiſque periurandum arbitretur: Quando à ſummis ad infima diuinâ prouidentiâ creata regerentur, incipiens à throno Dei vſque ad capillum album, aut nigrum. *Neque per cœlum*, inquit, *quia thronus Dei eſt: neque per terram, quæ ſcabellum eſt pedum eius.*] *Mat. 5 36.*

Item idem in libro ſermonum: [Plura ſunt, inquit, plerumque iuramenta, quàm verba. Si diſcutiat homo quotiens iuret per totum diem, quotiens ſe vulneret, quotiens gladio linguam feriat, & transfigat, quis in illo locus inuenitur ſanus. Quia ergo graue peccatum eſt periurare, compendium tibi dedit ſcriptura: Noli iurare.] Item: [Vis ergo longè eſſe à periurio? Iurare noli: qui enim iurat aliquando, verum iurare poteſt: qui autem non iurat, mendacium iurare numquam poteſt. Iuret ergò Deus, qui iurat ſecurus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omninò fallere ignorat; quia nec falli poteſt. Cùm enim iurat, ſe adhibet teſtem. Quomodò tu cum iuras Deum adhibes teſtem: ſic ipſe cùm iurat, ſe teſtem adhibet. Tu quando illum adhibes teſtem, fortè ſupra mendacium tuum accipis in vanũ nomen DOMINI Dei tui. Ne mendacium iures, ergo iurare noli. Ipſa eſt anguſtia: periurium præcipitium eſt: Qui iurat, iuxtà eſt: qui non iurat, longè eſt. Peccat & grauiter, qui falſum iurat: non peccat, qui verum iurat; ſed nec ille peccat qui omnino non iurat; ſed qui non iurat, & non peccat, & longè eſt à peccato; qui autem verum iurat, non peccat; ſed prope eſt à peccato ad peccatum.] Item: [Intendite quæſo, & aduertite: Non vos fallant; qui neſcio quomodo volentes ipſas iurationes diſcernere, vel potiùs non intelligere, dicunt non eſſe iurationem, quando dicit homo; ſcit Deus: teſtis eſt Deus. Inuoco Deum ſuprà animam meam verum me dicere. Inuocauit, inquit, Deum, teſtem fecit Deum: Numquid iurauit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, niſi inuocato Deo teſtem mentiri. Itáne verò quis es praui & peruerſi cordis, ſi dicas, per Deum, iuras; ſi dicas, teſtis eſt Deus, non iuras? Quid eſt enim per Deum, niſi teſtis eſt Deus? Aut quid eſt,

De verbis Apoſt. ſer. 28. c. 2.

Iac. 5 12.

Ibid.

Ibid. c. 6.

Ibidem. teſtis eſt Deus, niſi per Deum?] Item: [Sed ſi aliquid teſte filio tuo faceres, & amico vel proximo tuo, vel cuilibet homini diceres: Non feci, & tangeres filio tuo caput, quo teſte feciſti, & diceres; per huius ſalutem quia non feci; exclamaret fortè filius tuus ſub paternâ manu tremens, nec tamen paternam manum, ſed diuinam tremens. Noli pater, non tibi ſit vilis ſalus mea: Deum ſuper me inuocaſti, ego te vidi, feciſti, noli periurare: te quidem habeo genitorem, ſed plus
Ibid. c. 7. & meum & tuum timeo Creatorem. Sed quia Deus, quando per eum iuras, non tibi dicit: Ego te vidi, feciſti, noli iurare: ſed times ne te iſte occidat, tu te ante occidis: quia ergo non dicit, ego te vidi, putas quia non vidit. Et vbi eſt quando di-
Ibib. c. 8. cit: *Tacui, tacui, numquid ſemper tacebo?*] Item: [Breuiter audite, fratres mei, concludam ſermonem, figens in cordibus veſtris curam ſalubrem, ante omnia nolite iurare.] Item:
Ibid. c. 10. Tene ergo linguam & conſuetudinem, quantum potes: non quomodo quidam, quando illis dicitur, verum dicis, non credo, non feciſti, non credo, Deus iudicet, iura mihi. Et ipſe qui exigit iurationem, multùm intereſt, ſi neſcit illum falſum iuraturum, an ſcit: ſi enim neſcit, & ideò dicit, iura mihi, vt fides ei fiat, non audeo dicere non eſſe peccatum, tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, nouit feciſſe, vidit feciſſe, & cogit iurare, homicida eſt. Ille enim periurio ſuo ſe perimit: ſed iſte manum interficientis & ex-
Ibid. c. 11. preſſit & preſſit.] Item: [Nam tantum mali habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeant falſum iurare per lapides; tu non times Deum præſentem, Deum viuentem, Deum ſcientem, Deum manentem, Deum in contemptore vindicantem? Claudit ille templum ſuper lapidem, & vadit ad domum ſuam ipſe; ſuper domum ſuam claudit, & tamen quando illi
Cap. 12. dicitur, iura per Iouem, præſentis oculos timet. Et ecce dico charitati veſtræ, & qui per lapidem falſum iurat, periurus eſt. Vnde hoc dico? quia multi & in hoc falluntur, & putant quia nihil eſt per quod iurant, non ſe crimine teneri periurij. Prorsùs periurus es, qui per id quod ſanctum putas, falſum iuras. Sed ego illud ſanctum non puto. Sanctum putat cui iuras. Non enim quando iuras, tibi iuras, aut lapidi iuras, non, ſed proximo iuras. Homini iuras ante lapidem; ſed numquid an-

Digitized by Google

tè Deum? Non te audit lapis loquentem: ſed punit te Deus fallentem.]

Beda in expoſitione Epiſtolarum Canonicarum: [qui detrahere, inquit, ad alterum, qui iudicare proximum interdixit, qui in aduerſitatibus ad alterutrum ingemiſcere prohibuit, quæ ſunt aperta peccata, addidit etiam hoc, quod quibuſdam leue videtur, vt iuris quoque iurandi conſuetudinem tollat. Nam hoc quoque illis paruipendendum nequaquàm patenter apparet, qui illam Domini ſententiam ſollicitè conſiderant, qua dicitur: Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij: vt non ſub iudicio incidatis. Ideò, inquit, vos à iurationis culpa compeſco, nè frequenter vera iurando etiam in periurium decidatis, ſed eò longius à periurandi vitio ſtetis, quò nec verum iurare niſi proxima neceſſitate velitis.] Iſidorus in libro Sententiarum: [Cauendam igitur eſſe iurationem dicimus, nec ea vtendum, niſi in ſola neceſſitate: non eſt contra Dei præceptum * facere; ſed dum vſum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus. Numquam ergò iurat, qui periurare timet. Multi dum loquuntur, iurare ſemper delectantur, dum oporteat hoc tantum eſſe in ore: *Eſt, eſt; non, non: Amplius enim quàm eſt, & non, à malo eſt.* Multi enim vt fallant, periurant; vt per fidem ſacramenti, fidem faciant verbi. Sícque fallendo dum periurant, & mentiuntur, hominem incautum decipiunt. Interdum & falſis lacrymis decipimur, & creditur dum plorant, quibus credendum non erat. Plerumque ſine iuramento loqui diſponimus; ſed incredulitate eorum, qui non credunt quod dicimus, iurare compellimur, talíque iurandi neceſſitate, conſuetudinem facimus. Sunt multi ad credendum pigri, qui non mouentur ad fidem verbi. Grauiter autem delinquunt, qui ſibi loquentes iurare cogunt. Quacumque arte verborum quiſque iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum adſumit, & proximum dolo capit. Non eſt * cõſeruandum ſacramentum quod malum incautè * promittit, veluti ſi quiſpiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius eſt enim non

In expoſ. Epiſt. Iac. c. 5. v. 12. to. 5.

Matt. 12. 36.

Lib. 2. c. 31. init.

al. * iurare.

Mat. 5. 37.

al. * obſeruandũ iuramentum.

al. * promittitur.

Digitized by Google

non implere ſacramentum, quàm permanere in ſtupri flagitio.]

Perſpicuis itaque teſtimoniis adſtruitur nequaquam paſſim, vt à multis fieri ſolet, adquieſcere debere iurationi: nec eâ etiam, quæ peccato caret, vtenda, niſi in ſola neceſſitate; ne ſcilicet dum nimium in vſu habetur, in periurij crimen labatur.

CAPVT XXVI.

De falſo teſtimonio.

*Luc.*18.20 INTER decem præcepta quæ Dominus in monte Syna per famulum ſuum Moyſem Iſraëlitico populo dedit, falſum teſtimonium ſpecialiter prohibuit: *Non falſum*, inquiens, *teſtimonium dices.* Iuſtus itaque Dominus iuſtitiam diligendam monuit, & falſitatem promendam inhibuit. Adtende quis quale edictum mortalibus ſeruandum propoſuerit, Rex ſcilicet Regum, & Dominus dominantium, omniúmque creator, inter flammas ignium, & fulgura micantia, fragorem quoque tonitruorum, & clangorem buccinæ, hanc legem terribiliter promulgauit, quâ malum vetatur, & bonum iubetur, quâ etiam veritas ſectanda, & falſitas cauenda cenſetur, & quod valde tremendum, & expaueſcendum eſt, contemnitur: quoniam in tantum tranſgreſſio huius Dominici præcepti in vſum quibuſdam deuenit, vt penè illud, vt pote legem frequentent, & cùm illud proferunt, aut nihil, aut penè nihil ſe delinquere credant, niſi in quod falsò protulerint, verum eſſe iureiurando confirment. Hi certè vanâ ſpe ſemetipſos decipiunt. Videant ergò quòd Dominus in ſancta ſua lege ſpecialiter falſum teſtimonium, ſpeciacialiter periurium, ſpecialiter quoque mendacium prohibuerit: quicumque igitur vnum ex his tranſgreſſus fuerit, Domini præcepti præuaricator ſine dubio exiſtit. Hi namque qui contra iuſtitiam falſitatem opponunt, ſimiles ſunt falſis teſtibus, qui in paſſione Chriſti falſum contra eum dixerunt teſtimonium,

Luctuoſa nempe nimiùm res eſt, eo quòd nonnulli nihil vilius, immò nihil venalius in hac mortalitate ducunt, quàm animas ſuas: Cùm enim diuerſas pecunias accipiunt, & crapulâ, & ebrietate vſque ad vomitum ſe ingurgitant, vt falſitatem proferant, quid aliud niſi animas ſuas venales faciunt? Hi namque vili pretio magnam rem vendunt; quod accipiunt fumeum & momentaneum; quod amittunt æternum, & ſine fine manſurum eſt. Miſerabilis planè mercatio; quando quis pro alterius nummis, & cibo, & potu, animam ſuam tradidit diabolo; ſed & ille, qui nè iuſtè ſuperetur, & id quod iniuſtè retinet amittat, & pudorem publicum incurrat prauámque legis iacturam, ſubeat, diuerſis munuſculis huiuſcemodi teſtes corrumpit. Inſuper etiam ſicuti fieri adſolet in periurium impellit: nullatenùs de eorum perditione ſecurus exiſtat, ſed pro certo ſciat, quòd omnium animarum, quos aut in falſitatem, aut periurium perduxit, reus apud Dominum tenebitur: proinde Cenſoribus diligens ac ſubtiliſſima indagatio neceſſaria eſt, vt falſos teſtes, more Danielis Prophetæ, ſeparatim examinent, vt quid ius, quid verum, quid falſum ſit agnoſcere valeant.

Falſi quoque teſtes diligentiſſimè perſcrutari in libro Deuteronomij iubentur: *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis: ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum, & iudicum qui fuerint in diebus illis. Cúmque diligentiſſimè perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddant ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui; vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere, & non miſereberis ei.* De falſis quoque teſtibus Salomon ait: *Teſtis falſus non erit impunitus.* Et alibi ſe Deus odiſſe dicit teſtem fallacem, & proferentem mendacium adnumerat. Beda quoque in expoſitione Lucæ: [Multi, inquit, hodie Iudæ ſcelus, quòd Dominum ac magiſtrum Deumque ſuum vendiderit, veluti immane & nefarium exhorrent, nec tamen cauent: Nam cùm pro muneribus falſum contra quemlibet teſtimonium dicunt, profectò quia veritatem pro iuſtitia negant, Deum pecuniâ vendunt. Ipſe enim dixit: *Ego ſum veritas.* Qui etiam ſi nullus pecuniam det, Do-

Deu. 19.18

Prou. 19. 5.9.

Ibid. 6.9.

In expoſ. c. 22. v. 5.

Ioa. 14.6.

minum argenteis vendunt: quia principis ſæculi imaginem, id eſt exempla hoſtis antiqui, neglectâ conditoris, ad quam creati ſunt, imagine, ſumunt. Nam ſicut Ioannes Baptiſta, qui non pro Chriſti confeſſione, ſed pro defenſione veritatis occubuit, ideò tamen pro Chriſto, quia pro veritate martyrium ſuſcepit; ita è contrario qui charitatis & veritatis iura ſpernit, Chriſtum vtique, qui eſt veritas & charitas prodit: maximè cùm non *infirmitatis cauſa, vel ignorantiâ ſubripiente peccat, ſed in ſimilitudinem Iudæ quærit oportunitatem: vt arbitris abſentibus veritatem mendacio, virtutem crimine mutet.] Iſidorus in libro ſententiarum: [Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis obnoxius. Primùm Deo, quem periurando contemnit; ſequenter iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Teſtibus falſis conuinctis, tardè mendacij falſitas reperitur: quòd ſi ſeparati fuerint, examine iudicantis citò manifeſtatur.]

al. infirmitate.

Lib. 5. c. 39. init.

Ecce quàm abominabile, Deóque odibile falſum ſit teſtimonium, breuiter collectum eſt. Sollicitè itaque vigilantérque ſtudendum eſt iudicibus, vt iudicij cauſas patienter audiant, diligentérque examinent, & iuſto libramine decernant; nè ab eis, vel coram eis quiſpiam aut libertate, aut quibuſlibet rebus iniuſtè priuetur. Hi autem qui munerum acceptione, aut cuiuſlibet alterius rei gratiâ, iniuſtè iudicando, & falſum teſtimonium proferendo, quoſlibet ad ſeruitutem addicunt, aut rebus iniuſtè carere faciunt, magnum ſibi damnationis cumulum acquirunt: quoniam non ſolùm præſentibus obſunt; ſed etiam in futuram eorum poſteritatem eandem iniuriam tranſmittunt.

CAPVT XXVII.

De Mendacio.

OMNE mendacium veteris nouique Teſtamenti ſeries demonſtrat eſſe vitandum. Cui plerique coactè, multi verò ſponte flebiliter implicantur, & ſe delinquere non ſuſpicantur,

Digitized by Google

ſuſpicantur, cùm ſcriptura dicat: *Os qui mentitur, occidit animam.* Et alibi: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et in lege Dominus vetat: *Non mentiemini*, inquit, *nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.* Et Salomon: *Qui autem mentitur: teſtis eſt fraudulentus: qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacij. Abominatio eſt lingua mendacij. Liberat animas teſtis fidelis: profert mendacium verſipellis. Teſtis fidelis non mentietur: profert mendacium teſtis doloſus.* Ieſus filius Sirach: *Nolite mentiri omne mendacium. Aſſiduitas enim illius non bona.* In Euangelio. *Omne mendacium à diabolo eſt.* Et Apoſtolus: *Deponentes*, inquit, *mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Item: *Nolite mentiri inuicem.*

Sap. 1. 11. *Pſ.* 5. 7. *Leu.*19.11. *Prou.*12. 17. *Ibid.* 19. *Prou.* 14. 25. *Ibid.*14 5. *Eccl.*7.14 *Epheſ.* 4. 25. *Coloſ.*3.9.

Auguſtinus in libro contra mendacium: [Primum eſt capitale mendacium longéque fugiendum, quod fit in doctrina religionis; ad quod mendacium nulla conditione quiſquam debet adduci. Secundum, vt aliquem lædat iniuſtè, quod tale eſt, vt & nulli proſit, & obſit alicui. Tertium, quod ita prodeſt alteri, vt obſit alteri, quamuis non ad immunditiã obſit corporalem. quartum, ſola mentiendi faciendíq; libidine; quod verum mendaciũ eſt. Quintũ, quod fit placendi cupiditate, de ſuaui eloquio. His omnibus penitus euitatis, atque reiectis, ſequitur Sextum genus, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui; velut ſi quiſpiam pecuniam alicuius iniuſtè tollendam, ſciens vbi ſit, neſcire ſe mentiatur. Septimum, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui, velut ſi nolens hominem ad mortem quæſitum prodere, mentiatur, non ſolùm iuſtum atque innocentem, ſed & reum, quia Chriſtianæ diſciplinæ eſt, vt neque de cuiuſquam correctione deſperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. De quibus duobus generibus, quæ ſolent habere magnam controuerſiam, ſatis tractauimus, & quid nobis placeret oſtẽdimus, vt ſuſcipiendis incommoditatibus, quæ honeſtè ac fortiter tolerentur. Hæc quoque genera deuitentur à fortibus, & fidelibus, & veracibus viris & fœminis.] Non ergo mentiendum quærenti vbi ſit, qui ſe fidei cuiuſpiam commiſerit: ſed potiùs reſpondendum: [Nec prodam, nec mentiar: fecit hoc Epiſcopus quõdam Tagaſtenſis Eccleſiæ, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cùm ab eo quæreretur homo

Lib. de Mẽdacio ad Conſent. c.14.

Hæc vbi ſupra, ſed c. 13. ante med.

Digitized by Google

iuſſu Imperatoris per apparitores ab eo miſſos, quem ad ſe confugientem diligentiâ quantâ poterat, occultabat, reſpondit quærentibus, nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere; paſſúſque eſt tam multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Chriſtiani) permanſit in ſententia: Deinde ad Imperatorem ductus, vſque adeò mirabilis apparuit, vt ipſe homini quem ſeruabat, indulgentiam ſine vlla difficultate impetraret. Quid hoc fieri poteſt fortiùs atque
* Ex c. 14. conſtantiùs? * Octauum eſt genus mendacij, quod & nulli obeſt, & ad hoc prodeſt vt ab immunditia corporali quemquam tueatur. * Non igitur eſt mentiendum in doctrina pie-
* Ibid. c. 21. tatis. Magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacij. Non mentiendum ſecundo genere, quia nulli eſt facienda iniuria. Non eſt mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius iniuria conſulendum eſt. Non eſt mentiendũ quarto genere, propter mẽdacij libidinem, quæ per ſemetipſam vitioſa eſt. Non eſt mẽtiendum quinto genere, quia nec ipſa veritas ſine placẽdi hominibus enuntianda eſt; quantò magis mendacium, quod per ſemetipſum quia mendacium eſt, vtique turpe eſt? Non eſt mentiendum ſexto genere: Neque enim rectè etiam teſtimonij veritas, pro cuiuſquam temporali commodo ac ſalute corrumpitur. Ad ſempiternam verò ſalutem nullus ducendus eſt, opitulante mendacio: Nemo enim malis conuertentium moribus ad bonos mores conuertendus eſt; quia ſi erga illum faciendum eſt, debet etiam ipſe conuerſus facere erga àlios. Atque ita
al. * conuertitur. non ad bonos, ſed malos mores * conuertetur; cùm hoc ei præbetur imitandum conuerſo, quod ei præſtitum eſt conuertendo. Neque ſeptimo genere mentiendum eſt: Non enim cuiuſquam commoditas, aut ſalus temporalis perficiendæ fidei præferenda eſt. Nec ſi quiſquam pro rectè factis noſtris tam malè mouetur, vt fiat etiam animo deterior, longéque à pietate remotior, propterea recta facta, deferenda ſunt; cùm id nobis præcipuè referendum ſit, quò vocare atque inuitare debemus, quos ſicut noſmetipſos diligimus; fortiſſimóque animo bibenda eſt illa ſententia Apo-
2. *Cor.* 2. ſtolica: *Aliis quidem ſumus odor vitæ in vitam: aliis odor mortis*
2 *in mortem.* Et ad hæc quis idoneus? Nec octauo genere men-

Digitized by Google

tiendum eſt; quia & in bonis caſtitas animi pudicitia corporis; & in malis id quod ipſi facimus, eò quod fieri ſinimus, maius eſt. In his autem octo generibus, tantò quiſque minus peccat cùm mentitur, quantò emergit ad octauum: tantò ampliùs, quantò emergit ad primum. Quiſquis autem eſſe aliquid genus mendacij, quod peccatum non ſit, putauerit, decipiet ſeipſum turpiter, cùm honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.]

Iſidorus in libro Sententiarum: [Mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur: Reddit enim ſæpe hominem multa falſitas, etiam in veritate ſuſpectum. Sæpe vera præmittit, qui falſa dicturus eſt; vt cùm primùm adquiſierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat. Multis videntur vera eſſe, quæ falſa ſunt; & ideò non ex Deo, ſed ex ſuo mendacio loquuntur. Nonnumquam falſitas veriloquio adiungitur, & plerumque à veritate incipit, qui falſa confingit.] Idem poſt pauca: [Summopere cauendum eſt omne mendacium; quamuis nunquam ſit aliquid mendacij genus culpæ leuioris, ſi quiſquam pro ſalute hominum mentiatur; ſed quia ſcriptum eſt: *Os qui mentitur, occidit animam.* Et, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Hoc quoque mendacij genus perfecti viri ſummopere fugiunt, vt nec vita cuiuſlibet per eorum fallaciam defendatur; nec ſuæ animæ noceant, dum præſtare alienæ carni nituntur: quamquàm hoc ipſum peccati genus facillimè credamus relaxari. Nam ſi quælibet culpa ſequenti mercede purgatur, quantò magis hæc facilè abſtergitur, quam merces ipſa comitatur?]

Lib. 2. c. 3. init.

Ibidem.

Sap. 1. 11. *Pſal.* 5. 7.

Quòd ergo mendacium omnino cauendum ſit, latè patet: proinde neceſſe eſt, vt vnuſquiſque hoc vitium cauere ſtudeat: quiſquis huic mancipatur, hoc penitùs relinquens, ad pœnitentiæ lamenta recurrat, & ideò inter cætera alia peccata quæ admiſit, Deo & Sacerdoti confeſſionem facere non negligat.

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

De Curioſitate.

MVLTI ſcienter, multi neſcienter in curioſitatis labuntur vitium: cui dum quis inſeruit, ſemetipſum flebiliter negligit. Noſtra quippe quæ mala geſſimus, ſunt deflenda, non aliorum errata (quæ nec emendare nolumus, nec poſſumus) curiosè inquirenda, morſúque detractionis carpenda. Sunt itaque quorundam pia facta, quæ nobis diligenter ſunt ſcrutanda, & ad exemplum bonæ actionis ſumenda. Sunt item quorundam quædam facta, quæ nobis neſcientibus nihil periculi, ſcientibus nihil momenti afferunt: ſed dum curiosè in his ſcrutandis dies inſumimus, proculdubio delinquimus; quo pro vitio multi Canonicorum, & Monachorum ſuum negligentes propoſitum, laborant. Nam & ſunt plerique Laïci, qui in huiuſcemodi curioſitate penè à mane vſque ad veſperam delectabiliter verſantur, & ſe delinquere, aut non intelligunt, aut intelligere recuſant: hi neceſſe eſt vt perpendant factum Dinæ filiæ Iacob, quæ dum curioſitate ducta egreditur, vt mulieres extraneæ regionis videat, à Sichem filio Emmor adamatur, & rapitur, & vi oppreſſa violatur, eiuſq; deteſtabili* ſociatur. Dina quippe (vt beatus Gregorius in libro Paſtorali ſcribit:) [Vt mulieres videat extraneæ regionis, egreditur, quando vnaquæque mens ſua ſtudia negligens, actiones alienas curans, extrà ambitum, atque extrà ordinem proprium vagatur. quam Sichem Princeps terræ opprimit; quia videlicet inuentam in curis exterioribus diabolus corrumpit.]

Gen. 34. 1. * deeſſe videtur copulâ, ſeu commencio. Part. 3. c. 3.

Plura ſi quidem & alia extant diuinarum ſcripturarum documenta, quæ vitium curioſitatis vitandum eſſe demonſtrant, & quibus quædam breuiter ſubnectuntur. Ait enim Ieſus filius Syrach: *Inſupervacuis rebus noli ſcrutari,* * *ne multiplicentur. Non eſt tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. De re autem quæ te non moleſtat, ne curioſe.* In lib. autē Eccl. *Sed & cunctis,* inquit, *ſermonibus qui dicuntur ne accommodes cor*

Eccl. 3 24. *al.* * multipliciter. *Eccli.* 3. 23. *Ibid.* 11. 9. *Eccl.* 7. 22.

Digitized by Google

tuum, nè forte audias ſeruum tuum maledicentem tibi: ſcit enim tua conſcientia quia crebrò maledixiſti aliis. Et Proſp [Tamdiu enim quis peccata ſua, quæ noſſe & deflere debet, ignorat, quamdiu curiosè aliena conſiderat. Quòd ſi mores ſuos ad ſeipſum reuerſus aſpiciat, non requirat quid in aliis ſpecialiter reprehendat, ſed in ſeipſo quod lugeat. Proinde fratrũ noſtrorum vitia non facilè debemus accuſare, ſed gemere: vt inuicem onera noſtra portantes, legem Chriſti poſſimus implere.] Gregorius in expoſitione Euangelij: *Alter dixit: Iuga boum emi quinque & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum.* [Quid in quinque iugis boum, niſi quinque ſenſus corporis accipimus? qui rectè quoque iuga vocati ſunt; quia in vtroque ſexu geminantur: qui videlicet corporales ſenſus, quia interna comprehendere neſciunt, ſed ſola exteriora cognoſcunt, & deſerentes intima, ea quæ extrà ſunt, tangunt, rectè per eos curioſitas deſignatur; quæ dum alienam quærit vitam diſcutere, ſemper ſua intima neſciens, ſtudet exteriora cogitare. Graue namque curioſitatis eſt vitium, quæ dum cuiuſlibet mentem ad inueſtigandam vitam proximi exteriùs ducit, ſemper ei ſua intima abſcondit, vt aliena ſciens, ſe neſciat. Et curioſi animus quantò peritus fuerit alieni meriti, tantò fit ignarus ſui. Propter hoc namque de eiſdem quinque iugis boum dicitur; *eo probare illa, rogo te habe me excuſatum.* Ipſa enim excuſantis verba à vitij ſui ſignificatione non diſcrepant, dum dicitur, *eo probare illa*; quia videlicet aliquando pertinere probatio ad curioſitatem ſolet.] Habes & in libello qui dicitur ſynonyma: [quod ad te quoque non pertinet, noli quærere: quod inter ſe loquuntur homines, cognoſcere numquam deſideres. Noli quærere quod quiſq; dicat, vel faciat: cuita curioſitatem: omitte curam quæ ad cauſam tuam non pertinet. Curioſitas periculoſa præſumptio eſt. Multi aliorum vitia diſcernunt, ſua non aſpiciunt.]

Patet igitur quòd curioſitatis vitium omnibus Chriſtianis ſummopere ſit cauendum. Quia ergo de ſingulis temporibus, quæ loqui & agere debuimus, fructum bonæ operationis Dominus à nobis eſt exacturus, oportet vt vnuſquiſque fidelis ab huiuſcemodi curioſitatibus, & ſupernacuis rebus ſcrutandis, prorsùs ſe alienum efficiat.

Seu Iulian. Pomer. de vita contemplat. c. 6.

Hom. 36. ante med. *Luc.* 14. 19.

Lib. 2. Synon. c. 15 de curioſitate. ſed verbis diſcrepat ab his quæ refert Ionas.

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

De ſectanda hoſpitalitate.

QVAMQVAM hoſpitalitas intrà ſex opera miſericordiæ breuiter in Euangelio commemorata ſit, neceſſariò tamen in hoc capitulo propter quoſdam qui eam negligunt, prolixiora teſtimonia colligenda reſtant. Inter cætera quippe Chriſtianæ Religioni contraria, quorundam libitu in conſuetudinem eouſque deducta, vt his pro lege videantur inſiſtere: hoſpitalitas quoque, quæ eſt apud Chriſtianos inſigne atque excellentiſſimum opus miſericordiæ, ita à plurimis negligitur, vt & in hoc, ſicut & in nonnullis aliis, Chriſtianitatis; decus magna ex parte fuſcetur quoniam in tantũ à quibuſdam paruipẽditur, vt cùm amplas & ſpacioſas domos habeant, vix dignentur ſub tectum ſuum recipere peregrinũ, immò in peregrino Chriſtũ, dicentem in Euang. *Hoſpes fui, & collegiſtis me.* Sed neq; aduenientes hoſpitio carentes, in domos ſuas aliter recipiunt, niſi priùs pari conuentione ſtatuatur, quid pro ſolo, quid proſingulis vaſis, quid pro igne accenſo, & cæteris innumeris rebus, quibus vſi fuerint, dare debeant: Verùm ſi contigerit vt ſine hac pactione eos primùm blandè, ac ſimulatæ charitatis officio ſuſcipere videantur, tantò tædio poſteà eos afficiunt, vt nullatenùs quieſcant, donec id quod auarè ab eis exigunt, eos dare compellant. Quod factum à Chriſtiana Religione ità abhorret, vt quiſquis huic vitio incumbit, licet nomine, non tamen opere diſcipulus Chriſti exiſtat. Hic autem ab eodem Chriſto in tremendi examinis die (niſi ſe antequàm diem claudat extremum, correxerit) benedictus vocari non merebitur, eodem dicente in Euangelio: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: quia hoſpes fui, & collegiſtis me*, & cætera. Cum quâ ergò fiduciâ diem expectat iudicij qui Chriſtum in hoſpitibus renuit ſuſciperere? Inhumani itaque circà hoſpitalitatem aduituri ſunt: *Recedite in ignem æternum.* Humani verò & beneuoli: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum,*

Matt. 25. 35.

Ibid. 34.

Ibid. 41.

Ibid. 34.

Digitized by Google

quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Ecce qualem benedictionem hoſpitalitatem ſectantes percepturi ſunt: Ad hoc nempe Chriſtiani vocati ſumus, *Vt*, teſtante beato Petro Apoſtolo, *eandem benedictionem hereditate poſſideamus.* 1. *Pet.* 3. 9.

Quiſquis illa ſe priuari timet, neceſſe eſt vt in hac peregrinatione hoſpitalitati ſtudeat. Qualiter autem ſectanda ſit, ea quæ ſequuntur breuiter inſinuant. Ait enim Iſaias Propheta: *Peregrinos vagóſque induc in domum tuam.* Iob: *Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori patuit.* Et in Euangelio: *Hoſpes fui, & collegiſtis me.* Petrus. *Hoſpitalitatem,* inquit, *ſectantes.* Paulus: *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* Et, *hoſpitalitatem nolite obliuiſci:* Ambroſius in libro de Abraham primo: Diſce quàm impiger eſſe debeas vt poſſis præuenire hoſpitalitatem, nè quis præueniat, & te boni muneris defraudet copiâ: quia non ſatis eſt rectè facere, niſi etiam maturare quod facias: Vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Bona eſt hoſpitalitas: habet mercedem ſuam primùm humanæ gratiæ, deinde quod magis eſt, remunerationis diuinæ. Omnes in hoc incolatu hoſpites ſumus: ad tempus enim habitandi habemus hoſpitium. Emigramus properè; caueamus nè ſi nos duri aut negligentes in recipiendis fuerimus hoſpitibus, etiam nobis poſt vitæ ipſius curſum ſanctorum hoſpitia denegentur. Sed pauperiem pretendis, non opes à te hoſpes requirit, ſed gratiam: non ornatum conuiuium, ſed cibum obuium. Hæc grata hominibus, accepta Deo. Vnde Dominus Ieſus in Euangelio: Eum quicumque dederit hoſpiti potum aquæ frigidæ, cœleſtium adſerit præmiorum non exſortem futurum. Aug. in lib. ſermonũ: [Cogimur, inquit, loqui vobis quod non debuimus: inuenire enim in vobis debuimus quod laudaremus, non quærere quod admoneremus. Ecce tamen breuiter dico, non immoror. Agnoſcite hoſpitalitatem, per hanc peruentum eſt ad Deum; ſuſpicis hoſpitem, cuius & tu es comes in via: quia omnes peregrini ſumus. Ipſe eſt Chriſtianus, qui & in domo ſua & in patria ſua peregrinum ſe eſſe cognoſcit. Patria noſtra ſurſum eſt, ibi hoſpites non erimus: Nam vnuſquiſque hîc & in domo ſua hoſpes eſt, ſed dimittat illam domum filiis ſuis, hoſpes hoſpitibus. quare? Et in ſtabulo ſi eſſes, nonne

Iſa. 58. 7. *Iob.* 31. 32. *Mat.* 25. 35. *Rom.* 12. 13. *Heb.* 13. 1. Lib. 5. init. *Matt.* 10. 42. De verbis Dom. ſer. 32. ſub med.

a *l.* * non

alio veniente diſcederes. Hoc facis & in domo tua. Ceſſit tibi locum pater tuus, ceſſurus es filiis tuis, nec manſurus manes, nec manſurus relinques. Si omnes tranſimus, aliquid quod tranſire non poteſt, operemur; vt cùm tranſierimus, & illuc venerimus, vnde non tranſeamus, opera noſtra bona ibi inueniamus. Cuſtos eſt Chriſtus, quid times ne perdas quod erogas.]

Gregorius in Moralibus: Hoſpitalitatem fraternitatis amore, charitatis opera diligere, nobis valde neceſſarium eſt; vnde egregius Prædicator nobis vtraque commendans
Heb. 13. 1. ait: *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* Et, *hoſpitalitatem nolite obliuiſci*: Beatus Princeps Apoſtolorum huius hoſpitalitatis gratiam cum benignitate fratribus habendam nobis
1. *Pet.* 4. 9. commendat dicens: *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.*
Matt. 25. 35. Hinc ipſa veritas dicit: *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me.* Mirâ pie-
Ibid. 40. tate Redemptor noſter loquitur ex ſuorum compaſſione membrobrũ, dicens: *Quodcũq; vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ipſe igitur nos per hoc caput noſtrum eſt, adiuuat, qui per noſtra bona opera in ſuis membris adiuuatur. Penſandũ eſt nobis quantum hoſpitalitas fraternę compaſſionis valeat: quantum nos omnipotenti Domino miſericordiæ viſcera coniungant. Inde enim ei qui eſt ſuper omnia appropinquamus, vnde nos per compaſſionem proximi etiam ſub noſmetipſos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, niſi qui tenditur. In rebus verò ſpiritalibus, certum eſt quia quantò plus per compaſſionem attrahimur, tantò altiùs & veriùs propinquamus.

Plura itaque ſanctorum Patrum extant documenta, quæ hîc ob breuitatem non ponuntur. Oportet ergo vt vnuſquiſque fidelis regulam Chriſtianitatis in ſectanda hoſpitalitate cuſtodiat, eámque Chriſti amore non mercedis temporalis retributione ſectetur. Nemo quidem paupertatem obtendat, dicendo: Non poſſum hoſpites ſuſcipere, quoniam non habeo vnde illis neceſſaria miniſtrem: quia Dominus IESVS CHRISTVS vt hanc occaſionem tolleret, etiam de calice aquæ frigidæ ſitienti porrecto, ſe mercedem pollicitus eſt redditurum.

LIBER

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Charitate.

ILLE charitatem habet, qui & Deum pluſquam ſe, & proximum tamquam ſe diligit: *In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ.* Matt. 22. 40. Porrò Chriſtianorum proprium eſt & amicum diligere in Deo, & inimicum propter Deum. Vnde dicitur in Pſalmo: *Latum mandatum tuum nimis.* Pſ. 118. 96. Ideò latum dicitur mandatum, quia & amicum & inimicum pari dilectione complectitur. Iudæis nempe moris eſt amicum diligere; & inimicum odiis exſecrabilibus inſectari. Chriſtianis verò vtrumque Domino præcipiente in Euangelio, æquè diligendus eſt: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, & cætera. Mat. 5. 43. & ſeq. Et alibi: *Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. In hoc cognoſcent omnes quòd mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem.* Ioan. 13. 34. In hac quippe præceptione non ſolùm amici, verùm etiam inimici continetur dilectio: nec quiſpiam gloriari poteſt veraciter ſe Deum diligere, ſi ab amici exorbitauerit dilectione. Dominus enim in Euangelio ait: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Mat. 6. 14. Ad tam magnum tonitruum, vt beatus Auguſtinus ait, qui non expergiſcitur? qui non dormit, ſed mortuus eſt: ſed tamen potens eſt Dominus etiam mortuos ſuſcitare.

Digitized by Google

Prou. 10. 12. De charitate autem Salomon ita dicit: *Odium ſuſcitat rixas: & vniuerſa delicta operit charitas.* Petrus: *Ante omnia,* 1. Petr. 4. 8. inquit, *in vobis metipſis charitatem continuam habentes: Quia* 1. Cor. 13. 4. *charitas operit multitudinem peccatorum.* Paulus: *Charitas pa-* 1. Ioan. 4. 8. *tiens eſt: benigna eſt,* & reliqua. Ioannes: *Deus,* inquit, *chari-* *Hom. 35. paulò ante med. *tas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Gregorius* in libro Paſtorali: [Virtus itaque eſt coram hominibus, aduerſarios tolerare, ſed virtus coram Deo, diligere: quia hoc ſolùm Deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Item Ibid. idem: [Cùm cuncta ſacra eloquia dominicis plena ſunt præceptis; quid eſt quod de dilectione, quaſi de ſingulari mandato Dominus dicit: *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis* Ioa. 15. 12. *inuicem*? Niſi quia omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia vnum præceptum ſunt. Quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur: nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non maneat in radice charitatis. Præcepta ergo dominica & multa ſunt, & vnum: Multa per diuerſitatem operis; vnum in radice dilectionis. Qualiter autem iſta dilectio ſit tenenda ipſe inſinuat, qui in pleriſque ſcripturæ ſuæ ſententiis & amicum iubet diligi in ſe, & inimicos propter ſe. Ille enim veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo; & inimicum diligit propter Deum.] Item idem: *Omni enim habenti dabitur & abundabit:* Matt. 13. 12. *ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo:* habenti namque dabitur & abundabit; quia quiſquis charitatem habet etiam dona alia percipit; quia quiſquis charitatem non habet, etiam dona quæ percepiſſe videbatur, amittit.

De charitate quippe, quæ Deus eſt, pauca hic collecta ſunt, quiſquis tamen ad eum peruenire deſiderat, qui charitas eſt, oportet vt Dei & proximi dilectione veraciter ignitus exiſtat.

Digitized by Google

CAPVT II.

De Humilitate.

SICVT ſuperbia de Angelis dæmones, ita humilitas de hominibus Angelorum efficit ciues. Diabolus itaque per ſuperbiam corruens de cœlo hominem primum ſtrauit, & de paradiſo expulit. Chriſtus autem Dei filius ad redimendum genus humanum humilis venit in mundum. Vnde ait Apoſtolus: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Et infra: *Humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* De humilitate autem ait Dominus per Prophetam: *Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Salomon: *Vbi erit ſuperbia, ibi & contumelia. Vbi autem humilitas, ibi & ſapientia. Superbum ſequitur humilitas: & humilem ſpiritum ſuſcipiet gloria. Priuſquam conteratur exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.* Et in Euangelio: *Quicumque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum.* Petrus in Epiſtola prima: *Omnes autem inuicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* Et, *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* Ieſus filius Syrach. *Quantò magnus es, humiliate in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.*

Phil. 2.6. *Ibid.*8. *Iſa.* 66. 2. *Prou.* 11.2 *Ibid.* 20. 21. *Ibid.* 29. 23. *Ibid.* 18.12 *Matt.* 18. 14. 1.*Pet.* 5.5. *Iac.* 4.10. *Eccl* 3.20.

Gregorius in morahibus: [Ad hoc ergo vnigenitus Dei filius formam humilitatis ſuſcepit: ad hoc inuiſibilis, non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum probra, paſſionúmque tormenta tolerauit, vt ſuperbum hominem non eſſe doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus eſt, quámque ſublimis celſitudo, propter quam ſolam veraciter edocendam is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, * veniens ad paſſionẽ factus eſt paruus. Quia originem perditionis noſtræ ſe præbuit ſuperbiâ diaboli, inſtrumentũ redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei. Hoſtis noſter magnus inter omnia conditus, videri ſuper omnia voluit elatus. Redemptor autem

Lib.34 in c. 42.Iob. c. 18.

al. * vſq;

Digitized by Google

noſter magnus manens ſuper omnia fieri int[illegible]mnia dignatus eſt paruus.] Et humilitas magiſtra eſt omnium, matérque virtutum, ſicut veritas ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris.* Quia dum ſe humiles deiiciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt. Quid igitur humilitate ſublimius? Quæ dum ſe in ima deprimit, Auctori ſuo manenti ſuper ſumma ſe coniungit.

Matt. 11. 29.

Hom. 18. ante med.

Cæſarius Epiſcopus in homiliis: [Humilitatem ergo, fratres dilectiſſimi, ante omnia teneamus; non illam quæ aliquoties foris tantùm oſtenditur, ſed illam quæ in conſcientia retinetur. Sunt enim aliqui, qui quando aliqua tranquillitas fuerit, humilitatẽ & in ore & in corpore ſolent oſtendere: & ſi aliqua, vt adſolet, tribulatio, vel ſcandali procella ſurrexerit, effrenato ore, erecta ceruice, ſuperbia, quæ in corde tegebatur, multis conuiciis profertur ex ore. Quare hoc factum eſt, fratres? quia fundamentum veræ humilitatis non habuit; quia humilitatem, quam prius promittebat in corpore, non habebat in corde. * Et humiles ergo ſimus, fratres chariſſimi, non ſolùm ſenioribus, ſed etiam coæqualibus, & iunioribus noſtris, ne Deus ſuperbis reſiſtat, ne ſe exaltantes humiliet, ne inflati per viam anguſtam tranſire non poſſimus.]

* Ibid. poſt pauca.

Ecce quantum humilitati ſtudendum eſt, breuiter demonſtratur. Proinde neceſſe eſt, vt ſuperbia cum auctore ſuo diabolo vigilanter caueatur, & humilitas Chriſti obedienter amplectatur, quoniam ſicut illa ſe imitantes ad ima proſternit, ità iſta ſe amplectantes ad ſumma erigit.

CAPVT III.

De Patientia.

De patiẽtia c. 2.

PATIENTIA quæ Chriſti amore ſuffertur, laudanda & prædicanda eſt: quando autem amore terrenorum fit, non eſt virtus patientiæ dicenda, quæ nulla eſt, ſed vt beatus Auguſtinus ſcribit, miranda duritia, neganda patientia. Patientia ergo tunc eſt laudanda & virtus prædican-

Digitized by

da, cùm ob Chriſti amorem non ſolùm in accidentibus exteriorum rerum aduerſitatibus habetur, ſed etiam in corde potiſſimùm retinetur. Nec enim prodeſt exteriùs demonſtrari patientiam, & interiùs bella diſſentionum, & cæterorum fomenta retineri vitiorum. Quando igitur foris prætenditur ſapientia, & interiùs regnant bella vitiorum, non eſt huiuſcemodi patientiæ virtus, ſed virtutis ſimulatio æſtimanda. Extat igitur beatus Iob exterioris interioríſque exemplum patientiæ: qui non ſolùm exteriorum damna rerum, & orbitates filiorum, & iniurias illatas amicorum, verùm etiam flagellum ſui corporis patienter ſuſtinuit, & inter tot aduerſa non ad murmurationem ſed ad Dei laudem erupit dicens: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus?* Item: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum:* De patientia autem ait Salomon: *Qui patiens eſt, multâ gubernat prudentiâ: qui autem impatiens, exaltat ſtultitiam ſuam.* Item: *Melior eſt patiens, viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Item: *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Dominus in Euangelio: *Beati,* inquit, *pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur*: Item: *In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras.* Paulus: *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habete.* Item: *Patientia vobis neceſſaria eſt; vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Item: *Pacem ſequimini in omnibus & ſanctimoniam: Sine qua nemo videbit Deum.* De his autem qui propter honores terrenos nanciſcendos, & diuerſas cupiditates explendas, iocóſq; & multimodas delectationes, & vanitates inſectandas, multa dura & acerba patientiſſimè, & moleſtiſſimè, ac periculoſiſſimè tolerant, cùm loqueretur B. Aug. in lib. de bono patientiæ, ità ad extremum intulit: [In his, inquit, hominibus miranda eſt potiùs quàm laudanda patientia, immò nec miranda nec laudanda, quæ nulla eſt, ſed miranda duritia, neganda patientia. Nihil autem illic iure laudandum, nihil vtiliter admirandum. Tantóque rectiùs maiore ſuplicio dignum iudicabis animum, quantò magis vitiis ſubdit inſtrumenta virtutum Patientia comes eſt ſapientiæ, non famula concupiſcentiæ. Patientia amica eſt conſcientiæ bonæ, non inimi-

Iob. 2. 10. *Ibid.* 1. 21. *Pro.* 14. 29 *Ibid.* 16. 32 *Ibid.* 19. 11 *Matt.* 5. 9. *Luc.* 21. 19 *Rom.* 12. 18 *Heb.* 10. 36. *Heb.* 12. 14. Lib. de Patientia c. 5.

Ibid. c. 6. ca innocentiæ. Cùm ergo videris quemquam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quam non oſtendit niſi cauſa patiendi. Quando illa bona eſt, tunc iſta vera eſt: quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falſitate diſtinguitur. Cùm verò illa tenetur in crimine, tunc huius multùm erratur in nomine. Non enim ſicut homines qui ſciunt, ſunt participes ſcientiæ; ita omnes qui patiuntur ſunt participes patientiæ: ſed qui paſſione rectè vtuntur, in patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ mu-
Ibid. c. 7. nere coronantur. Verumtamen cùm pro libidinibus, vel etiam ſceleribus; cùm denique pro iſta temporali vita ac ſalute multa homines horrenda mirabiliter ſufferunt, ſatis nos admonent quanta ſufferenda ſunt pro vita bona, vt & poſſit eſſe æterna, & ſine vllo temporis termino, ſine vtilitatis vllius detrimento, vera fœlicitate ſecura. Vnde Dominus ait:
Luc. 21. 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Non ait villas veſtras, laudes veſtras, luxurias veſtras, ſed animas veſtras. Si ergo tanta ſuffert anima vt poſſideat, vnde pereat; quanta
Ibid. c. 8. debet ſufferre ne pereat?] Et paulò pòſt: [Quamuis autem patientia virtus ſit animi, partim tamen eâ vtitur animus in ſeipſo, partim verò in corpore ſuo. In ſeipſo vtitur patientia, quando illæſo & intacto corpore aliquid quod non expediat, vel quod non deceat, facere aut dicere, quibuſlibet aduerſitatibus aut fœditatibus rerum, ſeu verborum ſtimulis incitatum, & patienter mala omnia tolerat, nec ipſe mali
Ibid. c. 9. aliquid opere vel ore committit. Per hanc patientiam ſuſtinemus etiam cùm corpore ſani ſumus; quòd inter huius ſæculi ſcandala beatitudo noſtra differtur.] Item poſt quæ-
Ibid. dam: [Hæc omnia, & ſi qua ſunt alia, quæ commemorare longum eſt, ad eum patientiæ modum pertinent, quo animus non ſua peccata, ſed quæcumque extrinſecùs mala pa-
Ibid. c. 10. tienter ſuſtinet, in ſeipſo, ſuo prorsùs corpore illæſo. Alius autem patientiæ modus eſt, quo idem ipſe animus quæcumque moleſta & grauia in ſui corporis paſſionibus præfert, non ſicut ſtulti vel maligni homines propter adipiſcenda va-
Mat. 5. 10. na, vel ſcelera perpetranda, ſed ſicut à Domino deffinitum eſt, propter iuſtitiam. Vtroque ſancti Martyres modo certauerunt. Nam & impiorum ſaturati ſunt, vbi animus cor-

pore intacto quaſdam veluti plagas ſuas integer ſuſtinet, & in corporibus vincti ſunt, incluſi ſunt, fame, ac ſiti * affecti ſunt, torti ſunt, ſecti ſunt, dilaniati ſunt, incenſi ſunt, trucidati ſunt, & pietate immobili ſubdiderunt Deo mentem, cùm paterentur in carne, quidquid * ex crudelitate quærenti venit in mente.]

al. * vincti

al. * exquirenti crudelitati.

Gregorius in homiliis Euangelij : [Sciendum præterea eſt, quòd tribus modis patientia exerceri ſolet. Alia namque ſunt quæ à Deo, alia quæ ab aduerſario, alia quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo namque perſecutiones, damna, & contumelias : ab aduerſario tentamenta : à Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere; ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali; ne contra tentamenta aduerſarij ſeducatur ad delectationem, vel conſenſum delicti; ne contra flagella Opificis ad exceſſum proruat murmurationis. Perfectè enim aduerſarius vincitur, quando mens noſtra & inter tentamenta eius à delectatione, atque conſenſu omnimodis refrænatur; & inter contumelias proximi cuſtoditur ab odio ; & inter flagella Dei compeſcitur à murmuratione. Nec hæc agentes, retribui nobis præſentia bona requiramus. Nam pro labore patientiæ bona ſperanda ſunt ſequentis vitæ; vt præmium noſtri laboris incipiat, quando iam omnis labor funditùs ceſſat.]

Hom. 35. ſub finē.

Item idem : *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* [Id. circò poſſeſſio animæ in virtute patientiæ ponitur : quia radix omnium cuſtóſque virtutum patientia eſt. Per patientiam verò poſſidemus animas noſtras; quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quod ſumus. Patientia vera eſt, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui ſic mala proximi portat, vt tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, ſed oſtentat. Scriptura quippe eſt : *Charitas benigna eſt, patiens eſt.* Patiens namque eſt, vt aliena mala toleret, benigna verò eſt, vt ipſos etiam quos portat, amet. Hinc namque per ſemetipſam veritas dicit : *Diligite inimicos veſtros : benefacite his qui oderunt vos. Orate pro perſequentibus, & calum-*

Luc. 21. 19

Hom. 35. ante m. d.

1. *Cor.* 13. 14.

Matt. 5. 44.

Digitized by Google

niantibus vos. Virtus itaque eſt coram hominibus aduerſarios tolerare, ſed virtus coram Deo diligere: quia hoc ſolùm Deus ſacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sciendum verò eſt, quòd plerumque patientes videmur, quia retribuere mala non poſſumus; ſed qui idcircò malum non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubio, vt diximus, patiens non eſt: quia patientia non in oſtenſione * acquiritur, ſed in corde.]

al. * inquiritur.

Hæc quippe & his ſimilia eximia ac ſaluberrima teſtimonia nos ad patientiæ virtutem informant. Et quia ſine charitate in nobis non poteſt vera eſſe patientia, imitemur eius exemplum, qui propter nos flagella, & ludibria, & crucis patibulum patienter ſuſtinuit, vt exteriùs interiúſque eius amore virtutem patientiæ exhibentes, illò quò ille præceſſit, poſt mortem peruenire valeamus.

CAPVT IV.

De Superbia.

ALIQVANDO propter donum alicuius virtutis, aliquando propter mundi honores, aliquando verò propter carnis fragilitatem labitur in ſuperbiam, quæ totius peccati initium eſt. Vnde ſcriptum eſt. *Initium omnis peccati, ſuperbia.* Hæc de Angelis dæmones fecit; humilitas autem homines æquales Angelis reddit. De ſuperbia namque ait Pſalmiſta: *Populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.* Item: *Superbi iniquè agebant vſquequaque: à lege autem tua non declinaui.* Item: *Increpaſti ſuperbos, maledicti qui delinant à mandatis tuis.* Item: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* In Prouerbiis: *Domos ſuperborum demolitur Dominus.* In Eccleſiaſte: *Quid ſuperbis terra & cinis?* In Amos: *Iurauit Dominus in anima ſua, dicit Dominus exercituum: Deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi.* Tobias alloquens filium ſuum: *Superbiam*, inquit, *numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Et Salomon: *Vbi*, inquit, *fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia.*

Eccli. 10. 15. *Pſ.* 17. 28. *Ibid.* 118. 51. *Ibid.* 118. 21. *Ibid.* 100. 7. *Prou.* 15. 25. *Eccl.* 10. 9 *Amo.* 6 8 *Tob.* 4. 14. *Prou.* 11. 2

Digitized by Google

tumelia. Item: *Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis.* Ieſus filius Sirach: *Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo. Initium peccati eſt omnis ſuperbia. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicabit ſuperbo, induetur ſuperbia.* Et Dominus in Euangelio: *Omnis*, inquit, *qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.* Petrus: *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam.* Paulus: *Noli altum ſapere, ſed time.* *Ibid* 16 19 *Eccl.* 10.7 *& ſeq.* *Ibid.* 13. 1. *Luc.* 14 11 1. *Pet.* 5.5. *Rom.* 11. 20

Auguſtinus in libro ſermonum: [Sola, inquit, diaboli ſuperbia, & inuidia mittit in ignem æternum. Non poteſt ſuperbus eſſe non inuidus: inuidia ſuperbiæ filia eſt. Sed iſta mater ſuperbia, neſcit eſſe ſterilis, vbi fuerit, cõtinuò parit.] Et paulò pòſt: [Prior eſt in vitijs ſuperbia, deinde inuidia: Non enim inuidia peperit ſuperbiam, ſed ſuperbia inuidiam. Non enim inuidet, niſi amor excellentiæ. Amor excellentię, ſuperbia vocatur.] Gregorius in moralibus: Occaſio perditionis noſtræ facta eſt ſuperbia diaboli: & argumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei. Quid elatione deiectius? quæ dum ſuprà ſe tenditur, ab altitudine veræ celſitudinis elongatur? Initium omnis peccati, ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi peruerſæ celſitudinis appetitus? Peruerſa etenim eſt celſitudo, cùm deſerto, cui debet animus inhærere, principio, ſibi quodammodo fieri vult, atque eſſe principium. Multis ſæpe ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit; quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimis merſit. Qui ſuperbiâ in ſecreto cordis priùs eleuantur, poſteà publicè corruunt: quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus corporis. Vnde per Oſee Prophetã contra Iſraëlitas dicitur: *Spiritus fornicationis in medio eorum: & Dominum non cognouerunt.* Qui vt oſtenderet, quòd cauſa libidinis ex culpa proruperit elationis, mox ſubdidit dicens: *Et reſpondebit arrogantia Iſraël in faciem eius.* Si auctorem ſuum homo ſuperbiendo contemnit, iure & à ſubiecta carne prælium ſuſcipit: vnde & ille primus inobediens mox vt ſuperbiendo peccauit, pudenda contexit: quia enim calumniam ſpiritus Deo intulit, mox calumniam carnis inuenit. Et paulò pòſt: Superbi quippe eo ipſo quo vi- De verbis Dom. ſer. 53. c. 4. & 5. Lib. 34. c. 18. *Ozæ.* 5.4. *Ibid.* 5.

Digitized by Google

deri alti appetunt, à vera eſſentia Dei longè per elationem fiunt: ſubſiſtere etenim nequeunt qui ab æternæ eſſentiæ
Pſ. 72. 18. ſoliditate diuiduntur; ſicut per Pſalmiſtam dicitur: *Deieciſti eos dum alleuarentur.* Qui eò intrinſecus corruunt, quò malè intrinſecus ſurgunt. Sic aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus tollitur, ſed repente in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula denſando ſe erigit, ſed exortus ſolis radius ac ſi non fuerit, abſtergit: ſic in herbarum ſuperficie nocturnis horis humor aſpergitur, ſed diuturni luminis ſubito calore ſiccatur: ſic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantibus pluuiis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, ſed eò celeriùs diſruptæ depereunt, quò inflatæ altiùs extenduntur: cumque excreſcunt vt appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant. Scriptum eſt: cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. Solent etiam electi in quibuſdam ſuis cogitationibus atque actibus ſuperbire, ſed quia electi ſunt, cunctis diebus ſuperbire non poſſunt; quia priùs quàm vitam finiant, ad humilitatis metum ab elatione corda commutant. Cæſarius
* Arelatẽſis. Homil. 18. multò ante med. * Maſſilienſis Epiſcopus in homilis. [Duo, inquit, ædificia, & duæ ciuitates à mundi initio conſtruuntur: vnam ædificat Chriſtus, alteram diabolus: Vnam humilis; alteram ſuperbus. Adtendat ergo vnuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi in ſe viderit dominari ſuperbiam, in ciuitate diaboli ſe infæliciciter ædificare, immò præcipitare non dubitet ad ruinam. Non enim diſcernuntur filij Dei, & filij diaboli, niſi humilitate, atque ſuperbia. Quemcumque ſuperbum videris, diaboli eſſe filium non dubites. Quemcumque eſſe humilem conſpexeris, Dei filium eſſe veraciter credere debeas. Et vt
Eccl. 10. 14. hoc verum eſſe cognoſcas, audi ſcripturam dicentem: *Initium apoſtatare à Deo, omnis ſuperbia.* De ſuperbia namque naſcitur contemptus mandatorum Dei, & de bonis quæ aguntur vanæ laudis appetitus.] Hæc Cæſarius dixerit.

Fit verò & in eo ſuperbia, quando quis aut pro virtutibus, aut pro diuitiis mundi aliis meliorem ſe æſtimat; cùm vtique in eo prior ſit, quo ſe meliorem aliis arbitratur. Naſcitur etiam ex ſuperbia contumacia, inobedientia, contentiones, hæreſes, & cætera innumera vitia, quæ omnia humilitate

Digitized by Google

per facilè famulus Dei ſuperare poteſt. Putantur autem nonnulli propter cultum & ſplendorem veſtium, ſuperbiâ tumeſcere; quod dum plerumque ex fonte ſuperbiæ ſoleat emanare, plures tamen ſunt qui exteriùs his ornantur, & interiùs humilitate pollent. De talibus erat ille purpuratus, & regio diademate inſignitus, qui dicebat: *Vide humilitatem meam & eripe me: quia legem tuam non ſum oblitus.* Item: *Vide humilitatem meam, & laborem meũ: & dimitte vniuerſa delicta mea.* Quia igitur perſuperbiam parentis noſtri Adæ cecidimus, & per humilitatem Chriſti reſurreximus, operæ pretium nobis procurandum eſt, vt ſuperbiam, vt pote venenum diaboli, caueamus: & humilitati Chriſti ſemper adhæreamus, qui dicit in Euangelio: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris.* Quiſquis igitur ſuperbiæ vitio inſeruiuit, neceſſe eſt, vt de eo, ſicut & de cæteris vitiis, ſacerdoti confeſſionem faciat, Deúmque ſupplicet, vt ſibi ignoſcere dignetur.

Pſ. 118.153 *Ib.* 24.18. *Matt.* 11. 29.

CAPVT V.

De odio, & inuidia.

SICVT per concordiam paruæ res creſcunt, ita è contrario per odium & liuorem magnæ decreſcunt. Odium enim & inuidia multos miſerabiliter ac lethaliter afficit. Hæc quoque duo peſtifera peccata quantò occultiora, tantò pernitioſiora, atque periculoſiora. Eorum nempe morbus cùm multorum mentes tabefaciat, nonnulli tamen per quædam exteriora iudicia ſe interiùs eodem morbo laborare produnt, quia videlicet huiuſcemodi ſectator cùm de odio cauendo admonetur, reſpondere ſolet; Non poſſum hoc malum à corde meo vellere, quia hic, pro quo admones, multas iniurias & diuerſa mihi mala intulit. Faciat Deus quod vult, non quieſcam donec ex eo vltionem capiam. De inuidia autem cauenda & charitate amplectenda, cùm admonitio fit, ita ab huiuſcemodi reſponderi ſolet: Illum & illum non decuerat habere quod adeptus eſt, quia non eſt

tam nobiliter natus, vt hoc nanciſci meruerit. Solet etiam ſubiungere: Ego qui inſeruiendo plurimos multo labore conſumpſi annos, non perueni ad honorem; & ille qui paruo aut penè nullo ſeruiuit tempore, me in honore accipiendo præcedit. Hoc nempe vitium inuidentiæ & in maioribus, & in minoribus fit rebus. Verùm ſi de cuiuſlibet inuidioſi ſanctitate, & honeſtate vitæ agatur; & id quod dicitur verum eſſe aſſeratur, huiuſcemodi inuidiâ tabeſcentes cuncta falſa eſſe quæ dicuntur, contendunt. Fiunt & alia multa indicia, quibus odientes, & inuidi ſe prodere ſolent; & forſitan quantum in hac re delinquant, ignorant. Cùm ſint itaque capitalia crimina, perrari ſunt (quod valde periculoſum eſt) qui inde Deo & ſacerdoti confeſſionem faciant, & per pœnitentiæ ſatisfactionem hęc diluere procurent. Sed dum ſecundùm legem mundi, non ſecundùm legem Chriſti, malum pro malo reddunt; eóſque quibus inuident deſpicientes, conuitiis, & diuerſiſſimis contumeliis fatigant, & crimen lethale, ſi in promptu ſit, potiùs viri fortis, quàm erubeſcentis, & pœnitentis nomen habere diligunt.

Leu.19 17 Hæc igitur vitia quàm vigilanter ſint cauenda, oracula diuina ſubtùs collecta docent. Habes in veteri lege: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo: ſed publicè argue illum, nè habeas ſuper illo peccatum.* *Prou.14. 30.* In Salomone: *Vita carnium ſanitas cordis: putredo oſſium inuidia.* Item: *Virum ſtultum interficit iracundia: & paruulum occidit inuidia.* *Iob.5.2.* Ieſus filius Sirach: *Per inuidiam diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* *Sap.2.24.* Ioannes Apoſtolus. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* *Ioan.3.15.* Item idem: *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum oderit, in tenebris eſt: & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius:* *Ibid. 2. 9.* De inuidia autem ita ſcribit Auguſtinus in libro de diſciplina Chriſtianorum: [Auertat enim Deus peſtem inuidię ab omnium hominum animis, nedum Chriſtianorum: Vitium eſt diaboli,* cum quo ſolùm diabolus reus eſt, & * irremediabiliter reus. Non enim dicitur diabolo vt damnetur, adulterium commiſiſti, furtum feciſti, villam alienam rapuiſti, ſed homini ſtanti lapſus inuidiſti.* Inuidia diabolicum vitium eſt; ſed habet matrem ſuam. Superbia vocatur mater inuidiæ. Superbia inuidos facit. Suffoca matrem, & non erit filia.

Lib. ſeu ſerm. de diſciplina Chriſtiana, c. 7.

al. * quo ſolus

al. * inexpiabiliter

al. * inuidentia

Digitized by Google

Ideò humilitatem docuit Chriſtus. * Nam non ego loquor inuidis, bene optantibus loquor. Illis loquor qui optant bene amicis, vt habeant tantum, quantum habeant & ipſi. *al.* * Non ergo

Scribit etiam & Proſperus: [Inuidus eſt certè, qui alienum bonum ſuum facit inuidendo ſupplicium; nulla videtur ad inuidendum concupiſcentia * prouocare, ſed tantùm ſuperbiæ morbo vexari. Sed ſi animi eius peſtem, * quia præcipitatur incenſus, ſubtiliter altéque rimemini, inuenietis eum & perditionis * cupidum, cuius cupit interitum, & ſuperbiæ malo teneri, * quòd ſibi iugiter ingemiſcit meliorem cui inuidet meliori. Quis facilè poteſt quale ſit hoc malum verbis exprimere, quo inuidus odio hominis perſequitur diuinum munus in homine, cùm potius amari homo debeat, etiam pro ſui meriti ſanctitate? Tantos inuidus habet pœnâ iuſtâ tortores, quantos inuidioſus habuerit laudatores. Si quidem inuidioſum facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati; nec ei ab homine poteſt adhiberi remedium, cuius eſt vulnus occultum. De vita contemp. c. 5. *al.* * prouocari *al.* * quâ *al.* * eius cupidine *al.* * quo

Gregorius in moralibus: [Inuidere non poſſumus, niſi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo eſt, qui liuore occiditur, quia ipſe ſibi teſtimonium perhibet, quòd ei minor ſit, cuius inuidia torquetur. Hinc eſt, quòd hoſtis callidus primo homini inuidendo ſubripuit, quia amiſſâ beatitudine, minorem ſe immortalitatis illius agnouit. Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia deſpecto ſuo ſacrificio, prælatum ſibi infremuit, cuius Deus hoſtiam accepit, & quem meliorem ſe eſſe exhorruit, nè vtcumque eſſet, amputauit. Eſaü ad perſecutionem hac de ſe fratris exarſit; quia primogenitorum benedictione perditâ, quam tamen Eſaü lenticulâ ipſe vendiderat, minorem ſe eo, quem naſcendo præibat, ingemuit. Ioſeph ſanctum fratres ſui Iſmaëlitis tranſeuntibus ideò vendiderunt; quia cognito reuelationis myſterio, ne eis melior fieret, eius profectibus obuiare conati ſunt.] Sciendum ſummopere eſt, quia quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infundatur, in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem vomit. Per inuidiam colorpal- Lib. 5. c. 31.

Digitized by Google

lore afficitur, & oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor.]

Lib. 3. c. 25. poſt init. Iſidorus in libro Sententiarum : [Inuidus membrum eſt diaboli, cuius inuidiâ mors introiuit in orbem terrarum. Nulla eſt virtus, quæ non habeat contrarium inuidiæ malum : ſed ſola miſeria caret inuidia : quia nemo inuidet miſero.] Ibid. Et pòſt pauca : [Hoc omnis inuidus alienis virtutibus præſtat, quod beato Iob Sathan præſtitit. Nam dum æmulatur proſperitatibus, cõmouet aduerſa.] Non homines, ſed vitia odio habenda ſunt. Flebiliter deplorandi ſunt qui odio in fratrẽ tabeſcunt, & contra alios pernicioſum animæ dolum ſeruant, à regno enim Dei ſe ſeparant, qui ſemetipſos à charitate diſſociant. In expoſ. Ioan. ep. c. 2. v. 9. Będa in expoſitione Ioannis Epiſtolę : [Dominus, inquit, præcipit in Euangelio diligere inimicos. Qui ergo dicit ſe eſſe Chriſtianum, & fratrem ſuum odit, in peccatis eſt vſque adhuc ; bene addidit vſque adhuc : quia nimirùm omnes homines in tenebris naſcuntur vitiorum. In tenebris manent homines, donec gratiâ baptiſmi per Chriſtum illuminentur. Sed is qui cum odio fratris accedit ad fontem vitę quo renaſcatur, ad potum ſanguinis prętioſi, quo redimatur, & ſi ſe illuminatum à Domino ęſtimet, in tenebris eſt vſque adhuc : neque vlla ratione peccatorum vmbras exuere potuit, qui viſcera charitatis induere non curauit.] In expoſ. c. 3. v. 15. Item idem : [*Omnis*, inquit, *qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*. Si contemnebat quiſque odium fraternum, numquid & homicidium in corde ſuo contempturus eſt. Non mouit manus ad occidendum hominem ; homicida iam tenetur à Deo. Viuit ille, & iſte iam interfector iudicatur. *Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem*. Et ſi hic per fidem inter ſanctos viuere cernitur, non habet in ſe perpetuam vitam manentem : Nam vbi retributionis tempus aduenerit, cum Cain, qui ex maligno erat, damnabitur : etiam qui hoc homicidij genere tenetur, vt diſcordet, & diſſideat, & pacem cum fratribus non habeat Notãdum eſt quod non ait abſolutè, *homicida non habet vitam in ſe manentem*, ſed, *omnis*, inquit, *homicida*, ſcilicet non ſolùm ille qui ferro, verùm & ille qui odio fratrem inſequitur.]

Digitized by Google

His & his ſimilibus diuinæ ſcripturæ auctoritatibus: percenſetur & odium, quod ſectatores ſuos ſpiritaliter necat, cauendum, & inuidiam, quæ rubigine ſua inuidorum mentes conſumit, vitandam. Cuiuſlibet enim mens his malis infecta fuerit, templum ſancti Spiritus eſſe non merebitur, niſi his caruerit.

CAPVT VI.

De octo vitiis Principalibus.

QVIA longum eſt octo vitia principalia capitulatim enumerare, vtile iudicatum eſt ea ſub vnius capituli adnotationem congerere. Horum primum eſt ſuperbia, de qua ſuperiùs dictum eſt. Secundum gula, in quod vitium cùm multi labuntur, impunitatem ſibi promittunt dicentes: Quid delinquimus ſi potum & cibum, quæ Deus ad vtendum hominibus tribuit, ad libitum noſtrum percipimus? Quæ dum autante tempus, aut in tempore vltra menſuræ modum indiſcretè percipiunt, procul dubio delinquunt. Quibus perpendendum illud eſt, quod Deus in Euangelio ait: *Videte ne grauentur corda veſtra in ebrietate, & crapula, & curis huius vitæ.* Et Apoſtolus: *Eſca & potus nos non commendant Deo.* Et Iſaias: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendum ebrietatem!* Item: *Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Viuo ego dicit Dominus, ſi remittetur vobis iniquitas hæc, donec moriamini.* Et Salomon: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque enim his delectatur, non erit ſapiens.* Item: *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Nullum ſecretũ eſt vbi regnat ebrietas.* Item: *Potentes iracundi ſi ſunt, vinum non bibant, nè cùm biberint obliuiſcantur ſapientiam.* Ioël Propheta: *Expergiſcimini ebrij, & flete, vlutate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* Iob: *Cùm ſaturatus fuerit arctabitur, & omnis dolor irruet in eum.* Ieſus filius Sirach: *Operarius ebrioſus non locupletabitur.*

*Leu.*21.34
*Iſa.*5.22.
*Ibid.*22.13
*Prou.*20.1
*Ibid.*23.31
*Ibid.*31.4.
*Ioël.*1.5.
*Eccl.*19.1.

Digitized by Google

Ibid.31.38 *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos. Vinum potatum multùm irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Ex gula quippe naſcitur inepta lætitia, ſcurilitas, leuitas, vaniloquium, immunditia corporis, inſtabilitas mentis ebrietas, libido, vt enim beatus Hieronymus ait, ventrem cibo diſtentum & diuerſis potionibus irrigatum ſtatim voluptas genitalis ſequitur.

Tertium vitium fornicatio dicitur; quæ non ſolùm per corpus, ſed etiam per mentem fieri ſolet. Per corpus quidem fit, per commixtionem carnis cum fœmina qualibet, vel etiam alia quacunque immundicia ad explendum libidinis ardorem. Per mentem verò cum anima relicto connubio legitimi viri ſui, id eſt Chriſti, aut per idololatriam, aut per quodlibet aliud peccatum connubio adulterino, immò exitiabili, antiqui hoſtis ſe copulat. De hac quippe fornicatione dicit Pſalmiſta: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Naſcitur verò ex fornicatione cæcitas mentis, inconſtantia oculorum, vel totius corporis amor immoderatus, ſæpe periculum vitæ, laſciuia, ioca, petulantia, & omnis incontinentia, odium mandatorum Dei, mentis eneruatio, & iniuſtæ cupiditates, negligentia vitæ futuræ, & præſentis delectatio.

Pſ.72.27.

Eccleſ.5.9. Quartum vitium eſt auaritia, de qua ſcribit Salomon: *Auarus non impletur pecuniâ.* Quæ à Deo in Euangelio hydropici morbo comparatur, qui quantò plus bibit, tantò amplius ſitit; ſic & auarus quantò plus habet, tantò amplius habere deſiderat, & dum modum diſcretionis in habendo non tenet, eum in nimium concupiſcendo amittit. De auaris autem tremenda ſententia à Domino in Euangelio, & ab Apoſtolo deprompta eſt, quòd auari Regnum Dei non poſſidebunt. De arbore autem auaritiæ prodeunt peſtiferi ramuſculi, inuidiæ ſcilicet, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, periuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, iniuſta iudicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis obliuio, obduratio cordis, quæ contraria eſt operibus miſericordiæ.

Prou.5.18. Quintum vitium eſt ira: de qua ait Salomon: *Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Item:

Eccl.7.10. *Ne velox ſis ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Sem-*

Pro.17.11. *per iurgia quærit malus: Angelus autem credulis mittetur contra eum.*

eam. Spiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere. *Ibid.* 18.14
Item: *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Ieſus filius Sirach: *Cum iracundo non facias rixas.* Item: *Homo iracundus incendit ignem. Zelus & ira minuent dies, & ante tempus ad ſenectutem perducent.* Et in Euangelio: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Paulus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Iacobus: *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* Quiſquis namque motum animi ſui ratione non regit, facilè in furorem incidit, & cuncta quæ agit, præcipitanter agere comprobatur: quoniam huiuſcemodi vitio captus, & maturitatem conſilij, & modum rectæ diſcretionis, & honeſtatem piæ actionis facilè amittit. Nam & de ira pullulat tumor mentis, rixę, contumeliæ, clamor, indignatio, præſumptio, blaſphemiæ, ſanguinis effuſio, homicidia, vlciſcendi cupiditas, iniuriarum memoria, & alia quamplurima.

Ibid. 17.4
Ecclı 8 19
Ibid. 28. 11.
Ibid. 10. 26.
Mat. 5.22.
Eph. 4.26.
Jac. 1. 20.

Sextum vitium acedia, id eſt otioſitas, de qua ait Salomon: *Otioſitas inimica eſt animæ.* Item: *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit æſtate, & non dabitur ei.* Otioſos verò Dominus arguit in Euangelio dicens: *Quid hic ſtatis tota die otioſi? ite in vineam meam.* Quâ peſte multi Clericorum & Laïcorum laborant, & ſe delinquere minimè intelligunt. Sicut enim exercitium boni operis animum hilareſcit, & ad melius ſemper agendum igneſcit. * De qua naſcitur ſomnolentia, pigritia operis boni, inſtabilitas loci, peruagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio, & inaniloquia.

Pro. 20.4.
Matt. 20. 7.
* hîc nonnihil deſiderari videtur

Septimum vitium eſt triſtitia. Triſtitia itaque cùm duobus modis fiat, id eſt aliquando ſalubriter, aliquando lethaliter: quando ſalubriter fit, non eſt vitium computanda, ſed virtus: ſalubriter quippe fit quando quis longâ inediâ, & aliâ qualibet caſtigatione corporali decoctus, multis ſanctarum virtutum certaminibus exercitatus, à dulcedine æternæ patriæ ſe diu exulari triſtatur. De talibus dicit in Euangelio Dominus: *Triſtitia veſtra conuertetur in gaudium.* Lethaliter autem triſtitia fit, quando quis de amiſſione terrenarum rerum, illatiſque ſibi ab aliis iniuriis ita triſtatur, vt nihil boni operis eum agere delectet; quoniam dum hæc ei accidunt,

Ioa. 16.20.

Digitized by Google

ita animum eius perturbare ſolent, vt non ſolùm à bonis eum retrahant, verùm etiam in præcipitium deſperationis ire compellant. Quiſquis igitur tali abſorbetur triſtitia, patet quòd in fundamento mentis ſuæ amorem terrenum amori præpoſuit Chriſti. Quòd autem triſtantes non ad murmurationem, ſed potiùs ad orationem, & ad Dei laudationem ſe conuertere debeant, Iacobus Apoſtolus docet, dicens:
Iac. 5. 13. *Triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo & pſallat.* Quę verba ita venerabilis Beda Preſbyter exponit. [Si quis, inquit, veſtrum aliqua triſtitia deprimitur, vel ab aliis hominibus illata fortè iniuria ingruerit, vel culpa accedente, vel domeſtico damno præoccupante, vel alia qualibet vos ratione contriſtari contigerit, nequaquam illa hora ad inuicem murmuraturi, & de Dei iudiciis querelaturi conueniatis, ſed potiùs ad Eccleſiam concurrentes flexis gènibus Dominum orate, vt conſolationis ſuæ gratiam mittat, nè vos triſtitia ſæculi, quæ mortem operatur, abſorbeat. Ipſi quoque crebra pſalmodiæ dulcedine nociuam mœſtitiæ peſtem veſtro de corde pellite.

Octauum eſt Cenodoxia, id eſt vana gloria, quod propriè arrogantium, & vanæ laudis amatorum eſt. De hac enim ait
Mat.23.5. Dominus in Euangelio: *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Item: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Arrogantiũ quippe quatuor ſunt ſpecies, cùm bonum aut à ſemetipſis habere æſtimãt, aut ſibi datum de ſuper pro ſuis ſe accepiſſe meritis putãt; aut certè cùm iactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis cæteris ſingulariter videri appetunt habere quod non habent. Docet namque Apoſtolus:
Vt qui gloriatur in Domino glorietur. Et Dominus in Euange-
1.Cor.1.31. lio Diſcipulis ſuis ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Cùm igitur bona quis agit, nequaquam laudem ab hominibus captare, ſed retributionem æternam à Deo debet expectare]Hi ſunt
Alcuin. l. de virtut. & vitiis c.34.med. (vt venerabilis Magiſter Alcuinus ſcribit) octo totius impietatis duces cum exercitibus ſuis, & fortiſſimi contra humanum genus diabolicæ fraudis bellatores, qui, Deo auxiliante, facillimè vincuntur à bellatoribus Chriſti per virtutes ſanctas. Prima, ſcilicet ſuperbia, per humilitatem; gula per abſtinentiam; fornicatio per caſtitatem; auaritia per largi-

Digitized by Google

tatem ; ira per patientiam ; acidia per inſtantiam boni operis ; triſtitia mala per lætitiam ſpiritalem ; vana gloria per charitatem Dei.]

His planè octo vitiis principalibus multi intelligendo, multi non intelligendo ſubſternuntur. Quæ adeò in vſum deuenerunt, vt à quibuſdam aut nulla, aut penè nulla peccata eſſe arbitrentur. De quibus multa hîc ſanctorum Patrum dicta aggregari poterant, quæ ob prolixitatem vitandam prætermiſſa ſunt. Cæterùm oportet vnumquemque, vt hæc, diuina ope ſuffragante, caueat: & ſi fortè his tandem mancipatus fuit, Deo, & ſacerdoti inde puram humilemque confeſſionem facere non negligat.

CAPVT VII.

De Detractione.

DETRACTIONIBVS inſeruire non debere patenter diuina indicat ſcriptura. Legitur itaque in libro Numeri: *Deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam.* Et infra: *Quare igitur non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? iratuſque contra eos abiit, nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum; & ecce Mariæ apparuit candens lepra quaſi nix.* Habes & in Pſalmo: *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.* Et Salomon: *Remoue ab iniquitate os prauum: & detrahentia labia ſint procul à te. Qui detrahit alicui rei ipſe ſe in futurum obligat: qui autem timet præceptum in pace verſatur. Cum detractoribus nè commiſcearis, quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?* Iacobus Apoſtolus: *Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* Hunc locum Beda venerabilis Preſbyter ita exponit: [Monuerat, inquit, ſuprà Verbum Dei non ſolùm audire, ſed & facere. Nunc addit, quia & ſi mandata quis Domini, quæ didicit, factis exercere videtur, ſi non etiam linguam à detractionibus, mendaciis, blaſphemiis, ſtultiloquiis, ab ipſo etiam multiloquio, cæteriſque quibus peccare ſolet, refre-

Num. 16. 5. *Pſ.* 100 5. *Prou* 4. 24. *Ibid.* 13. 13. *Ibid.* 24. 21. *Iac.* 1. 26. Beda ad hunc locum.

Digitized by Google

Iac. 4. 11. nauerit, fruſtra ſe de operum iuſtitia iactat:] Item: *Nolite detrahere in alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem.*

Ep. 2. ſub finem. Hieronymus ad Nepotianum: [Caue ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id eſt, ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios detrahentes audias. *Sedens*, inquit, *aduerſus fratrem*

Pſ. 49. 20 *tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti iniquè quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*, ſubauditur ſermones tuos, & cuncta quæ de aliis es locutus, vt tuâ ſententiâ iudiceris in his ipſis deprehenſus, quæ in aliis arguebas. Nequè verò illa iuſta excuſatio referentibus aliis iniuriam facere non poſſum. Nemo inuito auditori libenter refert. Sagitta in lapide nunquam figitur, interdum reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor dum te videt non libenter audire, non faci-

Prou. 24. 21. lè detrahere: *Cùm detractoribus*, ait Salomon, *ne commiſcearis: quoniam repente veniet perditio eorum: Et ruinam vtriuſque quis nouit?* Tam videlicet eius qui detrahit, quàm illius qui aurem accommodat detrahenti.] Gregorius in Moralibus: Qui aliena vita detractione paſcuntur, alienis proculdubio

Prou. 23. 20. carnibus ſatiantur, ſicut ſcriptum eſt: *Ne comedas cum eis qui carnes ad veſcendum conferunt.* Carnes quippe ad veſcendum

al. * collocutione conferre, eſt in * locutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere. De detractoribus rectè per Salomonem di-

Ibid. 23. 21 citur: *Quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio.* Potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ ſe inebriant. Symbola verò dare eſt, ſicut vnuſquiſque ſolet de parte ſua cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. *Vacantes*, inquit, *potibus & dantes Symbola, conſumentur*: quia (ſicut ſcriptum eſt) *Omnis detractor eradicabitur.* Multi nempe in populo Chriſtiano dum hoc vitio laborant, quantum à propria ſalute deficiant, ignorant. Sæpè enim detractores pia acta proximorum peruersâ voluntate mala eſſe proteſtantur: ſæpe etiam eorum errata non ſtudio corrigẽdi, aut amore compatiendi, ſed ſolâ curioſitate noſſe deſiderant, vt ſcilicet eorum detractionibus paſcantur: Hi proculdubio aliena peccata per detractionem ſua faciunt, quoniam qui hoc faciunt charitatis

viſcera ſe non habere demonſtrant. Et congratulandum quippe eſt proximis rectè viuentibus, & rectè agentibus, non detrahendum. Condolendum eſt etiam his & compatiendum, qui à ſemitis rectitudinis exorbitant, non inſultandum.

CAPVT VIII.

De Conuitiis, & otioſis ſermonibus, & maledictionibus cauendis.

QVÆDAM ſunt peccata, vt beatus ait Gregorius, quæ dum in vſum venerint, aut leuia aut nulla eſſe putantur: è quibus ſunt conuitia, & otioſi ſermones, & maledictiones. Conuitia enim in aliis gerere, & otioſos ſermones proferre, necnon maledictionibus execrabilibus aliorum vitam inſectari, inolitus vſus iam penè culpa carere falsò promittit. Hæc enim vitia perfecti viri ſummopere ſtudent cauere. Porrò nonnulli imbecilles & infirmi, ſenſu & actu periculoſiſſimè his inſiſtunt, & ſe, quod peius eſt, in his peccare non recognoſcunt. Ait enim Salomon: *Propter peccata labiorũ ruina proximat malorum.* Et Dominus in Euangelio: *Dico autem vobis, quia de omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, rationẽ reddent de eo in die iudicij.* Vnuſquiſq; enim aut ex verbis ſuis iuſtificabitur, aut ex verbis ſuis condemnabitur. Paulus Apoſt. *Ineptas & inanes fabulas deuita.* Item in Euangelio: *Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit gehennæ ignis.* Hieronymus in Cõmentariis Mathæi: [Racha enim dicitur inanis & vacuus, quem nos poſſumus vulgatâ iniuriâ abſq; cerebro nuncupare. Si de otioſo ſermone reddituri ſumus rationem, quantò magis de contumelia? Sed & ſignanter additur: *Qui dixerit fratri ſuo Racha.* Frater enim noſter nullus eſt, niſi ille qui eundem nobiſcum habet & patrem. Cùm ergo ſimiliter credat in Deum, & Chriſtum Dei nouerit ſapientiam, qua ratione ſtultitiæ elogio denotari poteſt?]

Prou. 12. 13.

Matt. 12. 36.

1. *Tim.* 4. 7

Mat. 5. 22

Lib. 1. in c. 5.

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: [Gradus itaque ſunt in iſtis peccatis, vt primo quiſque iraſcatur, & eum motum retineat* corde, mente conceptum. Iam ſi

Lib 1. c. 9. med.

al. * corde conceptũ

Digitized by Google

extorſerit vocem indignantis ipſa commotio non ſignificantem aliquid, ſed illum animi motum ipſa eruptione teſtantem, quà feriatur ille, cui iraſcitur, plus eſt vtique, quàm ſi ſurgens ira ſilentio premeretur. Si verò non ſolùm vox indignantis audiatur, ſed etiam verbum quod iam certam eius vituperationem, in quem profertur, deſignet & notet, quis dubitet amplius hoc eſſe, quàm ſi ſolus indignationis ſonus ederetur? Itaque in primo vnum eſt, id eſt ira ſola: in ſecundo duo, & ira & vox quæ iram ſignificat: in tertio tria, & ira & vox quæ iram ſignificat, & in voce ipſa certa vituperationis expreſſio. Vide nunc etiam tres reatus iudicij, concilij, & gehennæ ignis.] Gregorius in homiliis Euangelij: Mecum vos admoneo. Ab otioſo ſermone parcamus, inutiliter loqui declinemus, in quantum refrænare linguam præualeamus; in ventum verba non defluant, cùm iudex dicat: *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Otioſum verbum quippe eſt, quod, ait, vtilitate rectitudinis, aut ratione iuſtæ neceſſitatis caret.

Matt. 12. 36.

Moral. in Iob. l. 7. c. 17.

De maledictione autem vitanda ait Dominus in lege: *Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Et Salomon: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta.* Vterque igitur ſexus, qui maledictionibus inſeruire ſolet, attendat quid beatus Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei, de quadam fœmina dicat, quæ inſtinctu hoſtis antiqui liberis ſuis maledixit, quam pœnam eadē maledictione ſubierint, vel quid poſtremò illa perpeſſa fuerit. Nam dum & illi totis membrorum compagibus quaterentur, illa pro eiſdem cruciatibus dolore commota laqueo ſe ſuſpendit. Qui verò id pleniùs noſſe deſiderat, legat ſermonem beati Auguſtini de hac re habitum ad populum. Quapropter neceſſe eſt, vt omnes ab huiuſcemodi maledictionibus ſe compeſcant, attendentes B. Paulum Apoſtolum dicentem: *Neque maledicti regnum Dei poſſidebunt.* Ait autem & Iac. Apoſt. *Linguam autem hominum nullus domare poteſt, inquietum malum plena veneno mortifero. In ipſa benedicimus Dominum & patrem, & in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de*

Leu. 19. 14

Eccl. 27. 16.

1. *Cor.* 6. 10

Iac. 1. 8. 9 10. & 11.

eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Quod ita Beda exponit: [Sicut dulcis & amara aqua non poſſunt ſimul de vna vena fontis ebullire, ſed & ſi miſceantur in vaſe vel ciſterna, dulcis quidem mox amareſcit ab amara, amara autem & admixtione dulcedinis in dulcedinem neſcit immutari; ita benedictio & maledictio, in vno ore nullatenus* poteſt conuenire; ſed quicumque ſic Deum benedicere orando, vel verbum eius prædicando conſueuit, vt etiam maledicere homines non omiſerit, conſtat, quia dulcedinem benedictionis eius amaritudo maledictionis conſumit, quoniam iuxta Apoſtolum modicum fermentum totam maſſam corrumpit, & non eſt pulchra in ore peccatoris laudatio.] Cap 3. in ep. B. Iac. med. *al.* * poſſunt conuenire

CAPVT IX.

De Turpiloquio, & ſcurrilitate.

NON ſolùm qui turpiloquio, & ſcurrilitati, verùm etiam in his quę neceſſaria eſſe videmus, ſuperfluè vacat, delinquere comprobatur. Turpiloquium quippe & ſcurilitas ab Apoſtolo inhibentur. De multiloquio namque Salomon ait: *In multiloquio non deerit peccatum.* Porrò Iacobus ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Illo videlicet verbo, vt Beda exponit, cuius offenſionem humana poteſt vitare fragilitas, vt eſt verbum doli, detractionis, maledictionis, ſuperbiæ, iactantiæ, excuſationis in peccatis, æmulationis, diſſenſionis, hæreſis, mendacij, periurij, ſed & otioſæ locutiones, necnon etiam ſuperfluæ locutiones in his quæ neceſſaria videntur. In quo nimirum verbo, quiſquis ſe ſine offenſione cuſtodit, hic perfectus eſt vir; *Qui* enim *cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Paulus: *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Hieronymus in expoſitione Epiſtolæ ad Epheſios. [Stultiloquium eſſe æſtimo non ſolùm eorum qui aliqua narrant turpia, vt riſum moueant, & fatuitate ſimulata ma- *Prou.* 10. 19. *Iac.* 3. 2. *Prou.* 21. 23. *Eph.* 5 3. Inc. citat.

gis illudant eis quibus placere deſiderant; ſed etiam eorum qui ſapientes ſæculi putantur; & de rebus phyſicis diſputantes dicunt ſe arenas littorum, guttas oceani, cœlorum ſpatia, terræque punctum liquidò comprehendiſſe. Inter ſtultiloquium & ſcurrilitatem hoc intereſt, quòd ſtultiloquium in ſe nihil ſapienter habet, ſcurrilitas verò de prudenti mente deſcendit, & conſultò appetit quædam vrbana verba, vel ruſtica, vel faceta, quam nos iocularitatem poſſemus alio verbo appellare, vt riſum moueat audientibus. Verùm & hæc à ſanctis viris penitùs propellenda, quibus magis conuenit lugere:] *Beati* enim *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

paulò pòſt.

Matt. 5.5.

De temp. ſerm. 215. ſub med.

Auguſtinus in libro ſermonum ad populum: [Ante omnia vbicumque fueritis ſiue in domo, ſiue in itinere, ſiue in conuiuio, ſiue in conſeſſu, verba turpia & luxurioſa nolite ex ore proferre, ſed ſemper quod bonum eſt, & honeſtum, loqui ſtudete.] Animaduerti ſanè & euidenter poteſt, quòd nec in domo interioris, nec aliquo membro exterioris hominis aliquem locum peccato Deus ineſſe, ſed potiùs cuncta & interiora eius & exteriora ſibi, nõ peccato, famulari voluerit.

CAPVT X.

De operibus miſericordiæ: & quòd vnuſquiſque à ſeipſo eleemoſynam incipere debeat.

QVISQVIS in tremendi examinis die auditum malum exhorreſcit, & ſe *benedictum* Patris à Chriſto optat vocari, operibus miſericordiæ in Euangelio ab eodem Domino noſtro IESV CHRISTO promulgatis ſtudeat deditus eſſe. Ille quippe dignè his valet inſiſtere, qui à ſeipſo primùm eleemoſynam incipit facere. De miſericordia namque ait Dominus per Prophetam: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Et Iob: *Ab infantia*, inquit, *creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Salomon: *Miſericordia, & veritas non te deſerant.* Item idem: *Benefecit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit. Facere miſericordiam*

Matt. 9. 13.
Iob. 31.18.
Prou. 3.3.
Ibid. 11.17
Ibid. 21.3.

Digitized by Google

miſericordiam & iudicium magis placent Deo, quàm victimæ. Ieſus filius Sirach: *Fili miſerere animæ tuæ, placens Deo.* Et Dominus in Euangelio: *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Item: *Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus.* Paulus: *Eſtote*, inquit, *in inuicem benigni, & miſericordes. Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ.* *Eccl.* 30. 14. *Luc.* 6. 36. *Matt.* 5. 7. *Eph.* 4. 32. *Col.* 3. 12.

Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: [Beatos, inquit, eſſe dicit qui ſubueniunt miſeris, quoniã ita eis rependitur, vt de miſeria liberentur.] Et paulò pòſt: [Miſericordibus miſericordia tãquam vero & optimo conſilio vtentibus, vt hoc eis exhibeatur à potẽtiore quod in validioribus exhibent.] Cyprianus in expoſitione orationis dominicæ: [Neque, inquit, mereri Dei miſericordiam poterit, qui miſericors ipſe non fuerit; neque enim impetrabit à diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.] Iſidorus in libro ſententiarum: [Verum eſt quòd peccata omnia miſericordiæ operibus expurgentur, ſed ſi iam caueat peccare qui miſericordiam impertit. Cæterùm nulla eſt delicti venia, quando ſic præcedit miſericordia, vt eam ſequantur peccata. Dum enim causâ iactantiæ pauper paſcitur, etiam ipſum miſericordiæ opus in peccatum conuertitur. In tãtum* miſericordiæ opera peccata extingunt, vt etiam iudex cœleſtis in futuro iudicio veniens in dexteram conſiſtentibus dicat: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare; ſitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me; nudus & cooperuiſtis me: Infirmus & viſitaſtis me: In carcere eram, & veniſtis ad me.* Cap. 2. Cap. 4. ſub med. Lib. 3. c. 64. ante med. *al.* * eleemoſynarũ *Matt.* 25. 34.

Quòd autem nemo eadem opera miſericordiæ aliis, ſi ſibi crudelis eſt, dignè exhibere poſſit, Dominus docet in Euangelio; qui cùm increpaſſet Phariſæos, quòd forinſecùs ſe lauabant, intùs autem rapina, & iniquitate pleni erant, admonens* quadam eleemoſyna, quam ſibi homo debet primitus dare, interiora mundari: *Verumtamen*, inquit, *quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Quod etiam poſt paulò apertiùs exequitur dicens: *Mundate quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt munda erunt.* Ait itaque beatus Auguſtinus in libro Enchyridij: [Qui ſceleratiſſimè viuunt, * quanam *Luc.* 11. 41 Cap. 75.

Digitized by Google

nec curant talem vitam moréſque corrigere, & inter ipſa facinora & flagitia ſua, eleemoſynas frequentare non ceſſant,
Luc. 11. 41. fruſtra ideò ſibi blandiuntur, quoniam Dominus ait: *Date*
Cap. 76. *eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*] Et paulò pòſt: [Qui enim vult ordinatè dare eleemoſynam, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primùm dare. Eſt enim eleemoſyna
Eccl. 30. opus miſericordiæ, veriſſimèque dictum eſt: *Miſerere animæ*
24. *tuæ placens Deo.*] In eodem poſt pauca: [Non ergo ſe fallant,
Cap. 77. qui per eleemoſynas quaſlibet largiſſimas fructuum ſuorum, vel cuiuſcumque pecuniæ, impunitatem ſe emere exiſtimant, in facinorum ſuorum immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendi; nec ſolùm hęc faciunt, ſed ita diligunt, vt in eis ſemper optent tantùm, ſi poſſint, impunè verſari.
Pſ. 10. 6. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam*: & qui odit animã ſuam, non eſt miſericors, ſed crudelis. Diligendo eam quippe ſecundùm ſæculũ, odit eam ſecundum Deum: ſi ergo vellet ei dare eleemoſynã, per quam illi eſſent munda omnia, odiſſet eam ſecundum ſæculũ & diligeret ſecundum Deum.]
Cap. 70. Item idem in eodem:] Sanè cauendum eſt, nè quiſquam exiſtimet nefanda illa crimina, qualia qui agunt, regnũ Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emẽdus quodammodo, vt ſemper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfa-
Cap. 71. & ctio congrua negligatur.] Et poſt pauca: [Eleemoſyna eſt,
72. inquit, veniam petenti ignoſcere. Ac per hoc ad omnia, quę
Luc. 11 41 vtili miſericordia fiunt, valet quod Dominus ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Non ſolùm ergo qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quodcumque neceſſarium indigenti; verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coërcet aliquâ diſciplinâ, & tamen pecca-

Digitized by Google

tum ſuum, quo ab illo læſus aut offenſus eſt, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non ſolùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quòd corripit, & aliâ emendatoriâ pœnâ plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat.]

Gregorius in libro Moralium: [Qui indigenti proximo exteriorem ſubſtantiam præbet, ſed vitam ſuam à nequitia non cuſtodit, rem ſuam Deo tribuit, & ſe peccato. Hoc quod minus eſt, obtulit auctori, & quod maius eſt, ſeruauit iniquitati.] Et pòſt paulò: [Nam, qui & ſemper peccare vult, & quaſi ſemper eleemoſynam largiri, fruſtra pretium tribuit, quia non redimit animam, quam à vitiis non compeſcit.] Item idem: [Qui verò eſcam * atque veſtimentum pauperibus largitur, ſed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus eſt, iuſtitiæ obtulit, & quod maius eſt, præbuit culpis: ſua enim Deo dedit, & ſe diabolo præparauit.]

Lib. 29. c. 14.

Lib. 11. c. 23.

Paſt. p. 1. 3. c. 27.

al. * aur.

Ecce ſicut oracula diuina & clariſſimorum doctorum eximia documenta oſtendunt, nemo & flagitiis inſeruire, & operibus miſericordiæ valet rectè incumbere. Multi nempe ſunt, ſicut ſuperiùs dictum eſt, qui ſceleratè viuunt, & id quod admittunt, profuſis eleemoſynarum largitionibus ſe redimere poſſe putant. Vnde etiam quamplures vanâ, immò peruersâ fiduciâ decepti, adulteria, homicidia, falſa teſtimonia, periuria, & cætera alia multa audacter admittunt. Solet enim quilibet huiuſmodi, cùm arguitur, obiicere: ſi me de iniuriis mihi illatis vltus fuero, & illud, vel illud quod animo mihi ſedet, perpetrauero; laudo Deum: Habeo multa quibus tale admiſſum facillimè redimere poſſum; quaſi Deum mercede conducere poſſit, vt ſibi libitu ſuo liceat, quod Dei ſancta lege inhibetur ne fiat. Non eſt itaque Deus vt peccemus mercede conducendus, ſed ne peccemus, & à peccatis præteritis abſoluamur, rogandus. Quiſquis verò faſtu potentiæ elatus, diuitiarumque copiis confiſus, tale quid admiſerit, non facilè huiuſcemodi diuitiis illud expiari poſſe credat. Sed potius neceſſe eſt, & ad pœnitentiæ lamenta ſe toto corde conuertat, & contritione corporis id quod nequiter admiſit, diluere ſatagat.

Digitized by Google

CAPVT XI.

De Tenacia.

PLERAQVE ſunt quæ leuia putantur, & non ſunt, ſicut eſt tenacia, & prodiga effuſio, & multa his ſimilia. Sicut enim rapina Deo eſt abominabilis, ita & tenacia reprobabilis. De qua cauenda ait Dominus in lege: *Si vnus de fratribus tuis qui morantur intra portas Ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perſpexeris. Caue nè forte ſubripiat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, appropinquat ſeptimus annus remiſſionis: & auertas oculos à paupere fratre tuo nolens ei quod poſtulat mutuum commodare, nè clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum, ſed dabis ei, nec agas quippiam calidè in eius neceſſitatibus ſubleuandis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miſeris. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: Idcirco ego præcipio tibi vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſantur in terra.* Et Dominus ait in Euangelio: *Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiuſquam vitæ eius eſt ex his quæ poſſidet.* Et cùm præmiſiſſet ſimilitudinem de quodam diuite, cuius ager vberes fructus attulerat, ad extremum intulit à Deo eidem diuiti dictum. *Stulte hac nocte animam tuam repetemus à te, quæ autem præparaſti, cuius erunt. Sic eſt,* inquit, *qui ſibi theſauriſat, & non eſt in Deo dives.*

Deu.15. 7. & ſeq.

Luc.12.15.

Ibid.20.

De verbis Apoſt.ſer. 19. c. 2.

De eiuſdem namque diuitis tenacitate beatus Auguſtinus in libro ſermonum ait: [Quando mihi audet dicere Chriſtianus, bonum eſſe rapere res alienas; quandoquidem non audet dicere bonum eſſe ſeruare tenaciter res ſuas. Nunquid dives ille, cui ſucceſſerat regio, & non inueniebat vbi poneret fructus ſuos, & ſe conſilium inueniſſe gaudebat deſtruendi veteres apothecas, & conſtruendi nouas ampliores, vt impleret eas, & diceret animæ ſuæ: Anima, habes multa bona in multum tempus, lætare, iocundare, ſatiare. Nun-

Digitized by Google

quid & iſte diues aliena quærebat? Non de cuiuſdam vicini agri limite perturbato, non ſpoliato paupere, non circumuento ſimplice, tantummodò de ſuis colligendis cogitabat. Audite quid audierit, qui tenaciter ſua ſeruabat; & hinc intelligite quid expectant qui rapiunt aliena. Cum ergò ſe prudentiſſimum conſilium inueniſſe arbitraretur de apothecis veteribus anguſtis deiiciendis, & amplioribus nouis ædificandis, & in omnibus fructibus colligendis & recondendis, non alienis concupiendis atque rapiendis; ait illi Dominus: ſtulte, vbi tibi ſapiens videris, ibi ſtultus es. *Stulte*, inquit, *hac nocte repetent à te animam tuam, ea quæ præparaſti, cuius erunt?* Si ſeruaueris, tua non erunt; ſi erogaueris, tua erunt.] Item idem in homilia in die iudicij: [Attendite, fratres, & videte quia non dicit Dominus, diſcedite à me maledicti quia furtum feciſtis, quia falſum teſtimonium dixiſtis, quia homicidium & adulterium commiſiſtis, quod grauius eſt, non hoc dixit, ſed ait: *Eſurui enim & non dediſtis mihi manducare.* Non dixit: Diſcedite à me quia res alienas tuliſtis, quod magis iniquum eſt, ſed ait, quia de ſubſtantia veſtra pauperibus non dediſtis. Non quia mala opera feciſtis, ſed quia bona facere noluiſtis. At ſicut illos qui in dextra ſunt, ſola miſericordia liberabit, ita & illos qui in ſiniſtra ſunt, ſola tenacia condemnabit. In iſta enim ſententia Domini, quâ dixit, quia qui eſurientem non pauit, & nudum non veſtiuit, mittetur in ignem æternum, poſſum euidenter agnoſcere, fratres, quali tormento, vel quali pœna damnandi ſunt illi, qui mala faciunt, quando illi in ignem mittuntur qui bona non faciunt. Sic enim cum diabolo condemnatur, qui pauperibus non dedit panem ſuum, vbi damnandus eſt ille qui tulit alienum, ſi in ignem mittitur, qui nudum non veſtiuit? putas vbi damnandus eſt ille, qui expoliauit?]

Luc. 12. 21.

De Sanct. ſerm. 38. poſt init. ſed diuerſa ſunt verba.

Matt 25. 35.

Gregorius in homilia de diuite & Lazaro: [Non enim dicitur quod diues quempiam vi oppreſſit, ſed quia in acceptis rebus ſe extulit. Hinc ergo ſummopere colligendum eſt, quâ pœnâ mulctandus ſit, qui aliena diripit; ſi inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Nemo itaque ſecurum ſe exiſtimet, dicens: Ecce aliena non rapio, ſed conceſſis licitè rebus fruor; quia diues iſte non idcirco

Hom. 40. ante med.

punitus eſt, quoniam aliena abſtulit, ſed quia in acceptis rebus ſemetipſum malè dereliquit.* Hocque fuit quod hunc in inferno tradidit, qui in ſua fœlicitate timidus non fuit; quia percepta dona ad vſum arrogantiæ inflexit, quia viſcera pietatis ignorauit, quia peccata ſua redimere, etiam dum ſibi abundaret, pretium noluit.]

al. Hoc quoque

Vitium ergo tenacitatis quàm ſit peſtiferum & deteſtabile patenter innuitur, quod valde omnibus conuenit fidelibus cauere, ne quod abſit, illud ſectantes aut cum diuite ſua tenaciter recondere cogitanti, ſtultitiæ elogio denotari, aut cum altero diuite, qui aliena non rapuit, ſed ſua erogare neglexit, damnari contingat. Tribuant ergo pauperi, ſi nolunt flammis exuri; dent in terra Chriſto, quod eis reddat in cœlo.

CAPVT XII.

Quòd mors ante oculos ſemper ſit conſtituenda.

QVI vltimam vitæ ſuæ horam, quâ ex hoc luteo habitaculo eximendus eſt, ante oculos ponit, ſeque vas fragile, citóque conterendum, & in puluere redigendum geſtare meminit, pœnáſque impiorum, & gloriam ſanctorum, ſedula meditatione tractat, aut vix aut rarò peccat. Quia ergo nos horum, vt oportet, non reminiſcimur, idcircò in multa offenſionum abrupta labimur. Paratos autem nos eſſe debere in occurſum Domini vtriuſque Teſtamenti paginæ copioſiſſimè inſtruunt. Oportet ergo vt tot tantiſque ſaluberrimis admonitionibus & exhortationibus obtemperantes, mortem quotidie ante oculos noſtros conſtituamus; taléſque nos præparemus, vt cùm Dominus venerit, & pulſauerit, confeſtim ei aperiamus, & impleatur in nobis illud Euangelicum: *Beati ſerui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes*; & accipere mereamur illud quod ſequitur: *Verè dico vobis, quia ſuper omnia bona ſua cõſtituet eum.* Quòd verò in omnibus actibus noſtris nouiſſimorum noſtrorũ memores eſſe debeamus, proteſtatur Salomon dicens: *In*

Luc. 12. 37

Ibid. 44.

Digitized by Google

omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7. 40

Et Dominus in Euangelio: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* Matt. 25. 13. Quod Beatus Gregorius in Homiliis ſuis ita exponit: [Quia, inquit, poſt peccata Dominus pœnitentiam ſuſcipit, ſi ſciret quiſque de præſenti ſæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet; ſed qui pœnitenti veniam ſpondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo diem extremum debemus metuere, quem numquam poſſumus præuidere. Ecce nunc ipſum diem, in quo loquimur, ad inducias conuerſionis accipimus, & tamen mala quæ fecimus, ferre recuſamus. Nos omiſſa non ſolùm non plangimus, ſed etiã quæ defleantur, augemus. At ſi aliqua nos ægritudo corripiat, ſi ſigna ægritudinis vicinam mortem denũtient, inducias viuendi quęrimus, vt peccata noſtra defleamus, & eas cũ magno æſtu deſiderij petimus, quas acceptas modò pro nihilo habemus.] Hom. 12. ſub med. Et pòſt paulò: [Nos ergo, fratres, nos ſollicitè iſta cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum viuere, cùm iam compellimur de corpore exire. Memẽtote quid veritas dicat: *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato.* Matt. 24. 20. Per legis quippe mandatum ambulare longiùs in ſabbato non licet. Hyems quippe ad ambulandum impedimento eſt, quia greſſus ambulantium torpor frigoris adſtringit. Ait ergo, *Orate ne fiat fuga veſtra hyeme vel ſabbato.* Ac ſi apertè dicat: Videte ne tunc quæratis peccata veſtra fugere, quando iam non licet ambulare. Illud ergo tempus quo fugere non licet, modò debet cogitari dum licet. Illa hora eſt noſtri exitus ſemper intuenda; iſta Redemptoris ammonitio ante mentis oculos ſemper ponenda, qui ait: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* Ibid. 25. 13.] Item idem: [Horam verò, inquit, vltimam Dominus noſter idcircò nobis voluit eſſe incognitam, vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta, vt dum illam præuidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur. Proinde, fratres mei, in conditione mortalitatis veſtræ mentis oculos figite, venienti vos iudici per fletus quotidie & lamenta præparate. Et cùm certa mors maneat omnibus, nolite de tempora- Hom. 13. in fine.

Digitized by Google

lis vitæ prouidentia incerta cogitare. Terrenarum rerum vos cura non aggrauet; quantiſlibet enim argenti & auri molibus circumdetur; quibuſlibet pretioſis veſtibus induatur caro; quid eſt aliud quàm caro? Nolite ergo attendere, quid habetis, ſed quid eſtis. Vultis audire quid eſtis? Prophe-
Iſa. 40.7. ta indicat dicens: *Verè fœnum eſt populus*: ſi enim fœnum populus non eſt, vbi ſunt illi, qui ea, quæ hodie colimus vobiſcum, tranſacto anno * Beatæ Fœlicitatis natalitia celebrauerunt? O quanta & qualia de præſentis vitæ prouidentia cogitabant! ſed ſubripiente mortis articulo repentè in his, quæ prouidere nolebant, inuenti ſunt; & cuncta ſimul temporalia, quæ tractata quaſi ſtabiliter habere videbantur, amiſerũt. Si ergo * tranſacta multitudo generis humani per natiuitatem viruit in carne, per mortem aruit in puluere; videlicet fœnum fuit. Quia igitur momentis ſuis horæ fugiunt, agite ergo, fratres chariſſimi, vt in boni operis mercede teneãtur.
Eccl. 9.10 Audite quid ſapiens Salomon dicat: *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quia ergo aduenturæ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus, ſupereſt, vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim mors ipſa cùm venerit, * ſcitur, ſi priùs quàm veniat, timeatur.]

al. Beati Felicis

al. congregata

al. vincetur

De vita contemp. lib. 3. c. 11. in med.

[Proſper: [Si eo, inquit, tempore, quo quis peccare deliberat, ſana mente conſideret, quæ pœna expectet in ſuis facinoribus ac flagitiis deprehenſos, quod ſupplicium conuictos excruciet; qui tremor quatiat; pallor ora perfundat; quantum denique humiliet, & execrabiles omnibus reddat, etiam ipſum ſordidæ opinionis opprobrium; neſcio an poſſit quibuſlibet vitiis accommodare conſenſum.]

Extant & alia innumerabilia documenta de hora diei vltimę iugiter cogitanda, & ante oculos ponenda. His igitur diligenter animaduerſis, dum poſſumus, & tempus habemus, bona indeficienter operemur, iuxta illud Apoſtoli:
Gal. 9. 6. *Bonum*, inquit, *facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.* In præſenti enim vita eſt tempus ſeminandi, id eſt bonæ operationis fructum recipiendi. Quam ſegetem nemo poteſt metere deficiens. *Qui* enim *perſeuerauerit*, dicit Dominus, *vſq; in finem, hic ſaluus erit.* CA-

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Quòd de ſingulis temporibus quicquid boni loqui aut agere debuimus, fructum à nobis Dominus ſit exacturus: & quòd vnicuique ob ſui cuſtodiam Angelus ſit deputatus.

VINEAM (quæ tropologicè animam noſtram ſignificat, quam Dominus de tenebroſa huius mundi Ægypto liberauit, & per mare rubrum, id eſt baptiſmum tranſuexit, ſuæque fidei annulo ſubarrauit, & in ſpecula ſuæ cognitionis & viſionis conſtituit) ſanctorum operum continuis cultionibus neceſſe eſt excolamus, vt cùm venerit eius Dominus, de ſingulis temporibus dignos ei fructus bonorum operum reddere valeamus; ſicut beatus Hieronymus in Commentariis Mathæi Euangeliſtæ ſcribit: *Cùm ergo venerit*, inquit, *Dominus vineæ, quid faciet colonis illis*, & reliqua. [Interrogat, inquit, eos Dominus non quòd ignoret quid reſponſuri * ſint, ſed vt propria reſponſione damnentur. Locata eſt autem nobis vinea, & locata eſt ea conditione, vt reddamus Domino fructum temporibus ſuis; & ſciamus vnoquoque tempore quid oporteat nos loqui vel facere.] Nota quòd de ſingulis temporibus Domino fructus bonæ locutionis, vel bonæ actionis reddendi ſunt. Excluduntur ergo tempora detrahendi, periurandi, mentiendi, falſum teſtimonium proferendi, turpiloquio, & ſcurrilitati, & conuitiis, & otioſis ſermonibus, & cæteris quampluribus vanitatibus vacandi, & iubentur nobis tempora vitæ noſtræ in beneloquendo, & faciendo, abſque interruptione malarum dictionum, & actionum deduci.

Matt. 21. 40. *Luc.* 22. 16 Ex Comment. Mathæi in eadem verba. *al.* * eſſent

Quòd autem vnicuique ob ſui cuſtodiam Angelus ſit deputatus, præfatus Hieronymus in eodem Commentario ſcribit: [*Amen dico vobis quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris.* Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Vnde

Ex Comment. Matth. in eadem verba, c. 22.

Digitized by Google

legimus in Apocalypſi Ioannis, Angelo Epheſi, Tiathiræ, & Angelo Philadelphię, & Angelis quatuor reliquarũ Eccleſiarum ſcribe hæc.] Beda igitur in expoſitione Actuum Apoſtolorum ita ſcribit. [*Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*, & reliqua. [Quòd vnuſquiſque noſtrum habeat Angelos & in libro Paſtoris, & in multis ſanctæ ſcripturæ locis inuenitur. Nam & Dominus de paruulis: *Angeli*, inquit, *eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Et Iacob de ſe loquitur: *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Et hi diſcipuli Angelum Apoſtoli Petri venire credebant.]

Cap. 12. ſub med. *Act.* 11. 12. *Matt.* 18. 10. *Gen.* 48. 16.

Quia ergo conſtat nos Angelorum præſidio muniri, dignum & neceſſarium eſt, vt eorum aſpectu neque in cogitatione, neque in locutione, neque in opere nos quodammodò indignos faciamus. Quantò autem magis illicitis cogitationibus, & locutionibus, & prauis operibus inſiſtimus, tantò à nobis longiùs recedunt, & hoſtes animarum noſtrarum appropinquant. Cùm verò bene loquendo, & bene operando, nos feſtiuos mundóſque efficimus, non ſolùm eorum præſidio, verùm etiam eorum conſpectui grati exiſtimus, vt meritò cum Pſalmiſta dicere valeamus: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.* Si verò tales extiterimus, vt in conſpectu Angelorum pſallere Deo noſtro dignè poſſimus, & in hac vita eorum cuſtodiâ muniri, & cùm ex hac migrauerimus, ſpretis inimicorum noſtrorum irriſionibus (de quibus Pſalmiſta ait: *Deus meus in te confido non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei*) ad eorum conſortium fœliciter tranſire merebimur.

Pſ. 137. 1. *Ibid.* 24. 2.

CAPVT XIV.

De infirmis viſitandis, oleóque ſancto perungendis.

SICVT tuba Euangelica terribiliter pronuntiat: *Cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ*: idcircò malos ad ſiniſtram põſiturus eſt, quia in ſex operibus miſericordiæ ſteriles fuerunt: Idcircò bonos ad dexteram, quia his dediti

Matt. 19. 28.

Digitized by Google

fuerunt; è quibus vnum eſt, *infirmos viſitare*, ſicut ipſe in eodem pauendi examinis die dicturus eſt: *Infirmus fui, & viſitaſtis me.* Cùm ille ergo non ſit perſonarum acceptor, qui in infirmis viſitari ſe voluit, quidam quòd Chriſtianis non conuenit hoc præceptum perſonaliter & fauorabiliter adimplere videntur. Potentes quippe & diuites cùm infirmantur, non à pauperibus, quorum perſona ad tales viſitandos non admittitur, ſed à ſuis ſimilibus viſitantur; vt ſcilicet ſibi in talibus vicem rependant. Pauperes verò vix à potentibus viſitari ſolent. Sicut enim omnes conditione naturæ æquales exiſtunt, ita æqualiter cùm infirmantur, poſtpoſitâ perſonarum acceptione, viſitandi ſunt. Non ſolùm autem infirmus cùm viſitatur, vt in flagelis Dei nequaquàm murmuret; ſed potiùs propter peccata ſua ſe flagellari recognoſcat, Creatoríque ſuo gratias referat, eſt admonendus: verùm etiam his quibus indiget, adminiculandus. *Ibid.* 25. 35

Vt autem ſuperbia eorum confunderetur, qui faſtu potentiæ & diuitiis tumefacti, potentes ſolummodò & diuites viſitant, & ad pauperes ire deſpiciunt, idcircò Dominus ad filium reguli ire noluit, & ad ſeruum Centurionis ſe iturum promiſit, ſicut Beatus Papa Gregorius in homilia eiuſdem Euangelij: [Quid eſt, inquit, quòd eum Regulus rogat, vt ad eius filium veniat, & tamen ire corporaliter recuſat; ad ſeruum verò Centurionis non inuitatur, & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe, Centurionis ſeruo non dedignatur occurrere. Quid eſt hoc? niſi quod ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti ſumus, ſed honores & diuitias veneramur: cúmque penſamus quæ circa eos ſunt; profectò interiora minimè præuidemus, dum ea conſideramus quæ in corporibus deſpecta ſunt. Redemptor verò noſter, vt oſtenderet, quia quæ alta ſunt hominibus, ſanctis deſpicienda ſunt, & quæ deſpecta ſunt hominibus, deſpicienda non ſunt; ad filium reguli ire noluit filius Dei, ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit. Increpata eſt ergo ſuperbia noſtra, quæ neſcit penſare homines propter homines, ſola, vt diximus, quæ circumſtant hominibus, penſat, naturam non aſpicit, honorem Dei in ho- Hom. 28.

minibus non agnoſcit. Ecce ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, & tamen venire paratus eſt ad ſalutem ſerui. Certè ſi nos cuiuſpiam ſeruus rogaret vt ad eum ire deberemus, protinùs nobis noſtra ſuperbia in cogitatione tacita reſponderet dicens: Non eas quia temetipſum degeneras, honor tuus deſpicitur, locus vileſcit. Ecce de cœlo venit, qui ſeruo occurrere in terra non deſpicit; & tamen humiliari in terra contemnimus qui de terra ſumus. Quid verò apud Deum vilius quid eſſe deſpectius poteſt, quàm ſeruare honorem apud homines, & interni teſtis oculos non timere?]

Sunt etiam plerique & ſublimioris & inferioris ordinis homines, qui infirmitate mentis præpediente infirmos viſitare refugiunt, verentes ne aliquid contagium ex ipſa viſitatione trahant, quaſi mors non poſſit eos inuenire, niſi in infirmorum viſitatione, & ipſi mortem poſſint ſubterfugere, quam nullatenus vllus mortalium poteſt vitare. Vnde ait quidam:

Quis non è timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum.

Sunt item plerique, qui dum infirmantur aut ipſi, aut eorum parentes & propinqui, non ſibi Preſbyteros Eccleſiæ induci, ſéq; ſanctificato oleo ſecundùm traditionem Apoſtolicam, & ſanctæ Eccleſiæ morem perungi, ſed magis diuinos & diuinatrices, immò in illis diabolum conſulere expetunt, ſibíq; diuinari quo caſu morbum infirmitatis incurrerint, & vtrum eandem infirmitatem euadere poſſint, necne. Quod qui faciunt, exemplum Ochoziæ profani Regis imitantur, qui pro eo quod Deum Iſraël dereliquit, & Beelzebub Deum Acharon per nũcios conſuluit, meritò à Domino per Heliam Pro-
4. *Reg.* 1. 4 phetam audiuit: *De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Saül quoque Rex propter inobedientiam derelictus à Domino, quia diuinari ſibi à Pithoniſſa poſtula-
1. *Reg.* 28. 19. uit, idcircò audire promeruit: *Dabit Deus etiam tecum Iſrael in manus Philiſtinorum. Cras enim*, inquit, *tu & filij tui mecum eritis.*

Quòd verò huiuſcemodi diuinationes ab omnibus prorsùs vitandæ ſint, & vnctio ſanctificati olei expetenda, Mar-
Mar. 6. 13 cus Euangeliſta indicat: *Et exeuntes*, inquit, *prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant*

Digitized by Google

oleo multos ægrotos; & ſanabant. Vnde patet, vt Beda ſcribit, hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti, vngantur oleo, pontificali benedictione conſecrato. In Epiſt. B. Iac. c. 5. poſt med.

Docet quoque Iacobus Apoſtolus dicens: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Quod etiam præfatus Beda ita exponit: [Sicut dederat, inquit, contriſtato, ſic dat & infirmanti conſilium, qualiter ſe à murmurationis ſtultitia tutetur, iuxtáq; modum vulneris, modum ponit & medelę, triſtato præcipiens, vt ipſe pro ſe oret & pſallat; infirmanti autem vel corpore, vel fide mandans, vt qui maiorem ſuſtinuit plagam, plurimorum ſe adiutorio, & hoc ſeniorum, curari meminerit: neque ad iuniores minúſque doctos curam ſuæ imbecillitatis referat, nè fortè quid per eos allocutionis aut conſilij nocentis accipiat. *Et orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini.* Hoc & Apoſtoli in Euangelio leguntur feciſſe, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, vt infirmi oleo conſecrato vngantur à Preſbyteris, & oratione comitante ſanentur. *Iac. 5.* Beda loco proximè citato.

Non ſolùm Preſbyteris, ſed, vt Innocentius Papa ſcripſit, etiam omnibus Chriſtianis vti licitum eſt in eodem loco, in ſua aut ſuorum neceſſitate vngendi. Quod tamen oleum non niſi ab Epiſcopis licet confici. Nam quod ait, oleo in nomine Domini conſecrato, vel certè quia etiam cùm vngunt infirmum, nomen Domini ſuper eum inuocare pariter debent, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Multi propter peccata in animo facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Vnde & Apoſtolus Corinthiis, quia corpus Domini indignè percipere erant ſoliti: *ideò*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Si ergo infirmi in peccatis ſint, & hæc Preſbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis. Neque enim ſine confeſſione emendationis, peccata queunt dimitti. Multis namque propter ignorantiam, multis propter incuriam, hæc olei vnctio ab vſu receſſit. Quibus autem in vſu non eſt, neceſſe eſt vt in vſum veniat. Vnde oportet, vt quando quis infirmatur, non à diuinis & di- Ep. 1. c. 8. Et Beda vbi ſupra. 1. Co. 11. 30

natricibus, quæ vtique habitationes ſunt dæmonum, ſed ab Eccleſiis, eiuſque ſacerdotibus, & vnctione ſanctificati olei, ſibi remedium non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima à Domino IESV CHRISTO poſtulet adfuturum.

CAPVT XV.

De mortuis ſepeliendis; & cura pro eorum animabus gerenda.

IN ſepeliendis cadaueribus humanis, non ſolùm affectus circa charos, ſed etiam humanitas generaliter inpendenda eſt circa omnes defunctos. In vetere quippe & in nouo Teſtamento magnis laudibus prædicantur illi, qui erga mortuos ſepeliendos deuotiſſimam exhibuerint humanitatem.
*Tob.*1.20. In vetere namque ſicut habes de Tobia: *Eſurientes*, inquit,
Ibid. 1.3 *alebat, nudis veſtimenta præbebat.* Et poſt pauca: *Cúmq; abiiſſet, reuerſus nunciauit vnum ex filiis Iſraël iugulatum iacere in platea, ſtatimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, & tollens illud, portauit in domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum.* Et poſt quædam, An-
*Ibid.*12.12 gelus ad Tobiam: *Quando*, inquit, *orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Habes etiam & alia multa exempla in eodem Teſtamento de his qui circa ſepulturam Regum, & Prophetarum, & cæterorum ſanctorum virorum liberaliſſimi ac deuotiſſimi extiterunt. In nouo autem Teſtamento, non ſolùm Ioſeph, qui corpus Chriſti inuoluit in ſyndone, & in monumento ſuo nouo ſepeliuit; verùm etiam alij innumerabiles ſunt ſancti viri tibi in exemplum, qui non ſolùm in ſanctorum Martyrum, ſed etiam in aliorum quorumlibet cadaueribus ſepeliendis deuotam humanitatem præbuerunt.

Quæ cùm ita ſint, multi hodie ſunt Chriſtianorum, qui huius muneris ſolatium pauperum funeribus ſubtrahunt, & ſolummodò diuitum, potentum, ſuorúmque charorum, id

Digitized by Google

ſpectabiliter atque ambitiosè, cùm omnis ambitio (vt beatus ait Hieronymus) in morte ceſſare debeat, impendunt. Vt enim diues & pauper æquè ab omnibus Chriſtianis ſunt viſitandi, ità nihilominus ab omnibus ſunt ſepeliendi; quoniam quicumque ex maſſa peccati Adæ naſcuntur, neceſſe eſt moriantur. Hoc nempe debitum ita eſt ineuitabile, atque ineluctabile, vt nullus filiorum Adam, ab eo immunis eſſe poſſit; Chriſti enim ſanguis à perpetua, non à communi nos morte liberat. In Adam iuxta Apoſtolum, omnes morimur; ſed in Chriſto viuificamur. In Adam igitur ruimur, ſed in Chriſto reſurreximus. Ergo meliùs poſt ruinam creuimus. Sed quia terra ſumus, & in terram redigendi, reſurrectioníſque tempore in melius reparandi, debet Chriſtiana pietas ſpe reſurrectionis erecta in ſepeliendis mortuis, curaque pro animabus eorum gerenda, deuotiſſimam habere miſericordiæ diligentiam. Vnde ait Beatus Auguſtinus in libro Sermonum: [Sit pro viribus cura ſepeliendi, & ſepulchra conſtruendi, quia & hæc in ſcripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt. Nec ſolùm in corporibus Patriarcharum, aliorumque ſanctorum & humanis cadaueribus quorumque iacentium, verùm etiam in ipſius Domini corpore prædicati, atque laudati ſunt qui iſta fecerunt. Impleant hæc homines ergo ſuos officia poſtremi muneris, & ſui humani lamenta mœroris.] Contriſtamur itaque amiſſione charorum noſtrorum, & erigimur ſpe futuræ immortalitatis, donóque reſurrectionis hilareſcimus, & conſolamur. Admonet quippe nos Apoſtolus, *vt de dormientibus*, hoc eſt, mortuis, *non contriſtemur, ſicut cæteri qui ſpem non habent*. Spem ſcilicet reſurrectionis & incorruptionis æternæ. Quos autem dormientes appellat, & vigilaturos tandem demonſtrat.]

De verbis Apoſt. ſer. 32. c. 2.

1. *Theſ.* 4. 12.

Item Aug. in eodẽ libro: [Contriſtamur, inquit, nos in noſtrorũ mortibus neceſſitate amittendi, ſed cùm ſpe recipiendi. Inde angimur, hinc conſolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc ſanat diuina promiſſio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, viuorum ſunt qualiacumq; ſolatia, non adiutoria mortuorũ. Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſa-

De verbis Apoſt. ſer. 32. c. 1.

Ibid. c. 2.

Digitized by Google

lutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari,* ſed talibus qui ita vixerunt ante mortẽ, vt poſſint eis hęc vtilia eſſe poſt mortem. * Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid agitur, ſed eorum præcedentibus meritis conſequentia iſta redduntur.] Patet namque quia in humandis corporibus humanis opus miſericordiæ exercendum eſt. Quòd ſi illis hæc humanitas ad animæ remedium nanciſcendum non proficit, nobis vtique proficit, & ſi facientibus proficit, nec facientibus officit. Igitur ſi pium eſt mortuos ſepelire, impium & inhumanum eſt non ſepelire.

*Ib. paulò poſt.
* Ib. paucis interietis.

Quid porrò de illis putandum eſt, qui mortuos in agris ſuis nec ſepeliunt, nec ſepelire ſinunt, ſine & alicuius muneris pecunia? Imitantur quippe hi, qui gratis in agris ſuis mortuos ſepeliunt, Ioſeph, qui corpus Domini in ſepulchro ſuo ſepeliuit. Illi verò qui æſtuantes auaritia mortuos in agris ſuis abſque pecuniæ pretio ſepelire non ſinunt, videntur imitari Ephron, qui à famulo Dei Abraham pecuniam poſtulauit & accepit, & agrum vbi mortuum ſuum ſepeliret, vendidit.

B. Greg. Dialog. l. 4. c. 50. & ſeq.

Hi verò qui cadauera mortuorum in Baſilicis ſepeliri, & ſepultis fructuoſum eſſe diiudicant, legant librum Dialogorum, & inuenient quibus proſit ſepeliri in Eccleſia, & quibus obſit. Sunt namque nonnulli qui propter domos ſibi pulchras ædificandas, ſepulchra mortuorum effodere non trepidant, oſſaque & cineres eorum ad ſolem proiiciunt: & hæc conſuetudo in tantum quibuſdã inrepſit, vt ſe in hoc facto peccare non intelligant, dicentes nihil obeſſe illis, quorũ oſſa impiant; cùm vtique ſi illis non obſit, plurimùm ſibi tamen noceat. Nihil enim nocuit Martyribus cùm eorũ corpora beſtiis & auibus dilanianda proiecta fuerũt; illis qui proiecerunt plurimùm obfuiſſe dubiũ non eſt. Inhumanum nempe eſt mortuorum corpora effodere, & ad ſolem proiicere, & humanum piúmq; ea terræ mandare. Quicunq; igitur ſepulchra mortuorũ abſq; ineuitabili neceſſitate pietatíſq; honore violant & effodiunt, meritò Aſſyriis cõparantur, qui iuxta olim præmiſſam Domini comminationem, proiecerunt oſſa regum, & Prophetarũ, & eorum qui habitauerunt in Hieruſalem, de ſepulchris ſuis, & ad ſolem proiecerunt. Quæ impietas

pietas inter cætera quæ populo Dei, ob eorum pecccata intulerunt, quantum Assyriis obfuerit, rei euentus probauit. Desinant ergo homines impiare ossa mortuorum, & sinant ea in vrnis suis diem resurrectionis expectare. Exhibeántque potiùs pietatis opus erga mortuos sepeliendos.

De qua re ita Lactantius in libro de Opificio Dei scribit: [Non* ergo, inquit, patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam iacere, sed reddamus id terræ vnde ortum est. Et quamuis in homine ignoto necessariorum munus impleuimus; in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas, & vbicumque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis iustitiæ ratio consistit, quàm in eo, vt quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem, quæ est certior multò, iustiórque; cùm iam non homini præstamus, qui nihil sentit, sed Deo soli, cui carissimum sacrificium est, opus iustum.] De vero cultu lib. 6. cap. 12. post med. al.* enim

Oportet nempe vt cùm cœlestis origo materiam carnis, quam eatenus inhabitauit & rexit, reliquerit, pietas humana eandem non à feris & auibus dilacerari sinat, sed terræ mandare vigilanti cura studeat. Officium namque Christianorum est, vt non solum defunctorum corpora sollicitè, ac deuotè sepeliant, quin potiùs eorum spiritibus, orationibus & eleemosynis opem ferant. Verùm licet desint parentes, propinqui, & amici, qui specialiter ista gerant pro mortuis, generaliter tamen hæc pro illis facere non cessat mater Ecclesia, quæ eos spiritaliter genuit: vnde sicut in libro sermonum beatus ait Augustinus: A sanctis Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Nullatenus itaq; audiendi sunt illi, qui dicunt quòd nullæ aliæ eleemosynæ opitulari possint defunctis, nisi solummodò quæ sacerdotibus dantur, & sacrificia quæ per eos Deo offeruntur. Hoc qui credunt & dicunt, aut ignorantiâ, aut certè aliorum persuasione falluntur. Credibile sanè est quòd hæc persuasio, quâ simplices id credere, & dicere videntur, ex fonte auaritiæ processerit;

ſancta quippe & mater Eccleſia pro defunctis ſuis non ſolùm ſacrificia altaris, ſed etiam quaſcunque alias eleemoſynas offerre conſueuit. Vnde & quotidiè pro eorum ſpiritibus, qui res ſuas Deo obtulerunt, offeruntur Deo ſacrificia, & multifariæ ſupplicationes atque orationes, hoſpitum receptiones, & pauperum recreationes, captiuorum redemptiones, & alia innumera adiumenta; ſed tamen illis proſunt qui ita vixerunt, vt poſſint etiam iſta eis prodeſſe poſt mortem, ſicut beatus Auguſtinus in libro Enchiridij: [Tempus autem, inquit, quod inter hominis mortem, & vltimam reſurrectionem inter poſitum eſt, animas abditis receptaculis continet; ſicut vnaquæque digna eſt vel requie vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne cùm viueret. Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed hæc eis proſunt, qui cùm viuerent, vt hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt non requirat iſta; eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita tranſierit, adiuuari. Quo circa hîc omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam releuari quiſpiam, vel grauari. Nemo autem ſe ſperet quod hîc neglexit, cùm obierit, apud Deum promereri.] Non igitur iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicę ſunt aduerſa ſententiæ, quâ dictum eſt: *Omnes* enim *adſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum:* quia etiam hoc meritum ſibi quiſque cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei poſſint iſta prodeſſe. Non enim omnibus* poſſunt. Et quare non in omnibus * poſſunt, niſi propter differentiam vitæ quam quiſque geſſit in corpore? Cùm ergo ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valde malis propitiationes ſunt; pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunq; viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, non ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.]

Cap. 109. Et de 8. q. Dulcitij q. 2.

Idem Enchir. c. 110.

Rom. 14. 10.

al. * pro ſunt.

Si quis igitur de hac re pleniùs & copioſiùs noſſe deſiderat, legat librum eiuſdem beati Auguſtini, *De Cura gerenda pro mortuis.*

CAPVT XVI.

Quòd de reſurrectione mortuorum fidelibus minimè ſit dubitandum.

QVAMQVAM igitur conditione illatæ mortis afficiàmur, ſpe tamen futuræ reſurrectionis erigimur. Quia ergo à quibuſdam de reſurrectione mortuorum infirmitatem mentis præpediente ambigitur, neceſſe eſt vt quòd de ea minimè ſit ambigendum, vtriuſque Teſtamenti paginis, & ſanctorum Patrum ſententiis demonſtretur.

Ait nempe Dominus in lege: *Ego ſum Deus Abraham Deus Iſaac, Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum.* Et Iob: *Scio*, inquit, *quòd Redemptor meus viuit: & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius: & oculi mei conſpecturi ſunt, & repoſita hæc ſpes mea in ſinu meo.* Item: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Ezechiel: *Oſſa*, inquit, *arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis; & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuper extendam in vobis cutem & dabo Spiritum, & ſcietis quia ego Dominus, &c.* In Euangelio: *Sicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat.* Item: *Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.* Item: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Paulus ad Theſſalonicenſes: *Si enim*, inquit, *credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo.* Item idem ad Corinthios: *Si autem*, inquit, *Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorum non eſt: Si enim*

Marc. 12. 27. *Luc.* 20. 38. *Iob.* 15. 25. *Ibid.* 14. 14. *Ezech.* 39. 4. *Ioan.* 5. 11. *Ibid.* 6. 39. *Ibid.* 55. 1. *Theſ.* 4. 13. 1. *Cor.* 15. 12. *& ſeq.*

Digitized by Google

reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Inanis enim eſt prædicatio noſtra: inanis ergo & fides noſtra. Inuenimur enim & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quòd ſi Chriſtus non ſurrexerit, vana eſt fides veſtra. Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium; quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine primitiæ Chriſti. Deinde qui ſunt Chriſti in aduentu eius: deinde finis cùm tradiderit Regnum Deo & Patri. Item in eadem: *Sed dicit aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? Quali autem cõrpore veniunt. Inſipiens tu quod ſeminas non viuificatur, niſi priùs moriatur, & quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum.* Et infra: *Sed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtriũ: alia claritas ſolis, alia lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim ab ſtella differt in gloria: ſic & reſurrectio mortuorũ. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale.* Auguſtinus in libro Enchiridij: [Iam verò, inquit, de reſurrectione carnis, non ſicut quidam * reſurrexerunt, iterumque ſunt mortui, ſed in æternam vitam ſicut Chriſti ipſius caro reſurrexit, quemadmodũ poſſim breuiter diſputare, & omnibus quæſtionibus, quæ de hac re moueri adſolent, ſatisfacere, non inuenio. Reſurrecturam tamen carnem, qui nati ſunt hominum, aut naſcentur, mortui ſunt atque morientur, nullo modo debet dubitare Chriſtianus.] Et paulò pòſt: [Ex quo autem, inquit, incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori poteſt. Mortuus verò, vbicumque illi mors potuerit euenire, quomodo ad reſurrectionem nõ pertineat mortuorum, reperire non poſſum.] Et paulò pòſt: [Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; ſed in quemlibet puluerem cineremue ſoluatur, in quoſlibet alitus auráſque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in

Cap. 84.

* al. reuixere

Cap. 86.

Cap. 88.

Digitized by Google

quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi anima humana in puncto temporis reddit, quæ illam primitus, vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit. Ipſa itaque terrena materies, quæ diſcedente anima fit cadauer, non ita reſurrectione reparabitur vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum ſpecies formaſque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire neceſſe ſit. Alioquin ſi in capillis redit quod tam crebrò tonſura detraxit, ſi vnguibus quod toties dempſit exſectio, immoderata & indecens, cogitantibus, & ideo reſurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum ſi ſtatua cuiuſlibet ſolubilis metalli, aut igne liqueſceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſum ex illius materiæ quantitate reparari, nihil intereſſet ad eius integritatem, quæ particula materiæ cuique membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſumeretur; ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili atque ineffabili celeritate reſtituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perierat mutetur in carne, & ad partes alias corporis reuocetur, curante artificis * prudentia, ne quid indecens fiat. Nec illud eſt conſequens, vt ideò diuerſa ſtatura ſit reuiuiſcentium ſingulorum, quia fuerat diuerſa viuentium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiſcant. Sed ſi hoc eſt in conſilio creatoris, vt in effigie ſua cuiuſque proprietas, & diſcernibilis ſimilitudo ſeruetur, in cæteris autem corporibus bonis æqualia cuncta reddantur, ita mundificabitur in illa in vnoquoque materies, vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit, ille ſuppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus reſurgentium rationabilis inæqualitas erit, ſicut eſt vocum cum quibus impletur cantus: hoc fiet vnicuique de materia corporis ſui, quod & hominem reddat Angelicis cætibus, & nihil inconueniens eorum ingerat ſenſibus. Indecorum quippe aliquid ibi non

Cap. 89.

al. * cui

al. * reſtituta reſumeret

al. * prouid entia

Cap. 90.

erit, ſed quicquid futurum eſt, hoc decebit, quia nec futurum eſt, ſi non* decebat. Reſurgent ergo ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſicut ſine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta fœlicitas erit. Propter quod & ſpiritalia dicta ſunt, cum proculdubio corpora ſint futura, non ſpiritus. Sed ſicut tunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima eſt; ita nunc ſpiritale corpus, tamen non ſpiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc adgrauat animam, & vitia quibus caro aduerſus ſpiritum concupiſcit, tunc non erit caro, ſed corpus; quia & cœleſtia corpora perhibentur.]

al. decebit. Cap. 91.

Ex diuerſis tract. ſumpta ſunt quæ ſequũtur. Moral. in Iob. l. 14. c. 28 med. Item l. 2. in Ezech. hom. 20. ante med. Et hom. 27. in Euang.

Gregorius in Moralibus: Sunt nonnulli qui de reſurrectione carnis incerti ſunt, & dum carnem in putredinem, oſſaque in puluerem redigi per ſepulchra conſpiciunt, reparari ex puluere carnem, & oſſa diffidunt; ſícque apud ſe quaſi ratiocinantes dicunt: Quando ex puluere homo reducitur, quando agitur, vt cinis animetur, longè minus eſt Deo reparare quod fuit, quàm creaſſe quod non fuerit. Aut quid mirum ſi hominem ex puluere reſuſcitet, qui ſimul omnia ex nihilo creauit? Mirabiliùs eſt Deo cœlum ac terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe, quàm ipſum hominem ex terra reparare. Quid mirum eſt, ſi oſſa, neruos, carnem, capillóſque Deus reducat ex puluere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris ex paruo quotidie ſemine reſtauret? Cùm ergo dubitans animus de reſurrectionis potentia ratione quærit, earundem ei rerũ quęſtiones inferendæ ſunt, quæ & inceſſanter fiunt, & tamen ratione exprimi nequaquã poſſunt; vt dum non valet ex viſione rei penetrare quod conſpicit, de promiſſione diuinæ potentiæ credat quod audit. Sæpe infidi homines dum puluerem putreſcentis carnis adſpiciunt, dicunt; Vnde oſſa & medullæ? Vnde caro, & capilli poterunt in reſurrectione reparari? Hæc itaque requirentes parua ſemina ingentium arborum videant, atque ſi poſſunt, dicant vbi in eis latet tanta moles roboris, tanta diuerſitas ramorum, tanta multitudo ac viriditas foliorum, tanta ſpecies florum, tanta vbertas ſaporum, atq; odor fructuũ? Numquid nam ſemina arborum odorem, vel ſaporem habent

quem ipsę post arbores in suis fructibus proferunt? Si non potest resurrectionis effectum ratione comprehendi. Perpende quàm multa sunt, quæ non intelligis, qualiter sint, & tamen esse non dubitas. Resurrectio planè mortuorum his & aliis quamplurimis exemplis, & potissimùm ipsius capitis nostri Domini nostri IESV CHRISTI resurrectione, in quo omnes resurreximus, & conuiuificamur, adstrui veraciter, fideliterque potest. Quid enim congruentius sanæ fidei, quídue credibilius, quàm vt membra caput sequantur? Quo illud igitur præcessit, membra sequantur necesse est.

Quòd verò resurrectio aliis ad vitam, aliis sit ad pœnam, testatur Daniel Propheta: *Multi*, inquit, *qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium.* *Dan.12.2.* In libro secundo Machabeorum: *Tu quidem scelestissimè in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* *2.Mac.7.9.* Item: *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare Deo, iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* *Ioan.5.28.* Et Dominus in Euangelio: *Nolite mirari quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Item: *Ibunt hi in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.* *1.Cor.15.51* Et Apostolus Paulus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Resurgent quidem omnes & iusti & iniusti, sed iusti vt immutentur, id est de corruptione ad incorruptionem. Iniusti autem de corruptione ad perpetuam & ineffabilem corruptionem. De quibus per Prophetam dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* *Isa.66.24* Proinde omnibus sataagendum est, vt resurrectio nobis ad gloriam, non ad opprobrium: ad incorruptionem non ad corruptionem proueniat.

CAPVT XVII.

De die Iudicij.

IN tremendi Iudicij die nullius fere conscientia secura esse potest, præsertim cùm non solùm de opere, verum etiam

Digitized by Google

de otioſo ſermone ibi Deo rationes ſint reddendę. A nobis autem quibus delectatur mundus, & concupiſcentia eius, qui in ſtadio illius currentes, & in agone certantes de percipienda corona immortalitatis adhuc incerti inſiſtimus, qui etiam in multis offendimus, & quotidianis peccatorum remiſſionibus indigemus, meritò eadem dies tremenda timetur & expaueſcitur. Cùm enim iuxta Apoſtolum, *Omnes ante tribunal Chriſti adſtabimus* reddituri rationem de his quæ per corpus geſſimus, ſiue bonum, ſiue malum, patet profectò quòd nemo mortalium in tranſitoriis, & citò perlabentibus rebus, amorem intentionis ſuæ, ſed potius in cœleſtibus, totis niſibus debeat figere, & ita ſe ad conuentum talem tantúmque præparet, & coram Chriſto Deo iudice taliter rationes valeat deducere, vt non de malis damnari, ſed magis de bonis mereatur remunerari. Ab illis autem quibus carcer iſte mundus, & non pro patria, ſed pro peregrinatione habeatur, quibus autem ipſum viuere tædio eſt; quorum ſcilicet conuerſatio in cœlis eſt; de quibus erat ille qui dicebat: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*. Et idem alibi: *Bonum*, inquit, *certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De reliquo repoſita eſt corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex: Non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius.* Non tantùm quantum à nobis, qui longè inferioris meriti ſumus, ideſt pertimeſcitur dies. Credibile eſt igitur, quòd à ſanctorum ſpiritibus, quibus eſt ſabbatum perpetuæ requietionis, expectantibus corporum ſuorum reſurrectionem quæritur vera circumciſio, verúſque iubilæus, quando reuertentur ad antiquam poſſeſſionem, accepturi, iuxta Apocalypſim, binas ſtolas, & implebitur in eis illud Propheticum: *Sancti in terra ſua duplicia poſſidebunt.* Memorata nobis tremenda dies inexplicabiliter diligitur, & vt veniat deſideratur.

Rom. 14. 10.

Phil. 1. 23. *2. Tim.* 4. 7.

Iſa. 61. 7.

Quòd autem eadem dies cunctis mortalibus ante oculos ſit ponenda, & die noctûque tractanda, & timenda, atque expaueſcenda, teſtimonia ſubter collecta innuunt. De hac quippe die ait Dominus per Prophetam: *Iuxta eſt*, inquit, *dies Domini magna & amara nimis.* Vox diei Domini amara valde; tribulabitur ibi fortis: Dies iræ dies illa, dies tribulationis

Sophon. 1. 14.

tionis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. De hac enim die iterum per Prophetam dicitur. *Adhuc ſemel & ego mouebo, non ſolùm terram, ſed etiam cœlum.* Item: *Vlulate quia prope eſt dies Domini.* Et Dominus in Euangelio: *Filius enim*, inquit, *hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis; & tunc reddet vnicuique ſecundum opus eius.* Et alibi: *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicumq; fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur; & tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo, & tunc plangent ſe omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna, & maieſtate: & mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum.* *Heb.* 12. 26. *Iſa.* 13. 6. *Matt.* 24. 44. *Ibid.* 27. 1. *Theſ.* 1. 3.

Et Apoſtolus: *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum eſt, quoniam ſemper creſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem, ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra, & fide, in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: ſi tamen iuſtum eſt apud Dominum retribuere retributionem his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem vobiſcum, in reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti de cœlo, cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam de his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui pœnas dabunt in interitum æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificare in ſanctis eius, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Petrus: *Aduenier dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu tranſient; Elementa vero calore ſoluentur.* In Apocalypſi. *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* 2. *Pet.* 3. 10. *Apoc.* 22. 8.

Proſper: [Age iam, inquit, cùm ad illud vltimum iudicium venerimus ab eo iudice iudicandi, qui nec falli occul- De vita contemp. l. 3. c. 12.

Digitized by Google

tatione criminum poteſt, nec ad impunitatem promerendam alicuius oblatione corrumpi, cùm cæperint omnium ſecreta reuelari, & non ſolùm actus ac verba, ſed etiam ipſę cogitationes oſtendi. Quid faciemus ſub tanti iudicis maieſtate? quid excuſationis * oſtendere poterimus? Qua nos deffenſionis arte purgabimus? Quæ nobis ſubuentura eſt pœnitentia, quam in hac carne contempſimus? Quæ nos deffenſura ſunt opera bona, quæ in hac vita non fecimus? Ad quos Apoſtolos, aut ad quos alios ſanctos confugituri ſumus, quorum exempla ſimul ac verba deſpeximus? An fortè aliquos ibi fragilitas corporis excuſabit? ſed excuſationi eorum reclamabunt omnium exempla ſanctorum, qui cum fragilitate carnis in carne viuentes, fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, vtique fieri poſſe docuerunt: maximè quia nec ipſi peccato ſua virtute, ſed Domini miſerantis auxilio reſtiterunt; qui ſe non quærentibus vt quærant, atque in eum vt credatur, oſtendit; & credentes in ſe, ne à peccato vincantur, inuicta protectione deffendit. Quid ergo reſponſuri ſunt, ſi eis Dominus dicat: ſi potuiſtis, quare non reſtitiſtis deſideriis peccatorum? Si non potuiſtis, quare meum contra peccata non quæſiſtis auxilium? Aut vulnerati quare pœnitendo non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium? Nonne ad hæc obmuteſcentes, & quid excuſationis referant non habentes, dicet; Ligate eos manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur?]

* al. obtẽdere

Matt. 22. 13.

Eſa. 66.

Marc. 9.

Quia ergo tot euidentiſſimis teſtimoniis dies iudicij terribiliter denuntiatur, & nobis nulla ſuffugendi patebit aditus, quin ad eum reddituri rationes veniamus. Nulluſque ibi erit pœnitentiæ fructuoſæ locus, nullęque inducię pœnitendi, nullum effugium ad ſanctorum ſuffragia poſcenda: Reſtat, vt dum viuimus, indulta tempora pœnitentiæ in vacuum non deducamus; ſed dum poſſumus, & Dominum propè habemus, ad eum, à quo peccando fuga lapſi ſumus, pœnitendo, vitámque in melius commutando, moreſque corrigendo confugium faciamus; quatenus in eodem die eum iudicem mitiſſimum ſentire mereamur.

Digitized by

CAPVT XVIII.

De quatuor Ordinibus in die iudicij futuris.

QVATVOR eſſe ordines in pauendi examinis die futuros in Euangelio perſpicuè demonſtratur: duorum ſcilicet electorum, & duorum reproborum. De quibus in Homilia Euangelij: [Notandum, inquit, quòd duo ſunt ordines electorum in iudicio futuri, vnus iudicantium cum Domino, de quibus hoc loco memoratur, qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt illum. Alius iudicandus à Domino, qui non quidem omnia ſua pariter reliquerunt, ſed de his tamen quæ habebant quotidianas dare eleemoſynas pauperibus Chriſti curabant. Vnde audituri ſumus in iudicio: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione*, &c. * Sed & reproborum quoque duos ibi futuros ordines, Domino narrante, comperimus: Vnum eorum qui fidei Chriſtianæ myſteriis initiati opera fidei exercere contemnunt, quibus dicendum in iudicio teſtatur: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & ſociis Angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Alterum eorum qui fidem & myſteria Chriſti, vel nunquam ſuſcepêre, vel ſuſceptam per Apoſtaſiam reiecêre; de quibus dicit: *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt; quia non credit in nomine vnigeniti filij eius.* Qui quoniam non verbo tenus colere Chriſtum voluerunt, nec verba ſaltem eius, quibus coarguantur in iudicio, merentur audire; ſed ad hoc tantùm venient in iudicium, vt cum eis qui iudicantur peccatoribus, in damnationem mittantur æternam.]

In homil. ſuper Euang. Ecce nos, &c. in feſto S. Benedicti, nempe Biſcopi. *Matt.* 25. 34. * Paulò poſt.

Ioan. 3. 18.

Iſidorus in libro Sententiarum: [Duæ ſunt, inquit, differentiæ, vel ordines hominum in iudicio, hoc eſt electorum, & reproborum, qui tamen non diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo vnus eſt, qui cum Domino iudicat, & alius qui iudicatur, vtrique tamen cum Chriſto regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hi qui intra Eccleſiam ſunt mali, iudicandi ſunt & damnandi. Qui verò

Lib. 3. c. 30. poſt med.

Digitized by Google

extra Eccleſiam inueniendi ſunt, non ſunt iudicandi, ſed tantùm damnandi. Primus ergo ordo eorum, qui iudicantur & pereunt, opponitur illi ordini bonorum, de quo ſunt qui iudicantur & regnant. Secundus ordo eorum, qui non iudicantur & pereunt, opponitur illi ordini perfectorum, in quo ſunt ij, qui non iudicantur & regnant. Tertius ordo eorum, qui iudicantur & regnant, illi ordini eſt contrarius; de quo ſunt qui iudicantur & pereunt. Quartus eorum qui non iudicantur, & regnant, opponitur illi contrario ordini, in quo illi ſunt, qui non iudicantur & pereunt.]

Hi quatuor ordines duo metuendi, & duo pro viribus ſunt imitandi, quiſquis in eorum numero de quibus dictum eſt: *Qui non credit iam iudicatus eſt*: timet adſciſci; veraciter percipere debeat fidem Chriſti, caueátque nè ab ea per Apoſtaſiam penitus aberret. Quiſquis verò ab eorum numero optat ſecerni, quibus dicitur: *Diſcedite à me maledicti in igem æternum*, &c. Rectæ fidei recta opera adiungat neceſſe eſt, ſcilicet vt non ſterilis, ſed liberalis atque hilaris in omnibus operibus miſericordię fiat. Ecce qualiter à duobus ordinibus reproborum valde metuendis & pauendis, omnis Catholicus diuinâ miſericordiâ præcedente, & ſubſequente expers fieri poteſt: reſtant duo, alter perfectorum, immò paucorum, alter generaliter cæterorum iuſtorum.

Ioan. 3. 18.

Matt. 24. 34.

Quiſquis autem ad culmen perfectionis diuina ope ſuffragatus aſcendere valet, vt ſcilicet amore Apoſtolicæ vitæ omnia ſua relinquat, & pauper pauperem Chriſtum ſequatur, hic proculdubio cum Deo in iudicio, non vt iudicetur, ſed vt iudicet, ſedebit. Is igitur qui ad arcem ſpeculatiuę vitæ conſcendere nequit, ſi in actuali vita operibus miſericordiæ deditus fuerit, in eodem iudicij die à reproborum numero ſecerni, & in eorum admitti merebitur, quibus dicetur: *Percipite Regnum Dei, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Digitized by Google

CAPVT XIX.

De æternis ſuppliciis Reproborum.

QVOD præmia iuſtorum ſint ineffabilia, teſtatur Euangeliſta dicens: *Quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* 1. *Cor.* 2. 9. Vnde etiam credibile eſt, quòd ſicut præmia iuſtorum ſunt mortalibus incomprehenſibilia, ita etiam tormenta impiorum ſint ineffabilia. Quia igitur vtraque exiſtunt incomprehenſibilia, neceſſe eſt vt feruenter ad iuſtorum præmia capienda tendamus; & reproborum ſupplicia, dum poſſumus, & tempus habemus, bene agendo caueamus. De ſuppliciis autem reproborum ait Iſaias Propheta: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* *Iſa.* 66. 24 Et Dominus in Euangelio: *Mittite eum,* inquit, *in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* *Matt.* 22. 13. Item: *Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

Gregorius: [Omnipotentis Dei iuſtitia futurorum præſcia, ab ipſa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum eſſe ſemel inciperet, ſed ardorem ſuum etiam ſine lignis nũquam finiret. Sciendum eſt, quòd omnes reprobi, quia ex anima ſimul & carne peccauerũt, in æterno ſupplicio in anima pariter & carne cruciabuntur. Vnde per Danielem Prophetam rectè dicitur: *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui.* *Pſ.* 20. 10. Clibanus namque intrinſecus ardet, is verò quia ab igne deuoratur, ab exteriore parte incipit concremari: vt ſacra eloquia ardere & exteriùs & interiùs reprobos demonſtrent, eos & ab igne deuorari, & ſicut clibanus poni teſtantur, vt per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente.] In tempore vultus Domini iniuſti omnes vt clibanus ponuntur, & ab igne deuorantur; quia apparente iudice cum viſione illius eorum multi- Moral. in Iob. l. 25. c. 17.

Digitized by Google

tudo repellitur, & intus per deſiderium ardet in conſcientia,
Iſa. 5. 14. & foris carnem cruciat gehenna. Iſaias Propheta ait: *Propterea dilatauit animam ſuam infernus, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Sicut enim infernus dilatatus dicitur ſine termino, qui ad ſe plurimos trahit, ita ſine fundo altus non incongruè vocatur, quia eos quos in ſe ſuſcipit, quaſi in quadam abyſſo ſuæ immenſitatis abſorbet. Infernus namque rectè fundum non habere creditur, quia quiſquis ab illo rapitur, quaſi in immenſo deuoratur. Quæ ſcilicet gehenna quamuis cunctis vna ſit, non tamen vna eademque qualitate ſuccenditur; ſicut plerumque vno ſole omnes tangimur, nec tamen ſub eo vno ordine omnes æſtuamur, quia iuxta qualitatem corporis ſentitur etiam pondus caloris. Sic damnatos & vna eſt gehenna quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit, quia quod hic agit diſpar valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.

S. Greg. Lib. 4. c. 43. & 44. In libro Dialogorum, *Petrus*: [Numquid nam, quæſo te, dicimus eos, qui illic ſemel merſi fuerint, ſemper arſuros? *Gregorius*: Conſtat nimirum, & incunctanter verum eſt, quia ſicut finis non eſt gaudiorum bonorum, ita finis non erit tormentorum malorum. *Petrus*: Scire velim quomodo iuſtum ſit, vt culpa, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine puniatur. *Gregorius*: Hoc rectè diceretur, ſi diſtrictus Iudex non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſent vtique ſi potuiſſent ſine fine viuere, vt potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim quia in peccato ſemper viuere cupiunt, qui numquam deſinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iuſtitiam vindicantis pertinet, vt numquam careant ſupplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato.]

De vita contemp. l. 3. c. 12. Proſper: [Fletus, inquit, & ſtridor dentium acerrimos eorum dolores oſtendunt, qui ſupplicio æternæ mortis addicti, non videndi ſenſum habituri ſunt, ſed dolendi: Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus torquent animos, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideò ſibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguitur, vt permanente ſentiendi vi-

Digitized by Google

ta, pœna permaneat, & ad dolendum magis, quàm ad videndum æternis corporibus compeditos habeat, quòd in flammis viuacibus immortalitatis ſecundæ mortis occidat. Iam verò quod dicit: Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur, ad totam refertur damnati hominis pœnam, quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, vt conſumentis conſcientiæ vermis immortaliter rodit. Proindéque omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, vt maximis conſumpti doloribus aliquando deficiant, ſed vt in illis pœnaliter viuant. *Eſa. 66. Marc. 9.*

Hæc & his ſimilia libenter audire vel legere, iugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, ſine vlla perturtione, & verè cogitare quale malum ſit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatiſſima ſanctorum omnium ſocietate priuari, fieri patriæ cœleſtis extorres, mori vitæ beatæ, morti viuere ſempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & Angelis eius expelli: Vbi ſit mors ſecunda damnatis, exilium, vita, ſupplicium, non ſentire in illo igne quod illuminat, ſentire quod cruciat. Exundantis incendij terribiles ſtrepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos cæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc & multa his ſimilia cogitare, nihil eſt aliud quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare. Quis tam ſtolidæ mentis, támque ferrei pectoris exiſtit, quem iſta non terreant? Miſerabilis planè, & valde lugubris humana conditio, quæ in hac mortalitate nunquam ſine labore viuit: Quid, inquam, miſerabilius & infœlicius eſſe poteſt, ſi de labore præſenti ad laborem æternum, & nullum finem habiturum peruenitur? Nonne ſatius fuerat eum non naſci, quàm natum, & fidei ſacramentis imbutum, & periculis huius vitę exutum, propter ſcelerum immanitatem æternis mancipari ſuppliciis? Proinde neceſſe eſt, vt hoc paruo temporis ſpatio ſic ab omnibus viuere ſtudeatur, vt quando ex hoc exitum fuerit, æterna ſupplicia euadantur, & perpetuæ vitæ præmia nanciſcantur.

Digitized by Google

CAPVT XX.

De Electorum ſempiterna retributione.

QVID maioris remunerationis poſt reſurrectionem conſequi poterunt ſancti, quàm perpetim eſſe cum
Ioa.17.24. Domino ſuo? Vnde Chriſtus ad Patrem: *Volo*, inquit, *vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.* Ipſe quippe caput noſtrum eſt, & quo ille aſcendit, nos proculdubio aſcenſuri ſumus, & per-
Pſ.30.20. cepturi illud. Vnde Pſalmiſta inhianter aiebat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!*
Ibid.22.1. &c. Item: *Dominus regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ*
Ibid.51.12 *ibi me collocauit.* Item: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei: Speraui in miſericordia Dei in æternum & in ſæculum ſæculi.*
Ibid.26.13 Item: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* In libro Sa-
Sap.4.7. pientiæ: *Iuſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima illius in refrigerio erit.* Item: *Beatus vir qui ſuffert tentationem;*
Jac.1.12. *quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repro-*
Sap.5.16. *miſit Dominus diligentibus ſe.* Item: *Iuſti autem in perpetuum viuent; & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum; ideo accipient Regnum decoris, & diadema ſpeciei de*
Dan.12.3. *manu Domini.* Daniel Propheta: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos,*
Matt.24. *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* In Euangelio: *Venite bene-*
34. *dicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origi-*
Matt.13. *ne mundi.* Item: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.*
41. Paulus: *Cùm Chriſtus*, inquit, *apparuerit vita veſtra, tunc & vos*
Coloſ.3.4. *apparebitis cum ipſo in gloria.* Item: *De reliquo repoſita eſt mihi*
2.Tim.4. *corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex:*
7. *non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius.* In
Apoc.7. Apocalypſi: *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione & la-*
14. *uerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, ideò ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui ſedet in throno habitabit ſuper eos. Non eſurient, neque ſitient amplius; neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus; quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: Et abſterget*

sterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum.

In libro Enchiridij: [Remanentibus itaque Angelis & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc sancti scient pleniùs quid boni eis contulerit gratia. Tunc rebus ipsis euidentibus apparebit quod in psalmo scriptum est: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*] Gregorius in moralibus: [Sancta Ecclesia post finem huius sæculi duplicia recipit. Vnde bene per Prophetam dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt.* Sancti quippe in terra viuentium duplicia possident, qui nimirum beatitudinem mentis simul & corporis gaudent. Ioannes in Apocalypsi, qui resurrectionem corporum clamantes sanctorum animas vidit, accepisse eas stolas singulas aspexit dicens: *Et datæ sunt eis stolæ singulæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum eorum.* Ante resurrectionem sancti stolas singulas accepisse dicti sunt, quia sola adhuc mentis beatitudine perfruuntur. Binas ergo accepturi sunt, quando cum animarum perfecto gaudio, etiam corporum incorruptione vestientur; tunc enim vera in nobis libertas erit, cùm ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra peruenerit multitudo electorum: nunc ad fidem per sanctos doctores trahitur, sed quandoque ad cœlestem patriam congregatur, vt ibi omnes electi sine fine laudent, cùm viderint sine fine quem laudent, in æterna vita perfectè corpus Redemptoris efficitur omnis multitudo sanctorum, eique ita tunc inhærent, vt eis de corruptione, quæ per resurrectionem vincitur, iam nihil in suo sancto amore contradicat, sed vnita gloriæ sui Redemptoris fiat. Egregius prædicator ait: *Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei.* Electos enim nunc pœna corruptionis adgrauat, sed tunc incorruptionis gloria exultat. Et quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur, tantum ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de seruitute nihil apparebit. Creatura ergo à seruitute corruptionis exuta, & libertatis dignitate accepta, in filiorum Dei gloriam vestitur; quia vnita Deo per spiritum, quasi hanc ipsam, quòd creatura est, transisse, ac subegisse declaratur. Hinc Psalmista ait:

Cap. 94.

Ps. 100. 1.

Lib. 35. c. 9. init. quoad sensum.

Isa. 61. 7.

Apoc. 6. 11

Rom. 8. 21

Gregor. Moral. l. 8. c. 4.

Pſ. 22. 1. *In loco paſcuæ ibi me collocauit.* Paſcua etenim ſcriptura ſacra, illa viriditatis æternæ pabula vocat, vbi iam noſtra refectio nullius defectus ariditate marceſſit. De quo paſtore rurſus ait: *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Vnde per ſe-
Joan. 10. metipſam veritas ait: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Iuſti cum iniquos omnes extrema vltione percuti conſpiciunt, ipſi de gloria dignę retributionis hilareſcunt, nec damnatis iam tunc ex humanitate compatiuntur, quia diuinæ iuſtitiæ per ſpeciem inhærentes, inconcuſſo diſtrictionis intimæ vigore ſolidantur. Erectas in claritate ſuprema rectitudinis electorum mentes nulla miſeria afficit, quia eas à miſeriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Bene per Pſalmiſtam dicitur: *Videbunt*
Pſ. 51. 8. *iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum.* Iniquos enim iuſti non vident & metuunt; tunc viſuri ſunt & ridebunt: quia enim modò ad eorum labi imitationem poſſunt, hi habent formidinem: quia verò damnatis tunc prodeſſe nequeunt, illic non habeant paſſionem, æternis ſuppliciis deditis non eſſe miſerendum, in ipſa quâ beati ſunt iuſtitiâ iudicantis legunt.

De vita contemp. l. 1. c. 4. Proſper: [Hæc eſt, inquit, vita beata, ad quam qui bonorum operum conſummatione peruenerint, beatis Angelis ſimiles erunt, & ſimul cum Deo ſuo ſine fine regnabunt. Quod hic crediderant, ibi videbunt, ſui creatoris ſubſtantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebunt diuina ac mutua dilectione poſſeſſi, Deo ſuo in æternum & inuicem ſibi fœliciter adhærebunt. Receptis eum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum patriæ cæleſtis accipient, atque eius in æternum ciues effecti promiſſa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœleſtium gratia gaudiorum, vt & remuneratori ſuo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum faſtidium ex ipſa affluentium bonorum perceptione ſuſtineant. Ibi ita patebunt ſingulorum ſingulis mentes, ſicut corporalibus oculis ſubiacent facies corporales; quia humanorum peccatorum tanta ibi erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundatori ſuo Deo gratias agant; non vnde offenſi aliquibus ſordibus erubeſcant; quia ibi nulla pec-

Digitized by Google

cata, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, iam peccare non poterunt. Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.]

Ecce qualis gloria nobis promittitur; ad quam vt infatigabiliter tendamus à Domino hortamur, atque vt eam tandem consequi mereamur, ab eodem hortatore adiuuamur. Vt quid pigri sumus? Vt quid bona operari negligimus? Vt quid tantæ glorię, tantæque remunerationis datorem audire contemnimus? Non enim debemus cunctari quin talem vocantem sequamur, eiusque monitis obtemperemus, vt ab eo tantam gloriam adipisci valeamus. Ad hoc nempe nascimur, vt Christo renascamur. Ad hoc etiam renascimur, vt cum eodem Christo Domino sine fine in æternum viuamus.

EXPLICIT LIBER DOMNI IONÆ; quomodo Laïci viuere debeant.

OBSECRO te Lector, memento Herberti Dursensis, qui pro amore Dei, & vtilitate legentium, Librum istum renouari fecit.



Digitized by Google

Digitized by Google

CHRODOGANGI SIVE CRODEGANDI METENSIS EPISCOPI REGVLA CANONICORVM.

PRÆFATIO.

TEMPORIBVS piiſſimi ac Sereniſſimi PIPINI * CHRODOGANGVS *ſeruus ſeruorum Dei Metenſis vrbis Epiſcopus. Si trecentorum decem & octo, reliquorúmque Sanctorum Patrum Canonum authoritas inuiolata perduraret, & Epiſcopus atque Clerus ſecundum eorum rectitudinis normam viuerent, ſuperfluum videretur, à nobis exiguis minimisque, ſuper hac re tam ordinatè diſpoſita aliquid noui retractare aut dicere: ſed dum paſtorum ſubditorúmque negligentia ex his temporibus nimium creuit, quid aliud agendum nobis*

* Patris Caroli Magni.

Digitized by Google

eſt, qui in tam graui diſcrimine venimus, niſi vt quantum poſſumus, ſi non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inſpirante, Clerum noſtrum reducamus?

Igitur quamuis adeptâ huius Sedis Pontificalis Cathedrâ, cúmque officij mei paſtoralis curam inuigilare cœpiſſem, & in tantam negligentiam Clerum plebémque deueniſſe conſpicerem, cœpi mœſtus conquirere quid agere deberem, ſed diuino fultus auxilio, fratrúmque ſpiritalium conſolatione adiutus, atque recuperatione prouocatus, volui neceſſitate compulſus paruum decretulum facere, per quod ſe Clerus ab illicitis coërceat, vitioſa deponat, mala diu longéque vſurpata derelinquat; vt dum mens ab aſſuetis vitiis vacuatur, faciliùs bona & optima quæque ſunt, inſerantur.

*Scripturis enim ſacris intenti decernimus, vt omnes ſint vnanimes officiis diuinis, lectionibúſque ſacris aſſidui, atque ad obedientiam Epiſcopi ſui, Præpoſitíque, vt ordo canonicus depoſcit, parati, charitate connexi, zelo bono, feruentiſſimóque amore coniuncti, à litibus, vel ſcandalis, ſeu odiis ſemoti. Paſtor eorum quilibet fuerit non ſolùm de carnalibus, ſed etiam de ſpiritalibus curam gerat, & in vtraque parte ſagaciſſimam ſollicitudinem, in quo facultatis fuerit, habeat; vt & vitia reprimat * & ea radicitus vt oriri cœperint, vt prævalet, amputare feſtinet: & quæ vſibus humanis iuxta formam ſubter diſpoſitam neceſſaria fuerint, eis præbere ſtudeat, vt cùm paſtor paſtorum, iudéxque viuorum & mortuorum Chriſtus in vltimo tremendóque die, in ſede maieſtatis ſuæ diſceptaturus cum omnibus gentibus, ſederit, & omnis Clerus eum reuelata facie conſpexerit, etſi non cum ſummis paſtoribus, & gregibus ſibi commiſſis, pro diſpenſatis talentis, mul-*

B. Bened. Reg. c. 2.

tiplicatíſque ſpiritalibus lucris, audire merebimur: Euge ſerue bone & fidelis: *ſaltem hoc concedatur, vt delictorum venia ad integrum tribuatur; quia manifeſtum eſt quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, quia nec infœlix poteſt iudicari, cui contigerit qualemcumque partem in paradiſo habere, ſed illis ibidem ſors datur, qui in quantum poſſunt per vitæ meritum ad hoc in huius temporis curriculo, dum licet currere, feſtinent.* Matt. 25. 21.

Intendamus ergo ad hoc animum, quantum poſſumus, quia non poſſumus quantum debemus, & noſtra vita amareſcat in pœnitentia, ne vltio diuina, quæ nunc mitis eſt, & expectat, pòſt ſæuiat ad vindictam.

CAPVT I.

De Humilitate.

CLAMAT nobis diuina ſcriptura, dicens: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Quantùm enim humilior fueris, tantùm te ſequitur gloriæ altitudo: & quia *ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: Omniſque arrogans immundus eſt coram Domino. Nam quemcumque ſuperbum videris, filium diaboli eſſe non dubites; & quemcumque humilem proſpexeris, Dei filium eſſe credere debes. De multis enim pauca perſtringimus, vt omnes homines ad amorem humilitatis prouocemus, & deteſtabilem, inimicámque Dei ſuperbiam ab eis retrahamus: nam dum omne genus humanum humilitatem habere conuenit, nimis iniquum, peſſimúmque, ac deteſtabile eſt, vt qui ſeruitio Dei peculiariùs ſe iunxerunt, humilitatem derelinquant, & ſuperbiæ diabolicæ ſe ſocient: Chriſtus in humilitate, diabolus in ſuperbia ſedet. S. Bened. Reg. c. 7. *Luc.* 14. 11. *Prou.* 29. 23. *Iac.* 4. 6. *Prou.* 16. 5

Idcircò neceſſe eſt, vt qui ſuadente diabolo vſque nunc ſuperbus atque elatus, & vultu rigidus vixit, Deo auxiliante,

Digitized by Google

per humilitatem, atque charitatem, aut obedientiam, ſeu per reliqua bona Dei præcepta reſurgat; quia multùm melius eſt per humilitatem cum Chriſto in regna cœleſtia regnare, quàm cum diabolo per ſuperbiam in infernum demergere.

CAPVT II.

De ordine congregationis Canonicorum.

Exc. 63. Regulæ S. Bened.

ORDINES ſuos Canonici ita conſeruent vt ordinati ſunt in gradibus ſuis, ſecundum legitimam inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ, in omnibus omnino locis, id eſt, in Eccleſia, vel vbicumque ſimul ſe coniunxerint, & ratio præſtat, exceptis his, quos Epiſcopus in altiore gradu conſtituerit, aut degradauerit, certis decauſis, reliqui omnes, vt dximus, ita vt ordinati ſunt, ordines ſuos cuſtodiant.

Iuniores igitur priores ſuos honorent, priores minores ſuos in Deum diligant. In ipſorum autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare, ſed ſecundum conſtitutionem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, vocet eum nomen ſuum, priùs addito & miniſterij ſui gradu, qualiſcumque fuerit. Vbicumque ſe obuiauerit clerus, iunior inclinetur, & à priore benedictionem petat: & ſi ſedentem inuenerit, tranſeunte maiore minor ſurgat, & det ei locum ſedendi, nec præſumat iunior conſedere niſi ei præcipiat ſenior ſuus; vt fiat quod ſcriptum eſt: *Honore inuicem præuenientes.* Pueri parui & adoleſcentes, in oratorio, aut ad miſſas cum diſciplina ſuos ordines cuſtodiant, & vbicumque fuerint, cuſtodiam habeant & diſciplinam.

Rom. 12.

Digitized by Google

CAPVT III.

De eo quòd in congregandis Canonicis modus discretionis tenendus sit.

CAVENDVM summopere Præpositis & Prælatis Ecclesiæ est, vt in Ecclesiis sibi commissis non plus admittant Clericos, quàm ratio sinit, & facultas Ecclesiæ suppetit; ne si plures indiscretè aggregauerint, nec ipsos gubernare, nec vt oportet valeant adminiculari. Sunt námque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui innumerosam Cleri congregationem volunt habere, cui nec animæ, nec corporis curant solatia exhibere. Hi namque qualiter aggregati, dum à Prælatis stipendia necessaria non accipiunt, neque canonicum seruant ordinem, nec diuinis officiis insistunt, claustra societatémque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi & lasciui, gulæ & ebrietati, & cæteris suis voluptatibus dediti, quidquid sibi inhibitum est, licitum faciunt. Cap. istud adfert Concil. Aquisgra. an. 816. c. 118.

Proinde Præpositis solerter prouidendum est, vt in hoc negotio modum discretionis teneant, scilicet, vt nec plus quàm oportet, & possibilitas Ecclesiæ suppetit, in congregatione admittant; nec eos, quos rationabiliter gubernare possunt, causâ auaritiæ abiiciant.

CAPVT IV.

De eo quòd non debent Clerici in congregatione canonica constituti, stipendia superflua accipere, aut exigere, sed necessaria.

SANCTORVM Patrum sententiæ docent, Clericos non diuitiarum sectatores esse, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debère. Inde dicit Prosper: [Qui Ecclesiæ seruiunt, & ea quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt: indignum quippe est, Concil. supra cit. c. 120. Prosp. de vita contemp. l. 1. c. 10.

Digitized by Google

ſi fidelis & operoſa deuotio Clericorum propter ſtipendium ſęculare prędmia ſempiterna contemnat.] Vt quid accipit vnde rationem reddat? Vt quid peccatis alienis ſua multiplicat? Vnde neceſſe, imò vtile eſt, Clericis in Eccleſiaſticis ſumptibus accipiendis ſuum vitare periculum. Proinde tam de ſuis, quàm de Eccleſię facultatibus, non plus accipiant aut exigant, quàm oportet: id accipient, cibum, potum, atque veſtimentum, & his contenti ſint; ne plus accipientes, pauperes grauare videantur. [Sine grandi peccato non accipiunt vnde pauper victurus erat.]

Proſp. ibid. c. 11.

Hi verò qui nec ſuis rebus abundant, nec Eccleſiæ habent poſſeſſiones, & magnam vtilitatem Eccleſiæ conferunt, accipient in canonica congregatione victum & veſtimentum, & eleemoſynarum partes: quia de talibus in libro Proſperi dicitur: [Clerici, quos voluntas, aut natiuitas pauperes fecit, in congregatione viuentes, neceſſaria vitæ accipient: quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, ſed cogit viuendi neceſſitas. Porrò ſi tales fuerint, qui nec ſuas, nec Eccleſiæ velint habere poſſeſſiones, horum neceſſitatibus prouidentiſſima gubernatione de facultatibus Eccleſiæ debent ſubuenire Prælati, attendentes illud Proſperi: Quod habet, inquit, de facultatibus Eccleſiæ, cum omnibus nihil habentibus commune habeat. Sed & illorum curam gerere debent, quos aut infirmitas, aut ſenectus aggrauat, quos etiam conſtat olim in vtilitatibus Eccleſiæ deſudaſſe.

Ibid.

Ibid. c. 9. ſed variat textus.

CAPVT V.

De his qui in congregatione ſibi commiſſa, ſolummodò ex familia Eccleſiæ Clericos aggregant.

Concil. Aquiſgra. c. 119.

SVnt nonnulli qui tantùm ex familia Eccleſiaſtica Clericos, in ſibi commiſſis congregant Eccleſiis: & hoc ideò facere videntur, vt ſi quando eis aliquid incommodum fecerint, aut ſtipendia oportuna ſubtraxerint, nihil quærimonię contra ſe obiicere præſumant, timentes ſcilicet, ne aut ſeueriſſimis verberibus afficiantur, aut humanæ ſeruituti denuò crudeliter addicantur.

Digitized by Google

Hoc autem non ideò dicitur, vt ex familia Ecclesiæ probabiles vitæ in congregatione non sint admittendi, præsertim cùm apud Deum non sit personarum acceptio, sed potiùs, vt propter quam intulimus occasionem, nullus Prælatorum, seclusis nobilibus, viles tantùm in sua congregatione admittant personas.

CAPVT VI.

Qui Clerici in congregatione canonica constituti Ecclesiastica accipere debeant stipendia.

QVIA Sanctorum Patrum supra notatæ sententiæ docent, Clericos non diuitiarum sectatores esse, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere, non abs re putauimus nonnulla capitula libri Prosperi ad medium exempli causa deducere, in quibus ita legitur: [Qui Ecclesiæ seruiũt, & ea quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt. Item ibi: Satis quippe indignum est, si fidelis & operosa deuotio Clericorum propter stipendium sæculare præmia sempiterna contemnat. Item ibi: Si propter hoc non vult sua quisque relinquere, vt habeat vnde viuat: vt quid accipit vnde rationem reddat?]

Ibid. c. 120. Repetuntur hîc quæ c. 4. init. Prosp. l. 2. c. 10.

CAPVT VII.

De eo quòd in congregatione canonica æqualiter cibus & potus accipiatur.

SOLET in plerisque Canonicorum congregationibus irrationabiliter atque indiscretè fieri, vt nonnulli Clerici, qui & diuitiis affluant, & aut parum aut nihil vtilitatis Ecclesiæ conferunt, maiorem cęteris diuinũ strenuè peragentibus officium annonam accipiunt, cùm hoc ita fieri debere nunquam nec in authoritate scripturarum, nec in traditionibus Sanctorum Patrum possit*. Est nempe rationabile iustúm-

Concil. Aquisgra c. 121.

* *adde:*

quoquo modo ſancitum reperiri.

que coram Deo & hominibus, vt in vnaquaque canonica congregatione à minimo vſque ad maximum cibum & potum æqualiter accipiant; hi videlicet qui propter aliquam vtilitatem in numero Canonicorum fuerint admiſſi. Quanquam enim plerique ſubditorum à Prælatis, rebus quibuſlibet aliis plus cæteris meritò ſolent honorari, in hac tamen ſocietate, reclusâ perſonarum acceptione, vna debet cibi & potus æqualitas eſſe.

CAPVT VIII.

De menſura cibi & potus.

Huiuſce c. nõnulla in prefato Concil. c. 122.

QVANDO Clerus vna aut bina vice in die reficit, accipiat à minore vſque ad maximum quatuor libras panis; & quando bis in die reficit, pulmentum verò ad ſextam, vnam miniſtrationem de carne inter duos: & ſi cibaria alia vnà accipient, & cibaria non habeant, tunc duas miniſtrationes de carne habeant. Ad cœnam autem aut vnam miniſtrationem inter duos, aut cibaria alia habeant. Illo tempore, quando quadrageſimalem vitam debent ducere, tunc ad ſextam inter duos Clericos portionem de* formatico, & cibaria alia accipient; & ſi piſces habuerint, aut legumen, aut aliud aliquid, addatur & tertium: & ad cœnam cibaria inter duos, & portionem de formatico accipient: & ſi Deus ampliùs dederit, cum gratiarum actione accipient. Quando autem in die vna refectio fuerit, tunc cibaria vna inter duos, & portionem de formatico, & miniſtrationem de legumine, aut aliud pulmentum accipient. Et ſi contigerit quòd illo anno glandis vel fagina non ſit, & non habent vnde hanc menſuram de carne impleant, præuideat Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, iuxta quod Deus poſſibilitatem dederit, aut de quadrageſimali alimento, aut alio, vnde conſolationem habeant.

ideſt, caſeo. *Gal.* formage.

Et ſi eadem regio vinifera fuerit, accipiant per ſingulos dies quinque libras vini (ſi tamen ſterilitas impedimentum non fecerit temporis) ſi verò vinifera plena non fuerit, tres libras

Digitized by Google

libras vini, & tres ceruisiæ; & caueant ebrietatem. Si verò contigerit, quòd vinum minus fuerit, & istam mensuram Episcopus, vel qui sub eo est, implere non potest, iuxta quod prævalet, impleat de ceruisia, & eis consolationem faciant: & illis qui se à vino abstinent, præuideat Episcopus, vel qui sub eo est, vt tantùm habeant de ceruisia, quantùm de vino habere debuerant. Quando verò Ecclesiæ facultas non suppetit, aut sterilitas terræ extiterit, sicut crebrò peccatis nostris præpedientibus euenire solet, & Prælati quantum debent dare vinum, aut siceram seu ceruisiam, Canonicis nequiuerint, præuideant eis potum ex diuersis materiis confectum; non autem murmurent, sed magis cum gratiarum actione quod dari sibi potest, accipiant; animaduertentes Ioannem Baptistam, qui nec vinum, nec siceram, nec quid aliud quod potest inebriari bibit: quia vbi ebrietas fit, ibi flagitium atque peccatum est: & hoc admonemus, vt Clerus sobriam semper ducat vitam. Et quia persuadere non possumus, vt vinum non bibant, vel hoc consentiamus vt saltem in illis ebrietas non dominetur; quia omnes ebriosos Apostolus à regno Dei extraneos esse denuntiat, nisi per dignam pœnitentiam emendauerint. Habeant itaque Canonici hortos olerum, vnde cum cæteris additamentis aliquod pulmentum quotidie sibi vicissim ministrent.

Ex c. 40. Reg. S. Bened.

CAPVT IX.

De septimanariis coquinæ.

CLERICI Canonici sic sibi inuicem seruient, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi ægritudine, aut causâ grauis vtilitatis præocupatus fuerit: quia ex inde maior merces & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant; sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci.

Ex c. 35. eiusdē Regulæ.

Archidiaconus, aut Prępositus, vel *Cellarius, & qui in maioribus vtilitatibus occupati sunt, isti excusentur à coquina.

al. Cellerarius, seu Cellalarius.

Digitized by Google

Cæteri autem ſibi ſub charitate inuicem ſeruient. Egreſſurus de ſeptimana ſabbato munditias vaſorum faciat, & vaſa miniſterij ſui, quæ ad miniſtrandum accepit, ſana & munda Cellario reconſignet; & ſi aliquid ex illis minuatum fuerit, ad capitulum die ſabbati veniam petat: & vaſa, vel quod minuatum eſt in loco reſtituat.

CAPVT X.

De Archidiacono, vel Præpoſito.

OPORTET enim eos eſſe prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, id eſt, vt ſint ſapientes in bonum, & ſimplices in malum; & docti in Euangelica præcepta, & ſanctorum Patrum inſtituta canonum, vt poſſint docere Clerum in lege diuina: & ſic ſe conforment Clero, vt non tantùm verbis capacibus, ſed etiam exemplis ſimplicioribus diuina præcepta demonſtrent: quia Apoſtoli debent ſemper ſeruare formam, in qua dicit: *Argue, obſecra, increpa*: immiſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, indiſciplinatos & inquietos debent duriùs arguere, obedientes autem & mites & patientes vt in melius* proficiant obſeruare: negligentes, & contemnentes, & ſuperbos, increpent & corripiant. Neque diſſimulent peccata delinquentium, ſed mox vt cœperint oriri, radicitus vt prævalent, amputent; memores periculi Heli ſacerdotis de filiis ſuis. Honeſtiores quidem atque intelligibiles prima & ſecunda admonitione corripiant; improbos ac duros corde, ac ſuperbos, vel inobedientes, verbere & caſtigatione in ipſo initio peccati coërceant; ſcientes ſcriptum: *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.*

Ex c. 2. Reg. S. Bened.

1. *Tim.* 4.

* *S. Bened. c.* 2. proficiat, obſecrare

1. *Reg.* 2.

Prou. 18. 2 *Pro.* 23. 14

Et quidquid per ſe iuſtè & rationabiliter ſecundum canonicam inſtitutionem non potuerint definire, Epiſcopo patefaciant, & ipſe ſecundum Dei voluntatem quod caſtigandũ eſt caſtiget, & quod corrigendum eſt corrigat. Qui Archidiaconus, vel Primitiarius, in omnibus omninò actibus vel ope-

Digitized by Google

ribus ſuis, ſint Deo & Epiſcopo fideles & obedientes: & non ſint ſuperbi, neque rebelles, vel contemptores, ſed caſti, & ſobrij, patientes, benigni, & miſericordes: diligant Clerum, oderint vitia, & non permittant ea nutriri, ſed prudentes amputare feſtinent. Caueant ne dum aliis prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur.

Qui Archidiaconus, vel Præpoſitus, ſi reperti fuerint, quod abſit, ſuperbi aut elati, aut contradictores vel contemptores canonicæ inſtitutionis, ſecundum Domini præceptum admoneantur ſemel & iterum, & ſi non emendauerint, ab Epiſcopo ſecundum modum culpæ iudicentur. Quòd ſi neque ſic correxerint, de ordinibus ſuis eiiciantur, & alij qui digni ſunt, & voluntatem Dei, vel Epiſcopi ſui, ſecundum diuinum præceptum impleuerint, in locis illorum ſubrogentur. S. Bened. c. 65. ſub med.

CAPVT XI.

De Cellerario.

CELLARIVS verò debet eſſe timens Deum, ſobrius, non vinolentus, non contentioſus, non iracundus, ſed modeſtus, moribus cautus, & fidelis, non ſuperbus, non tardus, non prodigus, non ſuperfluus diſſipator ſine ordine, non remiſſus, & quidquid acceperit ſub cura ſua ad opus Clericorum, cuſtodiat, ne miniſtri ibidem deputati annonam fratrum aut furtim ſubripiendo, aut aliquolibet modo negligentes viuendo diſſipent. Hi verò famuli eligantur de fideliſſima Eccleſiæ familia, & his officiis diligenter erudiantur, vt ſcilicet & arte piſtoria, & fidei puritate, neceſſitatibus fratrum oportuniſſimè valeant ſuffragari. Eadem quoque forma de Coccis ſeruanda eſt. Ibid. c. 31.

Digitized by Google

CAPVT XII.

De Portario.

PORTARIVS vnus cum ſuo iuniore annum aut ampliùs, ſi Epiſcopo, vel ei qui ſub eo eſt, placuerit, portas * clauſtræ, vel oſtia cuſtodiat. Qui portarius ſit frater probabilis vitæ, ſobrius, patiens, & ſapiens, qui ſciat reſponſum accipere & reddere: cui officium ſit portam Canonicorum cum ſumma obedientia & humilitate competenti tempore claudere, ac reſerare, vt nulli per eam niſi per licentiam aditus pateat intrandi aut exeundi. Cui etiam obſeruandum eſt, ne eis, quibus cura eſt, plus otiis vacare, quàm diuinis obſequiis incubare foras euagandi locum præbeat, & eorum nugarum (quod nefas eſt) particeps fiat.

*Clauſtri. S. Bened. cap. Ex hoc c. Concil. Aquiſgr. c. 143.

Debet præterea aduenientes quoque cum charitate ſuſcipere, & Priori aduentum eorum cauſamque nuntiare. Expleto namque veſpertino & completorio officio, obſeratíſque portis, claues earum idem portarius ei qui vicem Prælati tenet, ferat; vt nulli horis incompetentibus intrandi aut exeundi maneat facultas. Si verò inobediens aut proteruus idem repertus fuerit portarius, ſicut aliij miniſtri negligentes, iudicetur.

CAPVT XIII.

De eo quòd diligenter munienda ſunt clauſtra Canonicorum, in quibus dormiunt Canonici.

Cap. 117. eiuſdem Concil.

PRÆPOSITORVM curæ ſit, vt ſubditorum mentes ſanctarum Scripturarum lectionibus aſſiduè muniant, ne lupus inuiſibilis aditum inueniat, quo ouile Domini ingredi, & aliquam ouium ſubripere valeat. Et præterea neceſſe eſt, vt clauſtra, quo Clero ſibi commiſſo canonicè viuendum eſt, firmis vndique circumdent munitionibus, vt nul-

Digitized by Google

li omnino intrandi, aut exeundi, niſi per portam pateat aditus.

Sint etiam interiùs dormitoria, refectoria, cellaria, & cęteræ habitationes vſibus fratrum in vna ſocietate viuentium neceſſariæ. Omnes in vno dormiant dormitorio, præter illos, quibus Epiſcopus licentiam dederit, ſecundum quod ei rationabiliter viſum fuerit. Et in * ipſa clauſtra per diſpoſitas manſiones dormiant ſeparatim per ſingula lecta, mixti cum ſenioribus propter præuidentiam bonam, vt ſeniores præuideant quid iuniores ſecundum Deum agant. Et in ipſa clauſtra nulla fœmina introeat, nec Laïcus homo præter tantùm ſi Epiſcopus, aut Archidiaconus, vel Præpoſitus iuſſerint, vt in refectorio refectionis cauſa veniant, relictis armis ante refectorium. Et ſi neceſſe fuerit ad opera facienda ibi Laïci homines; * at vbi perfectum habuerint opus ſuum cum ſumma feſtinatione egrediantur foras. Et ſi cocci Clerici deſunt, & opus fuerit vt Laïci cocci, ad coccinandum tantùm ingrediantur, & expleto miniſterio ſuo cum celeritate exeant foras.

* ipſo clauſtro. S. Bened. c. 22.

* hic deeſt aliquid.

CAPVT XIV.

De his quæ à Clero in nocte de lecto ſurgente primùm dicenda, atque operanda ſunt.

NOCTVRNIS horis cùm ad opus diuinum de lecto ſurrexerit Clerus, primum ſignũ ſibi ſanctæ crucis imprimat per inuocationem S. Trinitatis: deinde dicat verſum: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*: deinde Pſalmum: *Deus in adiutorium meum intende*, totum cum gloria: & tunc prouideat ſibi corpoream neceſſitatem naturæ, & ſic ad Oratorium feſtinet pſallendo Pſalmum: *Ad te Domine leuaui animam meam*, cum ſumma reuerentia & cautela intrans, vt aliis orantibus non impediat; & tunc proſtratus in loco congruo effundat preces in conſpectu Domini, magis corde, quàm ore, ita vt illius vox vicinior ſit Deo, quàm ſibi, ita dicendo: Gratias tibi ago omnipotens Pater, qui me

Pſ. 50. 16. *Pſ.* 69. *Pſ.* 24.

Digitized by Google

dignatus es in hac nocte cuſtodire: & deprecor clementiam tuam, miſericors Domine, vt mihi concedas diem venturum ſic peragere in tuo ſancto ſeruitio, cum humilitate, & diſcretione, qualiter tibi complaceat ſeruitus noſtra. Amen.

Et tunc omnes ſint præparati ſtantes in loco ſuo in choro per ordinem, vt cùm nouiſſimum ſignum ceſſauerit, cum ſumma humilitate & honeſtate referant laudes Deo, in conſpectu Angelorum eius. Et ſi alicui frequens tuſſis, aut phlegma ex pectore aut naribus excreſcat, poſt dorſum projiciat, aut iuxta latus, cautè tamen & curiosè, vt infirmis mentibus non vertatur in nauſeam; & ſemper quod proiicitur pede conculcetur, vt cùm ad orationem curuantur, veſtimenta eorum non ſordidentur: & infra Eccleſiam, & in omni conuentu, ſeu & in portico, hoc obſeruandum eſt, vt quod ſpuitur ſemper pedibus conculcetur.

CAPVT XV.

De officiis diuinis in noctibus.

S. Bened. c. 8. HIEMIS verò temporibus, id eſt à Calendis Nouembris vſque in Paſcha, iuxta conſiderationem rationis, octaua horà noctis ſurgendum eſt, vt modicè ampliùs de media nocte pauſentur, & iam digeſti ad vigilias ſurgant. Poſt *Pſ.* 149. 5. finitas nocturnas dicant verſum: *Exultabunt ſancti in gloria.* *Pſ.* 67. 4. Aut, *Exultent iuſti in conſpectu Dei.* Deinde *Kyrie eleyſon*, & orationem Dominicam: & faciant interuallum, excepto diebus Dominicis & feſtiuitatibus Sanctorum, iuxta conſiderationem Epiſcopi, vel qui ſub eo eſt, id eſt, vt quadraginta aut quinquaginta pſalmos poſſint cantare, ſecundum quod S. Bened. vbi ſupra. viſum fuerit, & hora permiſerit; & qui pſalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi *inſerantur.

* inſeruiatur.

Et non præſumat aliquis in ipſo interuallo dormire, (niſi quem infirmitas cogit, & hoc per *commeatum fiat) & qui aliter fecerit excommunicetur. Reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant vſque ad Matutinas dictas. Et in ipſo interuallo ſummum ſilentium fiat tam in voce, quàm in actu, vel

* *In margine MS. hoc additur,* id eſt,

Digitized by Google

inceſſu, ſeu ſono alicuius rei, vt liceat vnicuique abſque alterius inquietudine peccata ſua cum gemitu & ſuſpirio & lacrymis Domino confiteri, & veniam vel remiſſionem pro ipſis ab omnipotente Domino orando & & petendo poſtulare. per licentiam.

CAPVT XVI.

De vigiliarum antiquitate.

ANTIQVA eſt vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus ſanctis. Iſaias dicit: *De nocte vigilat ſpiritus meus ad te Deus*: Item Dauid: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Hoc námque tempore *vaſtatus Angelus tranſiens primogenita Ægyptiorum percuſſit: vnde & nos vigilare oportet, ne periculis Ægyptiorum admiſceamur. Iiſdem etiam horis venturum ſe eſſe in Euangelio Saluator aſſeruit, vnde ad vigilandum auditores ſuos exſuſcitans dicit: *Beati ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Et ſi veſpertina hora*, inquit, *venerit, & ſi media nocte, & ſi galli cantu, & inuenerit eos vigilantes, beati ſunt quidem ſerui illi. Itaq; & vos eſtote parati, quia neſcitis quâ horâ filius hominis venturus eſt.* Si quidem nec verbis ſolùm docuit vigilias, ſed etiam confirmauit exemplo. Nam teſtatur Euangelium, quia *erat* IESVS *pernoctans in oratione Dei.* Paulus quoque & Silas in cuſtodia publica, circa medium noctis orantes hymnum audientibus cunctis vincti dixiſſe memorantur: vbi repente terræ motu facto, & concuſſis carceris fundamentis, & ianuis ſponte apertis, omnium vincula ſunt ſoluta.

Iſidor. offic. l. 1 c. 22 Et Conc. Aquiſgra. c. 129. *Iſa.* 26. *Pſ.* 118. *vaſtator. *Matt.* 24. *Luc.* 12. *Luc.* 6. *Act.* 16.

Vnde oportet his horis pſallendi orandíque frequentiam nos in ſanctis habere officiis, finémque noſtrum vel ſi aduenerit ſub tali actu expectare ſecuri. Eſt autem quoddam genus hæreticorum ſuperfluas æſtimantium ſacras vigilias, dicentium, noctem eſſe factam ad requiem, ſicut diem ad laborem. Hi hæretici græco ſermone Nyctages, hoc eſt, ſomniculoſi vocantur.

Digitized

CAPVT XVII.

De Matutinis.

Ibid. Iſidor. c. 23. Et Conc. Aquiſgr. c. 130. *Pſ.* 62. *Pſ.* 118. * varia apud Iſidor. Caſſian. De inſtit. cœnob. l. 3. c. 4.

DE Matutinorum antiquitate & authoritate Dauid dicit: *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus.* Et alibi: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* * In nouo teſtamento. Ex illo tempore quo Dominus noſter IESVS CHRISTVS in Bethleem naſci dignatus eſt, matutinæ ſolemnitatis officium per vniuerſum mundum celebrari inualuit. Matutina autem luce radiante Dominus & ſaluator noſter ab inferis reſurrexit: ſi quidem & eodem tempore cunctis ſpes futuræ reſurrectionis creditur, cùm iuſti quaſi à ſopore ſomni reſurgentes vigilabunt.

CAPVT XVIII.

De Hora prima.

f. * Clerici

CONVENIENTES * Cleri ad Primam canendam in Eccleſia, completo officio ipſo, ante pſalmum quinquageſimum, donent confeſſiones ſuas viciſſim, dicentes: Cõfiteor Domino, & tibi, frater, quod peccaui, in cogitatione, & locutione, & opere; propterea precor te ora pro me. Et ille reſpõdet: Miſereatur tui omnipotẽs Deus, & indulgeat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni malo, conſeruet te in omni bono, & perducat te ad vitam æternam. Et ille dicit, Amen. Supplici corde certatim pro ſe orantes, hoc ſibi faciunt. Hoc expleto conueniant ad Capitulum quotidie. Et ex iſta inſtitutione, quam propter illorum vtilitatem, Deo auxiliante, fecimus, in vnoquoque die aliquod capitulum, præter diem Dominicam, quartam, & ſextam feriam, & ſolemnitates Sanctórum, in quibus tractatus, & alias homilias, vel quod ædificet audientes, relegant. Et ideò quotidie ad Capitulum omnes * Cleros venire conſtituimus, vt anima verbum Dei audiat;

f. * Cleros.

Digitized by Google

audiat; & Episcopus, vel Archidiaconus, vel qui in loco illorum præesse videtur, ibidem quod iubere habet, iubeat, & quod corrigere, corrigat, & quod faciendum sit, ordinare studeat.

Post lectionem recitantur ætas mensis & lunæ, & nomina Sanctorum, quorum festa crastinus excipiet dies: & posteà pariter dicunt versum: *Prætiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Quem sequatur oratio à Priore, ita: *Ipsi & omnes sancti Dei intercedant pro nobis peccatoribus ad Dominum, vt mereamur possidere vitam æternam, Amen.* Deinde dicatur versus: *Deus in adiutorium meum intende*, tribus vicibus, Priore incipiente, & cæteris respondentibus; subiungentes, *Gloria Patri, &c.* Et posteà, *Kyrie eleyson*, & oratio Dominica. Deinde, *Et ne nos inducas in tentationem*, &c. *Et veniat super nos*, &c. *Respice in seruos tuos*, pariter vsque in finem psalmi: subiungentes *Gloria.* Deinde Prior dicit: *Dirigere, & sanctificare, & custodire digneris, Domine Iesu Christe fili Dei viui, hodie corda, & corpora nostra, & sensus nostros, in via, & in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum; & pedes nostros dirige in viam pacis, in viam salutis, in viam iustitiæ tuæ, vt hic & in perpetuum, te adiuuante, salui esse mereamur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per infinita sæcula singulorum, Amen.* Deinde, *Adiutorium nostrum*, &c. Respondent alij: *In nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Post hæc, qui culpabilis est, postulet veniam, & secundùm modum culpæ iudicium recipiat. Quisquis verò veniam postulat pro culpa, quantùm plus se humiliat, & se culpabilem asserit, tantùm misericorditer ac leuiùs à Priore iudicetur: necesse est enim vt omnes nostræ negligentiæ, id est cogitationum, linguæ, vel operis, in præsenti vita per veram confessionem & humilitatem semper iudicentur, vt non post mortem reos nos faciant.

Ps. 115. 15.

Ps. 89. 16.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

De opere manuum quotidiano.

SVRGENTES à Capitulo vadant aut ſimul aut ſeparatim ad opus ſibi iniunctum, vt ratio præſtat, cuſtodientes ſilentium, decantent pſalmos ſuos aut bini aut ſinguli, iuxta quod congruum eſt, nihil aliud loquentes, niſi fortè de ipſa arte neceſſe fuerit dicere cautè. Et quando incœperint opus ſuum dicant: *Benedictus es Domine Deus qui adiuuiſti me & conſolatus es me*, Amen. *Miſereatur noſtri omnipotens Deus*, Amen. Et quando opera communia non eſt neceſſe facere, vnuſquiſque quod opus habet, faciat; quia [Otioſitas inimica eſt animæ.]

B. Bened. Reg. c. 35.

S. Bened. Reg. c. 48

CAPVT XX.

De Horis diei.

HORAM [tertiam, & ſextam, & nonam, Daniel & tres pueri ſupplicationibus Domini deuouerunt. Scilicet vt ab eo ortu diei in tempus ſupplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reuerentiam declararent.] In hora tertia Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos. In ſexta hora Chriſtus paſſus eſt. In nona hora emiſit Spiritum.

Concil. Aquiſgra c. 126. Ex Iſidor. l. 1. c 19. Offic.

CAPVT XXI.

De Hora Veſpertina.

VESPERTINVM diurni finis officium, ſequitur & diurnæ lucis occaſus: cuius ex veteri Teſtamento ſolemnis eſt celebratio. Teſtis eſt Dauid, qui dicit· *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Eleuatio manuum mearum ſacrifi-*

Ibid. c. 117 Ex eodem c. 20. Pſ. 140.

Digitized by Google

cium veſpertinum. In nouo Teſtamento, eodem tempore Dominus & ſaluator noſter cœnantibus Apoſtolis myſterium corporis & ſanguinis ſui tradidit. His temporibus in honore ac memoria tantorum ſacramentorum adeſſe nos decet Dei conſpectibus, & perſonare in eius cultibus & laudibus.

CAPVT XXII.

De Completis.

DE Completis celebrandis in Patrum inuenitur exemplis, Dauid dicente: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Nos autem ſi locus Domini eſſe volumus, & tabernaculum & templum eius cupimus haberi, exempla Sanctorum imitemur: ne de nobis dicatur quod legitur: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.*

Pſ. 131. 3. *& ſeq.* Ibid. c. 128 Ex eodem c. 21. *Pſ.* 131. *Pſ.* 75.

CAPVT XXIII.

De recepto ſilentio poſt Completum.

EXPLETO Completo ſummum ſilentium fiat, & orationes ſecretè fiant cum recordatione peccatorum: & poſteà gratias agant Deo, dicendo: Gratias ago tibi, Domine, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die cuſtodire: per tuam ſanctam miſericordiam concede mihi hanc noctem mundo corde & corpore ſic pertranſire, qualiter mane ſurgens, gratum tibi ſeruitium exoluere poſſim, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et cum magna cautela ambulent in Eccleſia & in dormitorio; & cùm ad proprium ſtratum venerint, dum ſe collocauerit Clerus, dicat pſalmum: *Deus in adiutorium meum intende*, totum cum gloria: & poſt dicat verſum: *Pone Domine* *Pſal.* 69. *Pſ.* 140. 3.

Digitized by Google

cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Sicut mane ſurgens poſtulauit ſibi labia à Domino aperiri, ſic requieſcens roget poni ori ſuo à Domino cuſtodiam.

CAPVT XXIV.

De eo quòd horas Canonicas Canonici religiosè obſeruare debent.

Concil. Aquiſgra. c. 131.

STVDEANT ſummoperè Canonici prædictas horas vigilãtiſſimâ curâ cuſtodire, & in his diuinum officium humiliter ac deuotè perſoluere: mox enim vt auditum fuerit ſignum, feſtinanter ad Eccleſiam conuenient, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus; ſic tamen vt non *pereant, & ſi longè ab Eccleſia aliquis fuerit, vt ad opus Dei per horas canonicas occurrere non poſſit, agat opus Dei cum tremore diuino vbi tunc fuerit. Et præuideat cuſtos Eccleſiæ, vt illa ſigna horis competentibus ſonentur. Et caueant Canonici, vt non pompaticè, aut inhoneſtè, aut incompoſitè, aut ſuperbè intrent, aut ſtent aut ſedeant, in Eccleſiam.

f. * prætereãt, *ſupple*, horas conſtitutas.

Vt in reg. S. Bened. c. 50.

CAPVT XXV.

De diligentia pſallendi.

S. Bened. Reg. c. 19.

VBIQVE credimus diuinam eſſe præſentiam, & oculos Domini ſpeculari bonos & malos, maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum aſſiſtimus: ideo ſemper memores ſimus quod ait Propheta: *Pſ.* 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et iterum: *Pſ.* 46. *Pſallite ſapienter.* Et, *Pſ.* 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Ergo conſideremus qualiter oporteat in conſpectu diuinitatis & Angelorum eius eſſe, & orare; & ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ. * Nam ſi cum bonis hominibus, vel potentibus, volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate & reuerentia; quantò

* S. Ben. ibid. c. 20.

magis Dominus vniuerſorum à nobis cum humilitate & puritate ſupplicandus eſt?

CAPVT XXVI.

De eo quòd non pompaticè ſtandum eſt in Eccleſia.

MOx autem audito ſigno omnes Canonici feſtinent ad Eccleſiam; & non pompaticè, aut inhoneſtè, vel incompoſitè, ſed cum Dei timore ingrediantur eam. Nec cum baculis, aut* camputis, aut fuſtibus in choro, exceptis debilibus, ſed religioſè illis ſtandum & pſallendum eſt. Sunt enim quidam Clericorum, qui in ſæcularibus negotiis & diſceptationibus penè totum infatigabiliter deducunt diem, & mox vt Eccleſiam ad diuinum officium peragendum intrauerint, ita fatigati videntur, vt nec orationi vacare, nec ad pſallendum ſtare queant, ſed potiùs ſedentes, non diuinis, ſed vanis ſolent inſtare loquelis, & ſecularia verba, & (quod dictu nefas eſt) turpia & obſcœna inuicem proferunt. Oportet namque vt ab his qui id faciunt, & ab illis qui eos fortè imitari volunt, iſte execrabilis vſus radicitus euellatur, ſecundum ſententiam Domini dicentis: *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Concil. Aquiſgra. c. 131.

* cãbucis.

Matt. 21.

CAPVT XXVII.

De proficiſcentibus in itinere.

QVICVMQVE ex Clero in itinere cum Epiſcopo, vel cum alio, proficiſcuntur, ordinem ſuum, in quantum iter vel ratio permiſerit, non negligant. Et non eos debent præterire horæ conſtitutæ, tam de officiis diuinis, quàm aliunde.

S. Bened. Reg. c. 50.

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

De his qui in quibuſdam leuioribus culpis delinquunt.

Exc. 46. eiuſdem. SI quis ex Clero ad opus Dei vel ad menſam tardè occurrerit, aut pro aliqua cauſa ſenior ſuus pſalmodiam vel Miſſas cantare ordinauerit, & hoc minimè impleuerit: & ſi fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliquid exceſſerit, & non veniens continuò ante Epiſcopum, aut ante eos qui ſub eo ſunt, ipſe vltrò ſatisfecerit, vel celauerit delictum ſuum, dum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi: nam ſi ipſe ſponte confeſſus fuerit, leuiori ſubiaceat emendationi, ſecundũ modum culpæ: qui modus correptionis in Epiſcopi, aut in illius iudicio qui ſub eo eſt, pendeat,

* Exc. 24. * Qui in leuioribus culpis deprehenſus fuerit, in illa die priuetur à menſę participatione, & in oratorio pſalmum, aut antiphonam non imponat, nec lectionem recitet. Refectionem cibi poſt Clerorum refectionem accipiat; vt ſi verbi gratia Cleri reficiunt horâ ſextâ, ille nonâ, ſi Cleri nonâ, ille veſperâ.

CAPVT XXIX.

De grauioribus culpis.

SI quis Clericus de ordine Canonico grauioris culpæ crimen commiſerit, id eſt, homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his ſimilia ex principalibus vitiis, corporali caſtigationi ſubiaceat primitus. Deinde quanto tempore voluerit Epiſcopus, vel qui ſub eo ſunt, carcere,

f. * puniatur. velexilio * patiatur, ſciens illam terribilem ſententiam Apoſtoli Domini dicentis: *Tradere huiuſmodi hominem in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.* Et dum in ipſo carcere fuerit, nullus ei ex Clero in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio, niſi cui Prior iuſſerit: & hic

1. Cor. 5.

Digitized by Google

ſolus perſiſtet in pœnitentia luctuum, quamdiu Priori viſum fuerit.

Egreſſus de carcere, ſi Epiſcopo, vel his qui ſub eo ſunt, viſum fuerit, agat adhuc publicam pœnitentiam, id eſt, ſuſpendatur ab oratorio, ſimul & à menſa; & omnibus horis Canonicis veniat ante oſtium Eccleſiæ, vbi Prior iuſſerit, iacens proſtrato omni corpore ſuo, ante ipſum limitem Eccleſiæ vſque dum ingrediuntur omnes, & poſteà eriget ſe, ſtet foras Eccleſiæ ante ipſum oſtium, & impleat ibi officium ſuum, in quantum poteſt; & iacens, vel ſtans ante ipſum limitem, cum nullo homine *. Egredientibus de Eccleſia, ſimiliter proſtratus iaceat, vſque dum omnes fuerint egreſſi foras.

Hic nonnihil deeſſe videtur, *velut* loquatur *ſeu* fabuletur.

De abſtinentia quandiu vel qualiter Epiſcopo, vel his qui ſub eo ſunt, viſum fuerit, menſurâ, vel horâ, quâ ei viderint competere, neque à quoquam benedicatur, vſque dum reconcilietur.

---

* CAPVT XXX.

De reconciliatione pœnitentis capitale crimen.

ORDO pœnitentiam agentis publicam hic eſt: ſuſcipies eum quartâ feriâ mane in capite Quadrageſimæ, id eſt in capite ieiuniorum, & cooperies eum cilicio, & orabis pro eo; & includes eum vſque in Cœnam Domini: qui eodem die præſentetur in gremio Eccleſiæ; qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Epiſcopum, vel Clerum, cum omni humilitate proſtrato omni corpore ſuper terram ante abſidam, petat ab omnibus veniam; & Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, det orationes ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cœnę Domini.

Digitized by Google

CAPVT XXXI.

De Confeßionibus.

Pſ. 36. 5. Pſ. 105. 1. Pſ. 31. 5. Pſ. 31. 6. Iac. 5. 16. Pro. 28. 13. HORTATVR nos ſcriptura dicens: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum.* Item dicit: *Confitemini Domino quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Item: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non abſcondi.* Item: *Confitebor aduerſus me iniuſtitias meas Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Et iterum: *Confitemini alterutrum peccata veſtra,* & deleantur. Et alibi: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem ea confeſſus fuerit, ſaluabit animam eius à morte.* Matt. 3. 2. Et Dominus in Euangelio ait: *Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Neceſſe eſt, vt dum modò ſuadente diabolo multa contra voluntatem & præceptum Dei commiſimus, per veram humilitatem & confeſſionem emendemus pœnitentes, ſicut ſancti Patres conſtituerunt: & deinceps cùm aliqua cogitatio mala in cor, ſuadente diabolo, venerit, citò Epiſcopo, vel Priori confiteatur; vt per veram confeſſionem & pœnitentiam, regnum Dei habere mereamur. Nimis enim improbus eſt, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubeſcit.

CAPVT XXXII.

Ordo ad Pœnitentiam accipiendam, & Confeßionem faciendam.

HÆc eſt ratio pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus eius à nobis pariter agendæ ſunt, id eſt, in vno quoque anno tribus vicibus, id eſt in tribus Quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo ſacerdoti faciat, & qui plus fecerit, meliùs facit. Monachi in vno quoque ſabbato confeſſionem faciant, cum bona voluntate, Epiſcopo aut Priori ſuo. Quando volueris confeſſionem facere

facere peccatorum tuorum, viriliter age, & noli erubescere, quia inde venit indulgentia; & sine confessione non est indulgentia.

Imprimis prosterne te humiliter in conspectu Dei in terra ad orationem, & roga Beatam Mariam cum sanctis Apostolis, & Martyribus, & Confessoribus, vt ipsi intercedant pro te ad Dominum, & Deus omnipotens dignetur tibi dare sapientiam perfectam, & scientiam, & intelligentiam veram, ad confitendum peccata tua. Et postea surge cum fiducia, & vera crdeulitate, & dic illi: Serue Dei, credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ?

Respond. Credo.

Interrog. Credis in Patrem & Filium & Spiritum sanctum?

Respond. Credo.

Int. Credis quòd istæ tres personæ, quomodo diximus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres personæ sint, & vnus Deus?

Respond. Credo.

Int. Credis quòd in ipsa carne in qua nunc es, recipere habes quod egisti, & quod egeris siue bonum siue malum?

Respond. Credo.

Int. Credis resurrectionem & vitam æternam esse tibi post mortem?

Respond. Credo.

Int. Vis dimittere omnia mala illis omnibus qui in te peccauerunt, vt Deus dimittat tibi omnia peccata tua? dicente eodem Domino in Euangelio: *Si remiseritis hominibus peccata eorum, remittentur vobis peccata vestra.* *Mat.* 18. 35.

Respond. Volo.

Et postea require eum diligenter, si sunt secum opera mala, quæ separant hominem (vt ait Apostolus) à regno Dei. Hæc sunt mala cogitatio, malus sermo & otiosus, odium, inuidia, detractio, maledictio, conuitium, turpiloquium, scurrilitas, dissimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, desidia, pigritia, inhonoratio, bonorum inhonoratio, cognatorum inhonoratio, dierum Dominicorũ & Sanctorum solemnitatum ignorantia, iracundia, auaritia, falsa,

teſtificatio, ſomnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comeſſatio, fornicatio, adulterium, ſacrilegium, ſuperbia, periurium, furtum, homicidium, & his ſimilia. Et poſtquam confeſſus fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea, da ei pœnitentiam, & ſi non vult, non da ei pœnitentiam, quia non potes: & ſi vult dimittere ipſa peccata, fac ei confiteri ea, & ad vltimum dicere: Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus; tunc da illi pœnitentiam canonicè menſuratam; & poſteà effunde ſuper eum orationes & preces.

Cauendum eſt vtique ne hi qui in grauibus peccatis incidunt, & hi qui in leuioribus quibuſdam delinquunt, æqualiter iudicentur, ſed ſecundum morbum adhibenda eſt medicina.

CAPVT XXXIII.

*De *communicatione culparum.*

* Excommunicatione.

SI quis Clericus contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut ebrioſus, aut detractor, aut rebellis, aut bilinguis, aut fornicator, aut contradictor, aut contentioſus, aut raptor, aut fur, aut murmurator, aut increpator, aut indicti ieiunij tranſgreſſor, aut iuxta crucem ſtandi & adorandi contemptor, aut * in aliquod contrarium conſiſtens, aut præceptis Epiſcopi, vel eorum qui ſub eo ſunt, contemptor fuerit, ſuâ voluntate veniam non petierit, hic ſecundum Domini præceptum admoneatur ſemel, & bis, & ter ſecretò à ſenioribus ſuis; & ſi ſe non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque ſic ſe correxerit, excommunicationi ſubiaceat. Si autem improbus eſt, aut minus intelligens, aut incorrigibilis, vindictæ corporali ſubdatur.

* in aliquo cõtrarius. Vt fert regula S. Bened. c. 23.

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

De Quadrageſimæ obſeruationibus.

LICET omni tempore vita Chriſtianorum ſimplex debeat eſſe & ſobria, maximè tamen religioſis mentibus conuenit, vt his diebus continentiùs viuant, & ſedulâ ſeruitute adhærere Deo contendant. Ideóque decernimus, vt in illis quadraginta diebus ante Paſcha, cum omni puritate mentis & corporis noſter Clerus, Deo iubente, in quantum poterit, ſe cuſtodiat. De cibi autem & potus perceptione, in quantum Deus auxilium dederit, parcitatem habeat, id eſt, vt quotidie, exceptis diebus Dominicis, à capite Quadrageſimæ, vſque ad Paſcha ſanctum, poſt dictam veſperam in refectorio reficiat, & ab illis cibis ſe abſtineat vel potu, ſicut Epiſcopus vel qui ſub eo ſunt cum ratione conſtituerint. Et alibi neque in ipſa ciuitate, neque in Monaſteriis, neque in quibuſlibet locis, neque in domibus propriis, his quadraginta diebus reficiant, niſi vbi horâ competente ad cibum ſuum accipiendum pro vtilitatis cauſa longè fuerint, & adeſſe cum fratribus non potuerint.

Lectioni verò Clerici in his quadraginta diebus, exceptis diebus Dominicis ſuis, à primâ dictâ vſque ad tertiam plenam vacent, & foras clauſtra, niſi neceſſe fuerit, non egrediantur, niſi Epiſcopus, aut qui ſub eo eſt, iudicauerit vt fiat, quod fiendum eſt. Et poſt tertiam tunc temporis Capitulum habeant, & poſteà faciant quod congruum fuerit, ſiue in legendo, ſiue in operando.

CAPVT XXXV.

De temporibus in quibus ſemel aut bis in die Clericis reficiendum eſt.

A Paſcha autem vſque ad Pentecoſten bis in die Canonici reficiant, & carnem manducandi licentiam ha-

Digitized by Google

beant (niſi pœnitentes) præter tantùm quartam ſextámque feriam. A Pentecoſte verò vſque ad natiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtę, ſimiliter bis in die reficiant, & carne abſtineant. A natiuitate verò ſancti Ioannis vſque ad tranſitum ſancti Martini, ſicut antea bis in die reficiant, quartâ & ſextâ feriâ à carne abſtineant.

Ab ipſo tranſitu ſancti Martini vſque ad natalem Domini à carne omnes abſtineant, & vſque ad nonam ieiunent: & omnibus his diebus in refectorio reficiant. Et poſt natalem Domini vſque caput Quadrageſimæ ſecundâ & quartâ, & ſextâ feriâ, in refectorio ad nonam reficiant. Reliquis his diebus duabus vicibus in refectorio reficiant. A carne verò quartâ, & ſextâ feriâ his temporibus abſtineant. Et ſi dies feſtus in his diebus feriis talis venerit, ſi permiſerit Prior, carnem manducent pro infirmitate.

CAPVT XXXVI.

De feſtiuitatibus Sanctorum.

ILLVD intimare complacuit, vt nos & Clerus noſter, feſtiuitatibus Domini, & ſanctæ Mariæ, vel duodecim Apoſtolorum, ſeu reliquorum Sanctorum, quorum vſus eſt in iſta prouincia, annis ſingulis celebrare, (in quantum Deus poſſibilitatem dederit) officium diuinum die noctúque procuremus. Et Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, in Natiuitate & Epiphania Domini, & Paſcha, & clauſo Paſchæ, & Aſcenſione Domini, & Pentecoſte, & feſtiuitatibus Sanctorum prouinciæ ſuæ, in domo ſua ad ipſos * Cleros refectionem faciat, ſi præſens eſt, & ſi abſens eſt, his diebus tunc in refectorio habeant refectionem ſufficienter, ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt. Et poſtquam de refectorio exierint, in caminada bibant duabus vicibus aut tribus, qualiter conſolatio ſit, & ebrietas non dominetur.

*Clericos

Aliis verò diebus feſtis, ſicut moris eſt Eccleſiæ, iuxta quod melius Prælati poſſunt, Clericis ſuis cibum potúmque miniſtrent. Et illud interea caueant Prælati, ne id quod da-

Digitized by Google

debent, aut possunt, qualibet dissimulatione, aut tenacitate, subditis subtrahant, ne paupertatis occasione compulsi per diuersa vagari, ac se turpibus implicari negotiis cogantur; relictóque Ecclesiastico officio, incipiant indisciplinatè viuere, & propriis voluptatibus deseruire: & Prælati, qui eis necessaria largiendo à Domino remunerari poterant, districtè & seuerè iudicentur.

CAPVT XXXVII.

Vt non præsumat aliquis alterum cædere aut excommunicare.

VITETVR in hoc ordine Canonico omnis præsumptionis occasio, id est, vt nulli liceat quemquam parem suum excommunicare, aut cædere, quamuis aliquis sua præsumptione ipsum ad hoc incitet: non est suum aduindicare, aut in verbis, aut in factis, sed ad Priorem veniat, & ille secundum ordinem ipsam causam definiat. Et qui hoc facere præsumpserit, ab Episcopo, vel ab eo qui sub eo est, iudicetur. Ex Reg. S. Bened. c. 70.

CAPVT XXXVIII.

Vt in congregatione Canonicorum nulli liceat alterum defendere.

OMNIBVS modis cauendum est, vt pro nulla occasione alter præsumat alium defendere, nec quasi parentelæ obtentu, aut aliquâ amicitiâ, aut familiaritate, id à Canonicis præsumatur: quia grauis occasio scandalorum in congregatione ex hac causa solet oriri. Quod si quis transgressus fuerit, à Priore acriùs coerceatur, vt cæteri timorem habeant. Ibid. c. 69.

gitized by Google

CAPVT XXXIX.

De zelo bono quem debent ſerui Dei habere inuicem.

Ibid.c.72. SICVT eſt zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & deducit ad infernum; ita eſt zelus bonus, qui ſeparat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruentiſſimo amore exerceant ſerui Dei: id eſt, vt honore ſe præueniãt inuicem, & infirmitates ſuas ſiue corporũ ſiue morum, patientiſſimè tolerent. Et ſi qua vitia reperta fuerint, reprimenda ſunt, & caſtigatio adhibenda eſt, cum his à quibus hoc eſt commiſſum (vt ait Apoſtolus) * exiſtant, qualiter vitia ſi orta fuerint poſſunt deſtruere, & ad meliorem ſtatum vnumquemque prouocare: quia ſcriptum eſt: *Qui diligitis Dominum odite malum. Nam qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* Nam ille animam ſuam bene diligit, qui ſe cuſtodit, & alios ad exemplum bonæ conſeruationis, & verbis, & operibus tradit.

* *Hîc deeſt aliquid.*

Pſ.96. 10.

CAPVT XL.

De infirmis Canonicis.

S. Bened. c. 36. SI aliquis ex Clero infirmatur, Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, habeat maximam curam de illo; & caueat ne negligatur infirmus; ſed ſicut reuera Chriſto, ita ei ſeruiatur. Quibus infirmis ſint manſiones deputatæ rationabiliter diſpoſitæ, condignæ, aptæ, vbi eſſe poſſint: & ſit vnus ex Clero deputatus timens Deum, qui circa infirmum maximam curam gerat de omnibus neceſſitatibus eius: & habeat ſolatium ſi opus eſt, iuxta quod conſtituerit Prior: & ſciat ſi bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi à Deo acquiri.

Sed & ipſe infirmus conſideret in honore Dei ſibi ſeruiri, & non ſuperfluitate ſua contriſtet ſeruientem ſibi. Et hoc indicendum eſt, quòd infirmo licet omni hora cibum & po-

Digitized by Google

tum ſumere, quando deſiderauerit, vel* poſſit, ſi oportunè non * poſſit.

*poſcit

CAPVT XLI.

De veſtimentis & calceamentis Clericorum.

ILLA dimidia pars Cleri, qui ſeniores fuerint, annis ſingulis accipient cappas nouas, & veſtes laneas nouas, & veteres, quas præterito acceperunt, ſemper reddant, dum accipiunt nouas. Et alia pars dimidia Cleri, illas cappas & veſtes veteres, quas illis ſeniores ſui ſingulis annis reddunt, accipiant. Et illi ſeniores illas cappas & veſtes, quas reddere debent, non commutent. Et vnuſquiſque Cleri ſenioris annis ſingulis tres* campſiles accipiunt: & vnuſquiſque Cleri iunioris annis ſingulis duas campſiles accipiunt. Calceamenta verò omnis Clerus annis ſingulis, pelles buccinas, & *ſolas, paria quatuor accipiunt. Et veſtimenta in tranſitum ſancti Martini, & campſiles in Paſcha, & calceamenta in Calendis ſeptembribus habeant.

*f. Hſic femoralia intelligit Author.

*Soleas.

CAPVT XLII.

De eleemoſynis accipiendis.

SI aliquis vni ſacerdoti pro Miſſa ſua, vel pro Confeſſione, aut Clerico pro pſalmis, & hymnis, ſeu pro ſeipſo, vel pro quolibet charo ſuo, aut viuente, aut mortuo, aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc Sacerdos, vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat. Si autem à tribuente ad omnes ſacerdotes aliquid in eleemoſyna datum fuerit, hanc eleemoſynam communem habeant, & pſalmodiam, vel Miſſas pro illo miſericorde faciunt.

Digitized by Google

CAPVT XLIII.

De menſura Sacerdotibus de eleemoſynis accipienda, facienda.

NIMIS graue eis eſſe exiſtimamus, ſi tam ingentium onera peccantium ſolis illis Sacerdotibus contigerit portare, quia faciliùs Dei miſericordiam plures impetrant, quàm vnus, quia vnuſquiſque de propria conſcientia ſua debet metuere, quantò magis de alienis peccatis ſupra vires non debet ſibi ſarcinam peccatorum cumulare?

CAPVT XLIV.

De cura quam in populo ſibi commiſſo debent habere Clerici.

CAVENDVM nobis eſt, ne in periculum per noſtram negligentiam, vt ita dixerim, abſque Baptiſmo, & Confirmatione, & Confeſſione, & prædicatione, in quadam ſecuritate poſitus incurrat noſter populus: Vnde conſtituimus, vt bis in menſe per totum annum, de quinto decimo, in quinto decimo, verbum ſalutis ei prædicetur, qualiter ad vitam æternam, Deo auxiliante, perueniat. Et ſi omnibus feſtis & Dominicis diebus aſſidua fuerit prædicatio, vtilior eſt: & iuxta quod intelligere vulgus poſſit, ita prædicandum eſt.

CAPVT XLV.

Cui committi debeant ſtipendia pauperum.

Concil. Aquiſgra c. 141.

EVANGELICIS atque Apoſtolicis inſtruimur documentis, in colligendis hoſpitibus: & ideò ante omnia operam debere dare, vt meritò de nobis à Domino dicatur:

Hoſpes

Hoſpes fui & collegiſtis me. Proinde oportet vt Prælati, Eccleſiæ præcedentium Patrum exempla ſectantes, aliquod præparent receptaculum, vbi pauperes colligantur, & de rebus Eccleſiæ tantum ibidem deputent, vnde ſumptus neceſſarios iuxta poſſibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Eccleſiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleemoſynarum oblationibus, in vſus pauperum decimas libentiſſimè ad ipſum conferant hoſpitale. Et boni teſtimonij frater conſtituatur, qui hoſpites, & peregrinos mendicantes, vt pote Chriſtum in illis ſuſcipiat; eíſque neceſſaria libenter pro viribus adminiſtret: qui etiam ea quæ in vſus pauperum cedere debent, nequaquam in ſuos vſus reflectat, ne cum Iuda loculos Domini furante ſententiam damnationis excipiat. *Mat.25.35*

Et Prælati cauere debent, ne curam pauperum paruipendant. Et Clerici, ſi aliis temporibus nequeunt, ſaltem quadrageſimali tempore, pedes pauperum in competenti lauare debent hoſpitali, iuxta illud Euangelicum: *Si ego Dominus & Magiſter laui vobis pedes, quantò magis vos debetis alter alterius lauare pedes*, & cætera. Quapropter expedit, vt in competenti loco hoſpitale ſit pauperum, vbi perfacilis ad illud veniendi conuentus fieri poſſit fratrum. Quòd ſi is, cui hoſpitale commiſſum eſt, curam pauperum neglexerit, eorúmque res in ſuos vſus retorſerit, quanquàm diuina vltione dignus ſit, ſeueriús tamen quàm cæteri dilinquentes à Præpoſitis iudicandus, & à miniſterio remouendus: nec immeritò, quippe qui & pretia peccatorum, & alimenta pauperum, & theſaurum cœlo recondendum ſuis aptauit vſibus. *Ioan.13.14.*

CAPVT XLVI.

De Præpoſitis.

QVAMVIS omnes qui pręſunt Prępoſiti ritè dicãtur, vſus tamen obtinuit eos vocari Præpoſitos, qui quandam prioratus curam ſub aliis Prælatis gerunt. Hi tamen qui iuxta morem hunc Prępoſiti vocantur, tales & tam ſtrenui con- *Concil. Aquiſgra. c. 139.*

ſtituendi ſunt, qui vitæ probabiles ſint, & ea quæ ſibi iniuncta ſunt, fideliter humilitérque expleant; & pro eo quod aliis Prælati ſunt, nequaquam paruipendent canonica inſtituta, ſed quantò plus implicantur in fratrum curis, tantò magis ſtudeant cœleſtibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi vtiles eſſe, & de miniſterio ſibi commiſſo fideliter prodeſſe. Ea verò quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore oportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli adminiſtratione gradum bonum ſibi acquirant.

CAPVT XLVII.

Quales vice Prælatorum in Congregatione *fungi debeant.*

Ibid. c.138 Ex Reg. B. Bened. c.21.64.65

OPORTET Eccleſiæ Prælatos, vt de Congregatione ſibi commiſſa tales eligant boni teſtimonij fratres, in quibus onera regiminis ſecurè poſſint partiri. Quibus etiam talem conferant dignitatem, vt vice illorum fungentes, & inobedientes canonicâ cenſurâ corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant prouocare. Non conſtituendi ſunt perſonaliter, aut eo ordine, quo in collegio fratrum admiſſi ſunt, ſed ſecundum vitæ meritum, & ſpiritalium donorum prærogatiuam: qui & in congregatione aſſidui ſint, & fratrum curam peruigili ſtudio gerant; & ſicut alios præcedunt magiſterio, ita nimirum innocentis vitæ informent exemplo, vt iuxta Apoſtolum, exemplo ſint cæteris in verbo, in conuerſatone, in charitate, in fide, & caſtitate, &c.

1. *Tim.* 4.

Qui etiam, ſi priorandæ ſuæ causâ inrumeſcere cœperint, & curę fratrum *nihil propenderint, & ſi crebrò incorrigibiles extiterint, à miniſterio propellantur, aliíque in loco illorum, qui ſtrenuè peragere poſſint, conſtituantur.

al. * nihili penderint

Digitized by Google

CAPVT XLVIII.

De pueris nutriendis cuſtodiendíſque.

SOLERTER Rectores Eccleſiarum vigilare oportet, vt pueri & adoleſcentes, qui in congregatione ſibi commiſſa nutriuntur, vel erudiuntur, ita iugibus Eccleſiaſticis diſciplinis conſtringantur, vt eorum laſciua ætas, & ad peccandum valde procliuis, nullum poſſit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in huiuſcemodi cuſtodiendis, & ſpiritaliter erudiendis, talis à Prælatis conſtituendus eſt vitæ probabilis frater, qui eorum curam ſummâ gerat induſtriâ, eóſque ita arctiſſimè conſtringat, qualiter Eccleſiaſticis doctrinis imbuti, & armis ſpiritalibus induti, & Eccleſiæ vtilitatibus decenter parêre, & ad gradus Eccleſiaſticos quandoque dignè poſſint promoueri. Concil. Aquiſgra. c. 135.

Libuit prætereà ob ædificationem congruam, & inſtructionem negotij, de quo agitur, quandam ſanctorum Patrum ſententiam huic operi inſerere, quæ ita ſe habet: Prona eſt enim omnis ætas ab adoleſcentia in malum. Quiſquis autem in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos, non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & Magiſtrum doctrinę, & teſtem vitæ habeant, & cæteræ. His ita præmiſſis, oportet vt probatiſſimo ſeniori pueri ad cuſtodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater verò, cui hæc cura committitur, ſi eorum curam paruipenderit, & aliud quàm oportet docuerit, aut his aliquam cuiuſlibet læſionis maculam ingeſſerit, ſeueriſſimè correptus ab officio amoueatur; & fratri alij, hi committantur, qui eos & innocentis vitę exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet. Concil. Tolet. 4. c. 23.

Digitized by Google

CAPVT XLIX.

Vt omnes Canonici ad Completorium conueniant.

EXPLETIS religioſſimo obſequio horis competentibus diurnis officiis ab omnibus Canonicis, dato ſigno deuotiſſimè ad Completorium veniendum eſt, incipiente nocte: quo completo, non oportet vt epulis & potationibus, vaníſque inſeruiant loquelis, ſed his penitus poſt poſitis, humiliter & honeſtè dormitorium petant, & nequaquam duo in vno lecto, ſed ſinguli in ſingulis lectis quieſcant. * Lucerna quoque in eodem dormitorio noctis tempore iugiter ardeat. Nihil denique inhoneſtum, aut indecens in dormitorio geratur ab aliquo: nec quiſpiam aliquem inquietare preſumat, nec ad verba inutilia & otioſa prorumpere cogat. Huius capituli contemptor ſpecialiter à Prælatis & Magiſtris ſeueriſſimè corripiatur.

* Reg. S. Bened. c. 22.

CAPVT L.

De Cantoribus.

Concil. Aquiſgra. c. 137.

STVDENDVM ſummopere Cantoribus eſt, ne donum ſibi diuinitus collatum vitiis fœdent, ſed potiùs illud humilitate, & ſobrietate, & caſtitate, & cæteris ſanctarum virtutum ornamentis exornent: quorum melodia animos populi circumſtantis ad memoriam amorémque cœleſtium non ſolùm ſublimitate verborum, ſed etiam ſuauitate ſonorum, quæ dicantur, erigat. Cantorem autem, ſicut traditum eſt à ſanctis Patribus, & voce & arte præclarum illuſtrémque eſſe oportet, ita vt oblectamento dulcedinis animos incitent audientium, &c. Cantores itaque non propter donum ſibi collatum ſe cæteris ſuperbiendo præferant, ſed humiliter ſocios exhibeant. Et prouidendum eſt illis quando temperatè, quando ſubmiſsè

Digitized by Google

diuinum agatur officium ſcilicet: vt ſecundum numerum Clericorum, & officij qualitatem, & temporis prolixitatem, tantùm protendant, & voces moderentur cæterorum. Sonum etiam vocalium literarum bene & ornatè proferant.

Hi verò qui huius artis minus capaces ſunt, donec erudiantur meliùs, conuenit vt ſileant, quàm cantare volendo quod neſciunt, quia aliorum voces diſſonare compellant. Pſalmi námque in Eccleſia non curſim, aut in excelſis atque inordinatis, ſeu intemperatis vocibus, ſed planè & lucidè cum compunctione cordis recitentur, vt & recitantium mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur: quoniam quamuis cantilenæ ſonus in aliis officiis excelſa ſoleat fieri voce, in recitandis tamen pſalmis huiuſcemodi vitanda eſt vox.

Conſtituantur interea ſeniores fratres, probabilioris ſcilicet vitæ, qui tempore ſtatuto viciſſim cum Cantorum ſchola ſint, ne hi qui * diſcedere debent, aut otio vacent, aut inanibus, & ſuperuacuis fabulis inſtent. Si verò Cantores ſuperbi extiterint, & artem quam diuinitus adiuti didicerint, aliis inſinuare renuerint, grauiter ac ſeuerè iudicentur, vt emendati atque correcti, talentum ſibi à Deo quidem collatum, alijs erogare procurent.

f. * dicere.

CAPVT LI.

Quales ad legendum & cantandum in Eccleſia conſtituendi ſint.

TALES ad legendum, & cantandum, & pſallendum in Eccleſia conſtituantur, qui non ſuperbè, ſed humiliter, debitas Domino laudes perſoluant, & ſuauitate lectionis ac melodiæ doctos demulceant, & minus doctos erudiant; plúſque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à Magiſtris, & inſtructi hæc adimplere ſtudeant, vt audientes ædificent.

Ibid. c. 133.

Digitized by Google

CAPVT LII.

Modus correptionis.

Ibid.c.134 QVANQVAM contemptores canonicarum inſtitutionum Epiſcopali præcipuè iudicio plectendi ſint, iuxta modum culparum, vt ſupra retulimus, menſura extendenda eſt correptionũ. Et hæc omnia iure in Prælatorum pendent iudicio, quo diſcretiſſimè tẽperanda ſunt: neceſſe eſt enim, vt iidem Prælati circa delinquentes medici peritiſſimi imitentur factum, ſcilicet vt adhibitâ magnæ diſcretionis curâ, quid cuique congruat, quídue conueniat, adhibeãt: ſummopere perpendentes, vt iuxta quantitatem vulnerum, exhibeant fomenta curationum; quatenus nec alteri dent, quod noceat; nec alteri ſubtrahant, quod iuuet.

Omiſſis igitur his, quorum ætati delinquenti parcitum
*Eccl.*30.12 non eſt, ſed potiùs eorum latera ne indureſcant virgis aſſiduè tundenda ſunt: qualiter erga cæteros delinquentes iuxta authoritatem diuinam, & ſanctorum Patrum exemplum, traditionéſque id fieri oporteat, ſtrictim breuitérque oſtendatur.

Si quis fratrer in congregatione canonica conſtitutus horas canonicas frequentare neglexerit, Eccleſiámque non religiosè, ſed pompaticè, vel incompoſitè intrauerit, & opus Dei negligenter executus fuerit, ad collationem venire diſtuletit, obedientiam à Magiſtris ſibi iniunctam agere recuſauerit, in legendo & cantando, vel in cæteris Eccleſiaſticis diſciplinis, iuxta vires ſtudium non exhibuerit, ad menſam non neceſſitate, ſed vitio tardè occurrerit, è clauſtris ſine licentia exierit, per licentiam verò egreſſus extra conſtitutum ſibi placitum moras fecerit, in plateis ire, aut in biuiis reſidere tentauerit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhoneſtum, verbis, aut actibus perpetrauerit, alicubi niſi in dormitorio cum cæteris abſque cauſa ineuitabili dormire præſumpſerit, fratribus charitatis officio obedienter ſeruire neglexerit, diſcordiam quam ſcriptura Dei deteſtatur, inter

Digitized by Google

fratres ſeminauerit, & huic inſtitutioni contumax, aut ſuperbus, aut murmurans extiterit, & cætera huiuſcemodi agere tentauerit: hic primò ſecundum Domini præceptum non ſolùm & ſecundò, & tertiò, quinimò crebriùs admoneatur: & ſi his admonitionibus non ceſſerit, publica obiurgatione corripiatur. Quòd & ſi his reniſus fuerit, cæteris ſibi alimentis interdictis, pane tantùm vſque ad dignam ſatisfactionem vtatur & aquâ. Si verò nec ſic correxerit, ſeparetur à menſa, & à ſocietate fratrum, & à choro pſallentium remoueatur, & ſeorſim in loco huiuſcemodi negligentibus à Prælatis conſtituto ſtare cogatur, vt ſaltem rubore ſequeſtrationis emendetur.

Deinde ſi his modis incorrigibilis extiterit, & ætas permiſerit, vt ait Salomon: *Stultus verbis non corrigitur*, congrua ei verberum adhibeatur caſtigatio, ſecundum beati Gregorij ſententiam: Qui iubentis verba non audit, verberibus admoneatur; vt ad bona deſideria pœnæ trahant, quem præmia non inuitant. Cæterùm ſi talis fuerit, quem aut ætas, aut qualitas perſonæ verberari non ſiuerit, publica obiurgatione, & ieiuniorum continua afflictione, & ſequeſtrationis rubore huiuſmodi corripiatur, vſque dum dignâ pœnitentiæ ſatisfactione veniam conſequatur. Si verò vterque, & qui flagellatur, & quem flagellari ætas aut qualitas perſonæ prohibet, adhuc incorrigibiles extiterint, ſit locus intra clauſtra Canonicorum, ſicut multis in locis noſcitur eſſe, quoad tempus retrudantur; & ſecundum modum culpæ caſtigentur, ſecundum Apoſtolum: *Fraditi Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.* Quòd ſi etiam tot ſaluberrimis admonitionibus & caſtigationibus nec dum paruerint, * fiat pro eis ab omni congregatione communis oratio, vt poſtremò ſanentur à Domino. Si prorſus inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira ſerpant contagia, neceſſe eſt vt à cæterorum ſocietate, vt pote oues morbidæ, ſeparati, ante præſentiam deducantur Epiſcopi, vt ab eo canonicâ authoritate publicè damnentur. Si verò quis in collegio Canonicorum criminalem culpam admiſerit, huic nulla eſt danda dilatio, quin aut ſponte pœnitentiam pro admiſſo crimine gerat, aut ſi id agere reſultauerit,

Prou. 18.2

1. *Cor.* 5.5.

* S. Ben. Reg. c. 28.

coram Epiſcopo deducatur, vt ab eo publicâ multetur pœnitentiâ. Meminiſſe enim oportet Rectores, quòd columba in diuinis ſcripturis Eccleſia appellata eſt, quæ non vnguibus lacerat, ſed alis piè percutit. Vnde etiam illis ſummopere obſeruandum eſt, vt ſicut præmiſſum eſt, iuxta modum culparum, & perſonarum, & ætatum, omninò ipſa correptio ſit temperata, vt nec vitium deſidiæ inoleſcat, nec correptio manſuetudinis modum excedat; ne (vt ait B. Maximus) aut ſolutior lenitas cohibentium licentiã præbeat peccanti, aut immoderata ſeueritas à lapſis non reuocet delinquentem.

Sed & hoc illis nihilominus cauendum eſt, ne errata delinquentium alicuius rei liuore feriant, ſed potiùs (vt ait B. Auguſtinus) ſint criminum perſecutores, & hominum liberatores. Oderint vitia, diligant homines. Oderint quod inſtinctu diaboli ingeſtum eſt, diligant quod Dei bonitate creatum eſt. Teneant in manu baculum, & virgam: baculum videlicet, quo aliorum virorum imbecillitates ſpiritaliter ſuſtentent; virgam verò quâ vitia delinquentium zelo rectitudinis feriant. Intereà delinquentibus excommunicatis fratribus, nequaquam debent cæteri fratres fauere, aut eos ſuis adulationibus decipere, aut eorum errata defendere, ſed potiùs opem ferre, vt æquitatis cenſurâ diſtrictè corrigantur.

CAPVT LIII.

Vt Canonici cucullas Monachorum non induant.

Concil. Aquiſgra. c. 125.

REPREHENSIBILEM apud plerósque Canonicos inoleuiſſe comperimus vſum, eo quòd contra morem Eccleſiaſticum cucullas, quibus ſolis Monachis vtendum eſt, induant, cùm vtique illorum habitum penitus vſurpare non debent, à quorum propoſito quodammodo diſtant; quia ſicut indecens eſt, vt arma militaria more Laïcorum geſtent, ita nimirum inhoneſtũ, & valde indecoroſum eſt, vt alterius propoſiti indumenta ſibi imponant. Habitus namque ſingulorum ordinum idcircò in Eccleſia ab inuicem diſcreti ſunt,

Digitized by Google

ſunt, vt his viſis cuius propoſiti ſit geſtans, vel in qua profeſſione Domino militet, liquidè cognoſcatur: nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem, prohibetur induere veſtem, ſcilicet vt vterq; ſexus ſibi conueniente veſte indutus incedat: ſicut enim turpe eſt virum veſtem muliebrem, & mulierem veſtem virilem induere, ita valde indecorum eſt, Canonicum veſtem Monaſticam induere; niſi tamen cum veſte etiam propoſitum voluerit aſſumere. Et quia huiuſcemodi vſus nulla authoritate approbatur, ſed potiùs ab his qui ſanum ſapiunt, meritò reprehenditur & repudiatur, oportet vt ab hinc ne fiat, penitus inhibitum ſit.

CAPVT LIV.

Vt in cultu veſtium diſcretionem teneant Canonici.

QVÆRERE potiùs Deum cultu cordis, quàm corporis, euidentibus ſcripturæ ſanctæ patet indiciis. Proinde caueant Canonici, ne per immoderatum cultum veſtium dehoneſtent Religionis dignitatem. Hieronymus dicit: Sunt quidam, quibus [omnis cura de veſtibus eſt, ſi bene oleant; ſi pes laxa pelle non foleat. Crines calamiſtri veſtigio rotantur; digiti de annullis radiant; & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cùm videris, ſponſos magis æſtimato, quàm Clericos.] Inde dicit Gregorius. [Nemo æſtimet in fluxu atque ſtudio veſtium peccatum deeſſe: quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet. Si cultus veſtium culpa non eſſet, nequaquam Paulus Apoſtolus per Epiſtolam fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: *Non in veſte pretioſa.*] Vnde oportet Canonicos ſanctæ authoritati parêre, & humilitatem corde, mente, actu, habitu, inceſſu, æquitate religioſiſſimè demonſtrare, plúſque velint ſancta conuerſatione, eximiíſque moribus, quàm ornatu veſtium fulgere.

Concil. Aquiſgra. c. 124.

Epiſt. ad Euſtoch. multò poſt med.

Homil. 6. in Euang. med.

1. *Tim.* 2. 9

Decet porrò, vt eorum talis ſit veſtium cultus, qui vanitatis occaſione careat: non enim ſpecialiter præſumi debet

Digitized by Google

ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus. Veſtes enim & calceamenta, vel lectualia Clericorum, ex moderato & habitu competenti ſint nec nimiùm nitida, nec plurimùm abiecta: nam ſicut, inter ignem & aquam tenenda eſt via, vt nec exuratur homo, nec demergatur; ſit inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ, iter noſtrum temperare debemus.

CAPVT LV.

Quòd à Prælatis gemina paſsio ſit ſubditis impendenda.

Concil. Aquiſgra. c. 123.

SOLERTER Prælatis ſatagendum eſt, vt eos quibus præſunt, verbis & exemplis ad bene viuendum informent; fixóq; corde tenendum, ne eos quaſi proprios, ſed vt Domini ſui gregem tractare meminerint, iuxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, paſce oues meas*, inquit, non tuas. Et hoc ideò dicimus, quia ſunt nonnulli, qui oues Chriſti non amore Chriſti, ſed ſuæ gloriæ, vel dominationis, vel quæſtus gratiâ paſcunt. Etenim terrena ſubſidia diligenter illis præbere, exempla virtutis ſimul cum verbo prædicationis debent ſollicitè impendere. Quapropter ſtudeat vnuſquiſque Prælatus, vt familiæ Chriſti annonam ſpiritalem carnalémque ſubminiſtret, vt effici mereatur ille Euangelicus ſeruus, de quo dicitur: *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore.*

Matt. 24. 45. Luc. 12. 42

Ergo ſicut ſubditis neceſſaria corporis tribuunt, ita nihilominus ſtudere debent, vt iidem religioſiſſimè ordinem ſeruent, & Prælatis ſuis, ac Magiſtris honorem debitum ſimiliter impendant. Vt horis Canonicis diuinum officium impleant: non otio vacent, non vaniloquiis inſeruiant, non detractionibus, & cæteris vitiorum illecebris incumbant; ſed potiùs aut orationi, aut lectioni aut quibuſlibet Eccleſiæ, aut certè propriis vtilitatibus vacent, aut etiam doctrinis ſacris, & diuerſarum artium erudiantur diſciplinis: ita videlicet, vt nullus in congregatione inutilis aut otioſus exiſtens, ſtipendia Eccleſiæ inofficiosè accipiat.

Digitized by Google

Hanc igitur geminam paſtionem Prælati ſibi commiſſis ouibus impendere inſtanter procurent, vt pote pro animabus eorum Domino rationem reddituri.

CAPVT LVI.

De familiaritate à Clericis mulierum extranearum deuitanda.

PRIMA quidem tentamenta ſunt, fœminarum frequenter acceſſus, & reprehenſibiles exhibent Clericos. Quid tibi reuera cum fœminis qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro ruſtici, aratores, ac vinitores quotidie grauiter lacerabunt, ſi contra depoſitum fidei cum fœminis habitare contendis. Nunquid in choro Apoſtolorum fœminæ affuerunt? Prohibe virgines commorari tecum, quæ * de genere tuo non ſunt. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. Non poteſt cum Domino toto corde habitare, qui frequentibus fœminarum acceſſibus copulatur. Cùm approximat ſtipulam incendit ignem: cùm approximat fœminam corrumpit mentem. Si cum viris fœminæ habitauerint, viſcarium diaboli non deerit. Ianua diaboli: via iniquitatis: percuſſus ſcorpionis, nocuúmque genus. Nemo miles cum vxore pergit ad bellum.

Ex Conc. Aquiſgra. c. 98.

al. etiam de genero tuo ſunt.

Inde mando atque remando, vt hoſpitiolum Canonicorum aut rarò, aut numquam mulierum pedes terant. Vir autem ſiue mulier, cùm ad Dominum conuerſi fuerint, poſt peccatum ſuum, quod ad inuicem commiſerunt, nec in vna villa vnquam pœniteãt; nec ſit inter eos ſalutatio, aut beneficium; nec viſus; nec colloquium (ſi non caſus interuenerit) nec de vno fontè (vt vulgo dicitur) potum bibant; nec alumnus inter vtrumque concurrat; nec munuſculum quidem, nec colloquium (vt diximus) nec recordatio alterius in mente ſua requieſcat; ſed cùm affuerit, citò veniam à Deo petat. Meminere debent Canonici, quòd nec Dauide ſanctiores, nec Salomone ſapientiores poſſunt eſſe. Meminere

Ex Hier. epiſt. ad Nepot.

Digitized by Google

debent quòd Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecit.

CAPVT LVII.

De Clericis non manentibus in ſuo propoſito.

QVi ſemel in Clero deputati ſunt, aut Monachorum vitam expetierunt, ſtatuimus, neque ad militiam, neq; ad dignitatem aliquam venire mundanam, & hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quò minus redeant ad hoc quod propter Deum primitus inegerunt, anathematizari.

CAPVT LVIII.

De humiliatione facienda propter Deum carni.

Ex epiſt. Hiero. 13. ad Paulin.

MVLTITVDINES hominum, & officia, & placita, & conuiuia, & ſalutationes hominum, quaſi quædam catenæ voluptatum fugiendæ ſunt. Sit vilis & veſpertinus cibus. Panis cum olere & legumine, interdum piſciculus pro ſummis ducatur deliciis: qui cum Chriſto deſiderat regnare, non quæret magnopere, quàm de pretioſis cibis & potibus ſtercus cõficiat & vrinam. Ventre vacuo fæpiùs dormiendum: crebræ vigiliæ carnem & ſenſum affligunt. Flexo corpore mens erigenda eſt ad Deum. Semper in manu ſacra lectio; & in ore frequenter oratio ſit. Pauperibus ſumptuum refrigeria manu propria ſunt diſtribuenda. Humilitas veſtium tumenti animo non appetenda. Secularium, maximè potentium, conſortium deuitandum.

Aliquid operis ſemper faciendum, vt diabolus inueniat hominem in opere occupatum. Ab otioſis ſermonibus auditus & lingua ſunt caſtigandi. Et in Eccleſia cum timore & veneratione ſtandum: & ſemper aut orandum, aut cantandum, aut legendum, aut audiendum. De iuſtis laboribus eleemoſyna Deo iuſto dandum. Melius non habere quod

* Ex epiſt. Hiero. ad N pot. med.

Digitized by Google

tribuatur, quàm impudenter petere quod detur. * Negotiator Clericus, & ex inope diues, & ex ignobili glorioſus, quaſi quædam peſtis fugiendus. * Ibid. ante med.

CAPVT LIX.

De iracundis doctoribus.

IRACVNDI doctores per rabiem furoris diſciplinę modũ ad immanitatem crudelitatis conuertunt; & vnde emendare ſubditos poterant, inde potiùs vulnerant. Ideò ſine menſura vlciſcitur culpas doctor iracundus, quia cor eius diſperſum in rerum curis, non colligitur in amorem vnius deitatis. Iſidor. ſent. l. 3. c. 40. Et Concil. Aquiſg. c. 33.

CAPVT LX.

De doctrina & exemplis doctorum.

TAM doctrinà, quàm vitâ clarere debet Eccleſiaſticus Doctor: nam doctrina ſine vita arrogantem facit; vita ſine doctrina inutilem reddit. * Doctoris prædicatio operibus bonis confirmanda eſt, ita vt quod docet verbo, inſtruat exemplo. Illa eſt vera doctrina, quam viuendi bene ſequitur forma: nam nihil turpius eſt, quàm ſi bonum quod quiſque prædicat, explere opere negligat: tunc enim prædicatio vtiliter profertur, quando efficaciter à proferente adimpletur. Vnuſquiſque Doctor & bonæ actionis & bonæ prædicationis habere debet ſtudium: nam vna ſine altera non facit perfectum: ſed præcedat doctor bene agere, vt ſequenter poſſit bene docere. Et in illa doctrina clara, & ſimilitudo patrum, & humilitas propter Deum habendæ ſunt. Iſidor. ibid. c. 36. Et Concil. c. 20. *al.* * Sacerdotis. * Author eſt, non Iſidor.

Digitized by Google

CAPVT LXI.

De Taciturnitate.

OMNI tempore in Eccleſia tam à populo, quàm à Clero, ſummum ſilentium fiat, excepto hoc quod ad laudes Dei pertineat. Videamus quod ait Propheta: *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Item: *Poſui ori meo cuſtodiam: obmutui & humiliatus ſum & ſilui à bonis.* Hìc oſtendit Propheta ſi à bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quantò magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari? Inde ſancta ſcriptura dicit: *Qui enim in Eccleſia verboſari fecerit, & pro ſe & pro aliis malam redditurus eſt rationem in die iudicij. *Ergo quamuis de bonis & ſanctis duntaxat eloquiis propter taciturnitatem rara loquendi in Eccleſia concedatur licentia; quia ſcriptum eſt: *In multiloquio non deerit peccatum*: Et alibi: *Mors & vita in manibus linguæ.* Nam loqui & docere * Magiſtro condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit.

Qui hanc taciturnitatem in Eccleſia minimè cuſtodierit, ſed fregerit, ſit in ipſo die pœnitens in aqua & pane. Et ſi iterum, tribus diebus pœniteat in pane & aqua. Et ſi tertia vice iterauerit, ſeptem diebus, vt ſupra, pœniteat. Et ſi ampliùs hoc facere præſumpſerit, corporali diſciplinæ ſubiiciatur, vt cæteri timeant.

Pſ. 38.

Ex S. Ben. Reg. c. 6.

*Aug. ſer. 214. De temp. ante med.

*S. Bened. vbi ſupra.

Prou. 10. & 14.

al.* Magiſtrum.

CAPVT LXII.

De ebrietate à Clero deuitanda atque deteſtanda.

DOMINVS in Euang. dicit: *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula.* Et Apoſtolus dicit: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Salomon dicit· *Luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque in his delectatur, non erit ſapiens. Nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas.*

Luc. 21. 34

Eph. 5. 18.

Prou. 20. 1

Digitized by Google

Alibi dicitur : *Operarius ebriosus non locupletabitur. Vinum & mulieres apostatare quidem faciunt sapientes.* Et alibi: *Diligentes semper se inebriari vino noli prouocare in congregationem tuam.* Eccl. 19.1. & 2. Eccl. 31.30

Vinolentos sacerdotes & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet: Qui altari seruiunt, vinum & siceram non bibent. Sicera hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, quidquid inebriat, & statum mentis mutat, fuge similiter vt vinum. Leu. 10. 9. Hier. ep. 2

Qui cupis esse bonus, & vis dinoscere verum,
Vt mortis socium sic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominum maior, quàm vitreus humor:
Pro eo surdescunt aures, balbutit denique lingua.
Dic mihi, dic ebrie, viuis, an morte grauaris?
Pallidus ecce iaces, & sine mente quiescis.
Non bona, non mala, non dura, non mollia sentis.

Hos, prout in MS. extant, versus (syllabarũ quantitates etsi nõ seruẽtur) descripsi, nihilque corrigendum putaui.

Cauete, fratres, in omnibus ebrietatem; quia magna animi est subuersio. Nam sicut ignis facilè incendit stupas, & leuiores paleas, ita ebrietas corrumpit animam, & deiicit eam in grande peccatum. Dominus per Prophetam ait: *Væ illis qui mane surgunt ad ebrietatem sectandam, & ad potandum vinum vsque ad vesperam.* Et in alio loco dicitur: *Væ his qui potentes sunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Isa. 5. 11. Ibid. 22. Basilius dicit: Plurimi námque homines per vinum maximam debilitatem corporis contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam firmitatem. Ebriosus putat se aliquid optimum agere, cùm fuerit præcipitio deuolutus. Fratres chariſſimi, nolite vos inebriare, nolite bibendo immoderatè nomina vestra de cœlo delere. Sunt multi, quod peius est, qui non solùm se inebriant, sed etiam alios adiurant, vt ampliùs quod expedit bibant: ô infelix qui hoc facis, non tibi sufficit quòd ipse peris, nisi adhuc insuper alios perdas: non tibi sufficit, quòd ipse in illa ebrietate incurris, adhuc & alios tecum trahis. Non sufficit misero ebrioso in ebrietate seipsum mergere, nisi & alios secum conetur inuoluere. Nolite, fratres, nolite hoc malum facere, audite Apostolum dicentem: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 10 Ebrius enim nec patrem, nec matrem, nec amicum, nec inimicum agnoscit; neque inter bona & mala discernit, nec ignem, nec gla-

Digitized by Google

dium timet: ſic falſi fratres & perſecutores ſunt, qui Deum & Eccleſiam quidem contemnunt, nec bona nec mala diſcernunt, nec gladium præſentis vitæ, nec ignem gehennæ futuræ metuunt. Quando homo ebrius fuerit, cor ſuum & membra liberare non poteſt.

CAPVT LXIII.

De Clericis.

Iſid. offic. l. 1. c. 1. Refert Concil. Aquiſgra. c. 99. *Act.* 1. 26.

ITAQVE omnes qui in Eccleſiaſtici miniſterij gradibus ordinati ſunt, Clerici generaliter nominantur. Cleros autem vel Clericos hinc appellatos Doctores noſtri dicunt, quia Mathias ſorte electus eſt, quem primùm per Apoſtolos legimus ordinatum. Sic & omnes, quos illis temporibus Eccleſiarum principes ordinabant, ſorte eligebant: Clerus autem ſors interpretatur, vnde & hæreditas græcè cleronomia appellatur, & hæres cleronomus. Proinde ergo Clericos vocari aiunt, eò quòd in ſorte hæreditas Domini dantur: vel pro eo quòd ipſe Dominus ſors eorum ſit, ſicut de eis ſcriptum eſt, loquente Domino: *Ego hæreditas eorum.* Vnde oportet, vt qui Deum hæreditate poſſident, abſque vllo impedimento ſæculi Deo ſeruire ſtudeant, & pauperes ſpiritu eſſe contendant, vt congruè Pſalmiſtæ illud dicere poſſint: *Dominus pars hæreditatis meæ.*

Deut. 18. 2.

Pſ. 15. 5.

CAPVT LXIV.

De Regulis Clericorum.

Iſid. loco citato c. 2, Et Conc. c. 100.

HIs igitur lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita recluſi, mundi voluptatibus ſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint: cõuiuia publica fugiant, priuata non tantũ pudica, ſed & ſobria colant. Vſuris nequaquàm incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, nec fraudis cuiuſque ſtudium appetant. Amorem pecuniæ, quaſi materiam cunctorum

Digitized by Google

cunctorum criminum fugiant, ſecularia officia nogotiáque abiiciant. Honorum gradus per ambitiones non ſubeãt. Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant. Dolos & coniurationes caueant: odium & æmulationem, atque detractionem, inuidiámque fugiant: non vagis oculis, non infræni linguâ; aut petulanti tumidóque geſtu incedant, ſed pudorem ac verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſsúque oſtendant. Obcœnitatem etiam verborum, ſicut & operum, penitus execrentur.

Viduarum ac virginum viſitationes frequentiſſimas fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: caſtimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant, aut certè vnius matrimonij vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque vllo iactantiæ ſtudio ſemetipſos attollant. Poſtremò in doctrina, in lectionibus, in pſalmis, in hymnis, in canticis, exercitio iugi incumbant: tales enim eſſe debent, qui diuinis cultibus ſeſe mancipandos exhibere ſtudent; ſcilicet vt dum ſcientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis adminiſtrent.

CAPVT LXV.

De generibus Clericorum.

DVo ſunt genera Clericorum. Vnum Eccleſiaſticorum ſub regimine Epiſcopali degentium; alterum Acephalorum, id eſt ſine capite, quem ſequantur ignorantium. Hos neque inter Laïcos ſæcularium officiorum ſtudia, neque inter Clericos religio retentat diuina, ſed ſolutos atque oberrantes, ſola turpis vita & vaga complectitur. Qui quidem nullum metuentes, explendę voluntatis ſuæ licentiam conſectantur; quaſi animalia bruta, libertate atque deſiderio ſuo fruuntur, habentes ſignum Religionis, non officium, Hipocentauris ſimiles, qui nec equi, nec homines, *mixtúmque*, (vt ait Poëta) *genus, proléſque biformis*. Quorum quidem ſordida & infami numeroſitate, ſatis ſupérq, noſtra pars occidua* pollet.

Iſid. ibid. c. 3. Et Conc. 101.

Æneid. 6. al. * pol-luitur.

Digitized by Google

CAPVT LXVI.

De Sacerdotibus peccantibus.

Concil. Neocæſ. c. 1. Nicæ. c. 78

PRESBYTER, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto, aut homicidio, captus eſt, deponatur: non tamen communione priuetur: dicit enim ſcriptura: *Non iudicabit Dominus bis in idipſum.*

CAPVT LXVII.

Vt Presbyter habeat vnam Eccleſiam.

Concil. Nannet. c. 8.

PRESBYTER non ampliùs quàm vnam Eccleſiam habeat, ſicut & vir vnam vxorem.

CAPVT LXVIII.

Vt Clerici nuptialia conuiuia vitent.

Concil. Venet. c. 11. Et Agat. c. 39.

PRESBYTERI, Diacones, Subdiacones vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non eſt, alienarum nuptiarum euitent conuiuia: neque his cœtibus admiſceantur, vbi amatoria & turpia cantica cantantur; aut vbi obſcæni motus corporum choreis & ſaltationibus efferuntur: ne auditus, & obtutus, ſacris myſteriis* denudatus, turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluatur.

al. deputatus.

CAPVT LXIX.

De eo quòd non per ambitionem Sacerdotium appetendum.

Greg. l. 6. ep. 169. init.

SICVT qui inuitatus renuit, & quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus offerendus. Sic qui vltrò ambit, vel importu-

Digitized by Google

nus se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum conuertitur?

CAPVT LXX.

De eo quòd remouentur Presbyteri ab officio suo.

HI Presbyteri, qui in Presbyterio suo filios genuerint, remoueri ab officio suo debent. Concil. Neocæs. c. 1.

CAPVT LXXI.

Pro infirmis orare, & vngere eos præcipitur.

IACOBVS Apostolus scripsit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros in domum suam, & orent super eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & suscitabit illum Dominus. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* * Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet, in sua, aut in suorum necessitate vngendis. Nam idcircò Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus potest, aut dignum ducit, à se visitandum & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est chrisma conficere: nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti: quibus enim reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus posse putatur concedi? Jac. 5. 14.

* Innoc. I. ep. 1. Beda in ep. Iac. c. 5. post med.

Digitized by Google

CAPVT LXXII.

Oblationes in domibus offerri non oportere.

Concil. Laodic. c. 58. NON oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis, vel à Preſbyteris.

CAPVT LXXIII.

Quomodò benedicendi ſunt Sponſus & Sponſa.

Carthag. 4. c. 13. SPONSVS & Sponſa cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicentur, & legibus ſponſentur ac *dotetur, & à paranymphis cuſtodiatur; & publicè ſolemnitérque accipiatur. Biduo etiam ac triduo abſtineatur: & doceatur eis vt caſtitatem inter ſe cuſtodiant, certíſque temporibus nubant, vt filios non ſpurios, ſed hæreditarios Deo & ſæculo generent.

ad. Spõſa.

CAPVT LXXIV.

De Solemnitatibus præcipuis colendis.

IN ſolemnitatibus præcipuis, id eſt in Natali, & in Octaua; & in Epiphania Domini, & in Paſcha, & in Aſcenſione Domini, & in Pentecoſte, & in Sanctorum feſtiuitatibus, id eſt, ſancti Stephani, & ſancti Ioannis Euangeliſtæ, & in feſtiuitate Infantium, & in Purificatione, & in Aſſumptione ſanctæ Mariæ: ſimiliter in Beatorum Apoſtolorum feſtis, & ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ſancti Laurentij, & ſancti Martini, ſiue & in natali cuiuſlibet Sancti, cuius honor in qualicumque Parochia ſpecialiter celebratur, plenarium officium celebretur, & bis reficiatur.

Digitized by

CAPVT LXXV.

De decimis diuidendis.

SACERDOTES populi ſuſcipient decimas, & nomina eorum, quicumque dederint, ſcripta habeant ſuper altare: & ipſas decimas ſecundùm authoritatem canonicam coram teſtibus diuident; & ad ornamentum Eccleſiæ primam eligent partem; ſecundam autem per manus fidelium ad vſum pauperum, & peregrinorum, miſericorditer cum omni humilitate diſpenſent; tertiam verò partem ſibimetipſis ſoli Sacerdotes reſeruent. Ecbert. Eborac. Archiep. excerp. 5.

CAPVT LXXVI.

Vt Presbyteri per diuerſa ab Epiſcopis, aut Laïcis indiſcretè non mittantur.

STATVTVM eſt, vt Preſbyteri, ſicut hactenus factum eſt, indiſcretè per diuerſa non mittantur, nec ab Epiſcopis, nec ab aliis Prælatis, nec etiam à Laïcis, ne fortè propter eorum abſentiam, & animarum pericula, Eccleſiarum, in quibus conſtituti ſunt, negligantur officia.

CAPVT LXXVII.

De illis qui ſoli Miſſas contra canonicam authoritatem canere præſumunt.

STATVTVM eſt, vt nullus Preſbyterorum ſolus Miſſam celebrare præſumat: quia nec verba Domini Saluatoris, quibus myſteria corporis & ſanguinis ſui diſcipulis celebranda tradidit, nec Apoſtoli Pauli documenta declarant, nec in ipſis Actibus Apoſtolorum, ſi enucleatim legantur, ita fieri *Quid ſimile habes.* De conſ. diſt. 1. Hoc quoque.

Et Capit. Theodul. c. 7.

debere vllo modo inuenitur. Nam etſi interrogatus, aut contemptus, huiuſmodi corporis & ſanguinis Domini ſolitarius conſecrator, fuerit, quid reſpondere poterit? Quibus enim dicit; *Dominus vobiſcum*: aut à quo illi reſpondetur; *Et cum ſpiritu tuo.* Vel pro quibus ſupplicat Deum, dum dicit: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumſtantium*: cùm nullus circumſtet? Quæ conſuetudo Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ authoritati contraria eradicanda, & funditus extirpanda eſt à Domini Sacerdotibus. Et ſi quis hoc deinceps facere præſumpſerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.

CAPVT LXXVIII.

Vt Presbyteri inconſulto Epiſcopo non conſtituantur in Eccleſiis, vel de Eccleſiis expellantur ab aliquo.

Concil. Cabilon. 2. c. 42.

STATVTVM eſt, vt ſine authoritate vel conſenſu Epiſcoporum Preſbyteri in quibuſlibet Eccleſiis non conſtituantur, nec inde expellantur. Et ſi quis deinceps hoc facere tentauerit, Synodali ſententia diſtrictè feriatur.

CAPVT LXXIX.

De libris, quos vnuſquiſque ſecum in Eccleſia habere debet.

HI ſunt libri, quos habere debet vnuſquiſque Sacerdos in ſua Eccleſia, per quos Miſſas, & Epiſtolas, ſeu Euangelium, vel Baptiſterium, ſeu pœnitentiam, aut circulos annorum, ſiue lectiones nocturnales, intelligi poteſt. Si quis tales non habuerit, ab Eccleſia degradetur; quia in illo com-

Iſa. 56. 10.

pletur quod in libris legitur: *Canes muti non poſſunt latrare.* Hi ſunt mali Preſbyteri, qui concupiſcunt accipere paſtorale myſterium Eccleſiæ, nec tamen poſſunt ad populum prædicare.

Digitized by Google

CAPVT LXXX.

De non ſuſcipiendis alterius Eccleſiæ Clericis: & de ſuſceptoribus eorum abſque litteris commendatitiis, vel teſtibus à Clericis in eadem Eccleſia militantibus.

IAM conſtitutum eſt non licere in alterius ciuitatis Eccleſia, vel in poteſtate Laïcorum Clericos militare; ſed ibidem permanere, in qua à principio meruerunt miniſtrare: Extraneos, qui miſſi à patria, ad aliquam Eccleſiam pro neceſſitate* venerint*. Qui verò Epiſcoporum, aut Laïcorum, poſt hoc conſtitutum alterius Eccleſiæ Clericum ſuſceperit, niſi ad excuſandum rationabiliter, placuit à communione ſuſpendi, & eum qui ſuſcipit, & eum qui ſuſceptus eſt, quouſque Clericum ad ſuam fecerit reuerti Eccleſiam.

Concil. Antioch. c. 3. Arelat. 2. c. 13. Epaon. c. 5 & 6.

* Ad. *abſque ſignatis apicibus non recipere.*

CAPVT LXXXI.

Epiſtola cuiuſdam Dei colæ, in Chriſti nomine miſſa ad Sacerdotes & Clericos; prædicationis atque inſtructionis cauſa ipſis directa.

DILECTISSIMIS ſacerdotibus Eccleſiarum Chriſti Præſulibus, & cunctis Cleris in eiſdem vbique & famulantibus, & Deicolis omnibus in totum mundum degentibus, æternam in Domino Saluatore noſtro ſalutem. Nouerit igitur dilectio veſtra, quòd ſemper ſollícitus ſum, & valde noſſe deſidero de ſalute, & ſanitate, & vita veſtra. Deus autem omnium noſtrum veſtrúmque pium adimpleat deſiderium in gloriam, & vitæ ſanctæ diſciplinã. Ergo cùm ſimus Dominicę plebis ſuperna miſeratione Rectores, ſtudioſiùs nos conuenit Dei preſidiũ pro eorum ſępe cogitare ſalute, qui nobis commiſſi eſſe videntur, ne de creditis, atque fruſtratis, quod abſit, animabus, inſidiis antiqui hoſtis ante omnium paſtorem, niſi ſuccedat præueniendo de offenſis correctio, diſtri-

Digitized by Google

ctam cogamur ſoluere rationem. Vnde rogamus vos, vt iuſtè, & piè ſanctéque viuentes, cæteris fidelibus in exemplum ſitis, & caſto corde & corpore ſub regula canonica viuatis.

Et præterea peto, vt conſideretis, & ante mentis & corporis oculos ſemper habeatis, quid ſumus nos & vos; nonne homines ſumus; & vnde homines, niſi de humo? Et quid eſt humus, niſi puluis & cinis? Et quid erimus, niſi quod dictum eſt: *Chriſtus cùm apparuerit*, ſi bene egerimus, *ei ſimiles erimus*, hoc eſt immortalitate & æternitate? Abnegemus quod ſumus, vt incipiamus eſſe quod non ſumus. Ergo omne bonum à ſummo Deo ſperandum eſt, quia *niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Et, *Niſi ſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam.* Nos ergo petamus, quæramus, pulſemus, *Qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Cogitemus ſemper vltimum noſtri exitus diem: ornemus finem noſtrum, & componamus diligenter vitam noſtram, & quantùm incerti ſumus de obitus noſtri die, tantùm parati ſimus in actione noſtra bona; vt quandocumque venerit, nos ſemper paratos inueniat. Conſideremus & penſemus, quia diſtrictus venturus eſt Iudex, qui non ſolùm operum, ſed cogitationum exactor apparebit. Laboremus in opere Dei quantùm poſſumus, ſi non quantum debemus: *Quoniam*, vt ait Apoſtolus, *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quâ de re ſatagendum eſt nobis, & omnibus fidelibus, vt ad ipſam gloriam fideliter curramus.

Col. 3. 4.

Pſ. 126.

Ibid.

Luc. 11. 10.

Veſtram quoque, ô Sacerdotes, fratreſque dulciſſimi, moneo ſolertiam, vt reminiſcamini quàm magna ſuſcepta habetis onera animarum: nam qui curam ſuſcepiſtis, ideò ſecuritatis vitam deponite, quæ inutilis eſt animæ & corpori: quoniam qui animas ſuſceperunt ad regendum, parare ſe debent ad rationem reddendam. In conſpectu Dei idcircò in quantũ pręualetis tam verbò, quàm exẽplo, vt prędiximus, admonere non ceſſetis vobis cõmiſſas oues, vt in iudicio cum Propheta abſoluti dicere poſſitis: *Domine iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo.* Et, *veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.*

Pſ. 39. 11.

Diem

Digitized by Google

Diem vltimum cogitate, & regulam veſtram conſeruate, villicationem veſtram compenſate, quia de omnibus, qui negligentiâ veſtrâ perierint, rationem critis reddituri in die iudicij. Et vt de negotio lucrum reportetis & præmium, * oportet vos magis prodeſſe quàm præeſſe. *S.Bened. Reg. c. 2.

O ſpiritales ſacerdotes diligite Clerum & populum veſtrum, & nullos vobis æſtimetis propinquiores eſſe parentes, quàm qui vobiſcum in domo, & opere Dei morantur: quia vbi amor & dilectio eſt ſpiritalis, ibi Deus mediator inhabitat, qui dixit: *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Veſtramque fragilitatem humiliter conſiderate, & infirmorum curam patienter portate. In imperio veſtro moderati ſitis, vt regula * edocet. Similiter moneo, vt opera, quæ iniungitis, diſcernatis & temperetis. Diſcretionem veſtram ſemper cogitate, vt quod fecerint ſubiecti veſtri, abſque murmure faciant, vt & animæ ſaluentur, & corpora ſupra modum non grauentur. Moneo & omnes Clericos vobis ſubiectos, vt vobis humiliter obediant, & regulam Canonicam pro viribus adimplere ſatagant, & abſque murmuratione imperio veſtro ſubiaceant, Dominóque dulciter ſeruiant: quoniam omnis homo poteſtatibus ſublimioribus, ſuiſque præpoſitis ſubditus eſſe debet, quantò magis ſeruiDei obedire humiliter Prepoſitis ſuis debent? *Ioan.* 13. 35. Nempe S.Bened. c. 64. 48. & alibi. *Rom.* 13. 1. *Tit.* 3. 1.

Moneo etiam vt regulæ Canonicæ memores ſint, eiuſque præcepta ante oculos ſemper habeant. Nam quis ſcit, quid ſibi contingat, vel alij in hac vita? aut quis vnquam inobediens ad bonum finem peruenerit? Nobis verò pauor incutitur non modicus, dum legimus multorum Sanctorum finem fuiſſe periculum, & poſt tantos labores conquiſitos, etiam de ſummis ad ima eſſe præcipitatos, quorum caſus, noſter debet eſſe profectus: ſiquidem & primum hominem per inobedientiam cecidiſſe legimus. Multa ſiquidem atque innumerabilia de his colligi poſſunt, ſed nobis iſta modò ſufficiunt, vt in his caueatis, ne inobedientiam in aliquo Chriſto conferetis.

Non vobis delectentur deliciæ ſuperfluæ, niſi quantum corpus ſuſtentare videntur, & non quantum voluntas huma-

na appetere tentatur. Nolite eſſe cultis veſtibus adornati, ſed ſimplici modo neceſſitatibus corporis contenti. Sic habeatis diſciplinam, vt non amittatis animam. Nolite eſſe obliuioni dediti, nec vlla ſecuritate adhibiti, ſed tam corporis, quàm animæ alimenta præparate vobis* Clericis ſubiectis veſtris, vt læti ſemper vobiſcum cum Chriſto ſeruiant, ſub cuius ſeruitio ſe tradiderunt; vt in futuro mercedem recipiatis, & vocem Domini audiatis, vbi dicitur: *Quia ſuper pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Ad quod gaudium me peccatorem, & vos omnes, vnà cum omnibus nobis commiſſis, Dominus & Saluator noſter, precibus omnium Sanctorum ſuorum, perducere illæſos in vitam æternam dignetur: qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

f. & Clericis.

Mat. 25. 21

CAPVT LXXXII.

Alia epiſtola ad Epiſcopum.

DVLCISSIMO Domino meo Epiſcopo in Chriſti nomine ſalutem perpetuam. Pater dulciſſime bene valeas in Chriſto, & illi ſemper placeas. Saluto te, & per te omnes Clericos tuos: conſolare, & conforta eos, in ſeruitio Domini noſtri IESV CHRISTI in quantum præuales. Moneo prudentiam tuam, vt peccantes arguas coram omnibus, vt timorem cæteri habeant, qui enim proximorum mala reſpicit, & tamen ſilentio linguam premit, eo mortis author fit, quo viros potuerat curare, noluerit. Nos ergo qui in periculoſo ordine conſtituti ſumus, attendamus, ne ſimus inutiles ſerui; illius ſemper memores ſimus mandati, qui dixit. *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem.* In hoc enim mandato omnium ſalus conſiſtit: hoc cunctis perneceſſarium eſſe conſtat, & maximè his qui gregem Chriſti ad regendum accipiunt.

S. Bened. c. 2. & 70.

Ioan. 15. 12

Quapropter, Paſtor chariſſime, gregem quem accepiſti ad regendum diligenter erudire ſtudeto, & ſanctis admonitionibus eum per paſcua vitæ deducere ſatage. Habes in

Digitized by G

omni opere bono Chriſtum adiutorem, ſanctum quoque cui militas interceſſorem: ſicut gubernationem & diſpenſationem in domo Domini habere videris, ita tibi ſubiectos bonis moribus ornari contende, & eos in diuina laude deuotiſſimè fac conſiſtere; & quod Angeli ſemper agunt in cœlis, hoc tui Clerici iugiter faciant in Eccleſiis. Tuum eſt præcipere, illorum obedire: tuum præire, illorum ſubſequi. Omnium itaque in ſeruitio Dei vna debet eſſe voluntas, vt vna fiat in regno Dei remuneratio.

Nullus horis Canonicis ſe diuinis ſubſtrahat laudibus, ne propter aliquam indigentiam alicuius, locus in conſpectu Dei vacuus inueniatur, & verba Dei in Eccleſiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magna reuerentia Dei omnipotentis officia celebrentur. Omne verò miniſterium Chriſti humiliter & deuotè impleatur. Omnis itaque obedientia in ſæculi neceſſitatibus fideliter & ſtrenuè peragatur. Fiat equidem inter omnes concordiſſima pax, & ſanctiſſima charitas, & deuotio vitæ regularis. Seniores boni exemplis & ſedulâ admonitione erudiant iuniores, illóſque diligant vt filios, & illi quaſi patres eos honorificent, illorúmque omni alacritate obediant præceptis.

Tua verò, venerande Paſtor, conuerſatio, omnibus ſit exemplum ſalutis. Caue ne nimis quis in tua ſcandalizetur vita, ſed ædificetur, & roboretur in via veritatis; quia tibi ex illorum ſalute merces iudicatur æterna: cani capilli extremum denuntiant properare diem: quapropter paratus eſto omni hora in occurſum Domini Dei tui. Dilectio fraterna, & eleemoſynæ miſerorum, & vitæ caſtitas, præparent tibi gradum in cœlo.

Feſtiuis diebus veniente ad Eccleſiam populo, fac eis prædicare verba Dei, & quocumque vadis, Clerici, qui ſeruitium Dei pleniter peragant, tecum eant, ſobrietate ornati, non ebrietati aſſueti: quorum honeſtas vitæ aliis ſit doctrina ſalutis. Curámque vbique habeas, & maximè pauperum, viduarum, & orphanorum, vt audias in die tremendo à Domino cum aliis eleemoſynam facientibus: *Quandiu feciſtis vni ex his minimis, mihi feciſtis.* Eſto miſeris vt pater; & cauſam ad te clamantium diligenter diſcute: & parce in te *Matt. 25. 40.*

peccantibus, vt Deus tuis parcat peccatis. Eſto iuſtus in iudiciis, & miſericors in debitis: magiſter virtutum, moribus honeſtus, verbis iucundus, vitâ laudabilis, in omni opere Dei deuotus.

Clericos quoque cohortare, vt ſanctas ſcripturas diligentiſſimè legant; non confidant in linguæ notitia, vt poſſint contradicentibus veritati reſiſtere: ſunt enim tempora periculoſa, vt Apoſtolus prædixit, quia multi pſeudodoctores ſurgent introducentes ſectas, qui catholicæ fidei impiis aſſertionibus maculare nitentur: ideò neceſſe eſt ad Eccleſiam plus habere defenſores, qui non ſolùm vitæ ſanctitate, ſed etiam doctrinâ veritatis caſtra Dei viriliter defendere valeant.

Has vero piæ admonitionis literulas, non quaſi neſcienti direxi, ſed vt veræ charitatis eſt, in meo pectore fidem oſtenderem. Omnipotens Deus te, tuóſque chariſſimos Clericos, in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ peruenire concedat; qui regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPVT LXXXIII.

De doctrinæ diſcretione.

Iſidor. l. 3. ſent. c. 43. Et Concil. Aquiſg. c. 23.

NON omnibus vna eadémque doctrina eſt adhibenda, ſed pro qualitate morum diuerſa exhortatio erit Doctorum. Nam quoſdam increpatio dura, quoſdam verò exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corporis morbos diuerſo medicamine ſeruiunt, ita vt iuxta vulnerum varietates medicina diuerſa ſit; ſic & Doctor Eccleſiæ ſingulis quibuſque congruum doctrinæ remedium adhibebit; & quid cuique oporteat, pro ætate, pro ſexu, ac profeſſione annuntiabit. Non omnibus ea quæ ſunt clauſa aperienda ſunt. Multi ſunt enim qui capere non poſſunt, quibus ſi indiſcretè manifeſtentur, ſtatim aut detrahunt, aut negligunt. Rudibus populis ſeu carnalibus plana atque communia, non ſumma atque ardua ſunt prædicanda, ne immenſi.

Digitized by Google

tate doctrinæ opprimantur potiùs, quàm erudiantur: Vnde & Paulus Apostolus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Carnalibus quippe animis nec alta nimis de cœlestibus, nec terrena conuenit prædicare, sed mediocriter, vt * initia eorum, moresque desiderant edoceri. Coruus dum pullos suos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantumdem attendit, donec paterno colore nigrescant, & sic illos frequenti cibo reficit. Ita & Ecclesiæ Doctor strenuus, nisi eos quos docet, viderit ad suam similitudinem pœnitentiæ confessione nigrescere, & nitore sæculari deposito, lamentationis habitum de peccati recordatione induere, non aperit intelligentiæ spiritalis profundiora mysteria.

1. Cor. 3. 2.

al. * vitia.

Isidor. Et Concil. ibid. post pauca.

Priùs docendi sunt seniores plebis, vt per eos infra positi faciliùs doceantur.

Non vna eadémque cunctis exhortatio congruit; quia nec cunctos par morum qualitas astringit: sæpe namque ea, quæ aliis nocent, aliis prosunt: quia & plerumque herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat, & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo Doctorum. [Doctor semper vocem prædicationis habeat, ne superni expectatoris iudicium ex silentio offendat. Doctor in tabernaculum ingrediens, vel inde egrediens, moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram Dei contra se exigit, si sine prædicationis sonitu incedit.] Ranæ in aqua sine aqua esse videntur, & tamen in putredine paludis commorantur, & procaces efferunt voces, & impatientes, & importunæ; sic hypocritæ Doctores quasi in aqua sapientiæ esse videntur, & in luto hæresis tamen versantur, & contrarias voces veritati emittunt, & inoportunè bonis nocent, spiritu dæmonis agitati: procedunt ad Reges terræ congregare illos, id est, impios; inspirant ad pugnam contra sanctos, qui sunt Reges iustitiæ: licet enim omnis falsitas similitudinem veritatis vsurpet, differt tamen dignitas veræ sapientiæ à similitudine doctrinæ.

Gregor. in prolog. l. 3. Pastor.

Ex Greg. l. 2. Past. c. 4. med.

CAPVT LXXXIV.

De Clerico derelinquente Clericatum ſuum.

Concil. Hiſp. 2. c. 3.

SI quis Clericus relicto officij ſui ordine laïcam voluerit agere vitam, vel ſe militię ſęculari tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

CAPVT LXXXV.

De eo quòd non facilè vincitur vnus de ordine Canonico.

Concil. Rom. 2. c. 3.

SILVESTER dicit: Non Acolytus aduerſus Subdiaconum, non Exorciſta aduerſus Acolytum, non Lector aduerſus Exorciſtam, non Oſtiarius aduerſus Lectorem det accuſationem aliquam. Et non damnabitur Subdiaconus. Exorciſta, Oſtiarius, Lector, Acolytus, filios habentes & vxorem, & omninò Chriſtum prædicantes; ſic datur myſtica veritas, niſi in ſeptem teſtimoniis; & non damnabitur Diaconus, niſi in triginta ſex, & non damnabitur Preſbyter, niſi in quadraginta quatuor.

Senſum potiùs quàm verba attexit Author.

CAPVT LXXXVI.

De eo quòd debent Canonici ſe præcauere ante transformationes dæmonum.

ADMONENDI ſunt Clerici Canonici, vt ſint cauti, ne à dæmonibus in cogitationum ſubtilitate ſeducantur. Propterea & forma diaboli inter Clericos obſeruetur, vt ſi quis ad eos veniat, ſiue vir, ſiue mulier ſit, ſiue ſenex, ſiue iuuenis, etiamſi notus, ſiue ignotus ſit, ante omnia oratio fiat, vt nomen Domini primùm inuocetur: quia ſi fuerit aliqua

Digitized by Google

transformatio dæmonis, continuò oratione factâ defugiet. Et si verò in cogitatione eorum surrexerint dæmones, * aliquid vnde laudari, aut extolli debeant, non acquiescant eis, sed tunc magis semetipsos humilient in conspectu Dei, & pro nihilo ducant, cùm sibi aliquid illicitum suggesserint.

* f. & aliquid obiecerint.

Venerunt dæmones ad quendam Monachum nomine *Or* in specie cœlestis militiæ, & habitu Angelorum, currus igneos agentes. Plurimo apparatu, tanquam magnum aliquem Regem deducentes, isque qui à cæteris vt Rex haberi videbatur, dicebat ad eum: Implesti omnia, ô homo, tantùm supereſt tibi, vti adores me: sed si adoraueris me, transferam te sicut Heliam. Et Monachus *Or* hæc audiens dicebat in corde suo: Quid est hoc? Quotidie ego saluatorem meum, qui est Rex meus adoro, hic si esset ille quem adoro, quomodò hoc à me depoſceret, quod indesinenter me facere sciret? Post hæc respondit ad ipsum: Ego habeo meum Regem, quem quotidie sine intermissione adoro, tu autem non es Rex meus: & continuò ille inimicus ad hæc verba nusquam comparuit.

Item Fortunatus Episcopus ex quodam homine spiritum immundũ excussit: qui malignus spiritus cùm vesperascente iam die secretam ab hóminibus horam cerneret, peregrinũ quempiam esse se simulans, circuire cœpit ciuitatis plateas, & clamare: O virum sanctum Fortunatum Episcopum! ecce quid fecit, peregrinum hominem de hospitio expulit: quæro vbi requiescere debeam, & in ciuitate eius non inuenio. Tunc quidam in hospitio cum vxore sua, & paruulo filio, ad prunas sedebat, qui vocem audiens, & quid ei Episcopus fecerit requirens, hunc inuitauit hospitio, & sedere eum secum iuxta prunas fecit. Cúmque vicissim aliqua confabularentur, isdem malignus spiritus paruulum eius filium inuasit, atque in easdem prunas proiecit; ibíque mox eius animam excussit. Qui orbatus miser, vel quem ipse susceperit, vel quem Episcopus expulisset, agnouit.

Digitized by Google

S. ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, AD BRAVLIVM EPISCOPVM Vrbis Romæ, hoc est, Cæsar-Augustæ; LIBER DE ORDINE CREATVRARVM.

CAPVT I.

De Fide Trinitatis.

VNIVERSITATIS disposítio bifaria ratione debet intelligi, in Deo videlicet & rebus, hoc est, in Creatore & Creaturis: non quòd Deum in parte ponamus, aut æquiparare Creatorem Creatura possit; sed quia omne quod est, aut factum intelligitur, aut infactum, aut potens, aut subiectum, aut æternum, aut temporaneum. Factum ergo, & subiectum & temporaneum, ipsa est creatura. Infactum autem, & potens, atque æternum, ipse est Deus. Sancta vtique Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus, per omnia iura inseparabilis in substantia, id est, vna diuinitas, & in personarum subsistentia inconiuncta Trinitas, in qua nihil inferius, nihil superius, nihil anterius, nihil posterius, in natura diuinitatis esse credendum est: nihil seruiens, nihil subiectum, nihil loco comprehensibile, nihil temporaneum, nihil infirmum, nihil crescens, nihil ad sexum habitúmue pertinens, nihil corporeum sentiri fas est: sed est vnus Deus sine initio, sempiternus sine loco, vbique totus, sine sui mutatione omnia

Deus vnus in substãtia, Trinus in personis.

nia mutabilia disponens Creaturarum; tempora præterita, præsentia, futura pariter cernens: cui nihil est præteritum, nihil restat, sed cuncta præsentia sunt Cui nihil displicet quod bonum est; nihil placet quod malum est, à quo nihil naturaliter malum creatum est, quod per se nihil nisi creati boni vitium est. Bonus ergo sine qualitate, magnus sine quantitate, æternus sine tempore, præcipuus sine situ, qui omnibus Creaturis infunditur, cùm non sit illi locus, quem nulla capit Creatura, nulla comprehendit intelligentia.

Deus vnus Omnipotens, sancta Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus. Pater ergo Deus Omnpotens ex nullo originem ducit, & ipse origo diuinitatis est, à quo Filius Deus Omnipotens genitus sine tempore est: non quippe creatus, quia Deus est, cui præter quod Filius est, in diuinitate totum commune est Patris in æternitate, in voluntate, in potestate, in sapientia. Sic & Patri præter quod Pater est, totum commune est Filij. Spiritus sanctus est Deus Omnipotens, nec genitus est, quia non est Filius; nec Creatus, quia non est Creatura, sed ex Patre & Filio procedens, cui præter quod Spiritus sanctus est, totum commune est Patris & Filij, quia non qui Pater, est Filius, aut Spiritus sanctus in persona hic est nec qui Filius, est Pater, aut Spiritus sanctus hic est: nec qui Spiritus sanctus, est Pater, aut Filius hic est, sed in essentia, quod Pater est Filius, & Spiritus sanctus hoc vnum est, & quod Filius est, Pater & Spiritus sanctus hoc est, quod & Spiritus sanctus est, Pater & Filius hoc est; sed non triplex in illa Trinitate Deorum numerus est: saluâ enim separatione personarum totum commune diuinitatis est.

Filius ex tempore carnem suscepit humanam, quæ vitio caret; humanitatis naturam habuit, animam prudentem, intellectualem, sapientem, exceptâ diuinâ naturâ, habens, vt humanitas integra fieret: quam ideò Filius, qui sine tempore Dei Patris est, assumpsit, vt qui in diuinitate erat Dei Filius, in humanitate idem esset hominis Filius. Quâ humanitate natus est de Spiritu sancto & Mariâ semper Virgine: non quia & Spiritus sancti, sicut & Mariæ, Filius esse credendus sit, sed quia ex virtute & opere Spiritus sancti conce-

Filius Dei humanâ suscepit naturam.

ptus, ex Virgine natus ſit. Paſſionem crucis carne, non diuinitate ſuſtulit: mortem pro noſtra redemptione & ſalute ſuſtinuit: tridui tempore ſepulchro conditus, diuina virtute in eadem carne reſurrexit; & poſtquam Eccleſiam vnam, Sanctam, Catholicam verbo inſtruxit, exemplo ſolidauit, gratiâ firmauit, pace muniuit, aſſumptâ totâ humanâ naturâ, excepto eo quo corruptioni obnoxia eſt, ad Patrem rediens, vnde nunquam defuit, ſedet in dextera Patris, vnde reſurgentibus cunctis hominibus ad iudicium viuorum & mortuorum affuturus in gloria Patris, impiis æternas pœnas, iuſtis æterna præmia reddat. Hæc eſt Catholica fides, hanc credere & confiteri quàm diſcutere plus proficit: quam non prudentia ſæcularis, non mundana philoſophia, rerum potiùs imagines quàm veritatis intelligentiam ſequens, agnoſcere potuit, ſed Apoſtolica fides tradidit, & Eccleſiaſtica vigilantia cuſtodit.

CAPVT II.

De Creatura ſpiritali.

DE Creatoris verò immenſitate tantulo præmiſſo, ad Creaturarum ordinem pauliſper aſpiciamus. In quo non noſtræ intentionis, quæ nulla per ſe eſt, inuentionem, ſed ſanctæ Scripturæ & Maiorum explanantium veſtigia vel tenui aliquo relatu ſequimur. Omnis ergo Creatura, aut ſpiritalis, aut corporalis eſt. Sed quia Creatura in intellectualibus Spiritibus, qui carne non tenentur, & animabus hominum, quæ carne cluduntur, conſtat, priùs de diſtinctis gradibus ſupernorum Spirituum dicendum eſt, quorum gratiæ, vel differentiæ miniſteriorum eſſe nouem per ſcripturas diuinas comprehenduntur, Seraphim ſcilicet, & Cherubim, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Archangeli, Angeli. Seraphim etenim ſuper ſolium Domini excelſum ſtare Iſaias vidit, & cantare audiuit, & vno ex his ad ſe miſſo purgari de ſui oris pollutione promeruit. Cherubim verò in oraculo teſtimonij propitiato-

Nouem Angelorũ ordines.

Digitized by Google

rium figurati & arcam tegebant, & in templo Domini cum bubus & leonibus per Salomonem depincti fuerant. Ezechiel quoque in visionibus Dei quadrigam vidisse se describit, quam quatuor scripturæ vtriusq; Testamenti notis mystico famine coniungit. Ad Coloss. verò Paulus Apostolus scribens, Thronos & Dominationes, & Principatus & Potestates commemorat, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus siue Potestates: Ipse etiam ad Ephesios de Virtutibus enarrat, ita inquiens: Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Archangelorum autem & Angelorum ostentationibus, & nominationibus, diuinorum voluminum prata referta sunt. Horum quoque nouem Ordinum supernorum ciuium significationem, nouem pretiosi lapides Ezechiel ostendunt. Vbi sub persona Principis Tyri super summum illum qui lapsus est Angelum, sermones Prophetæ planctum dirigunt. Vbi dicitur: Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, iaspis, chrysolitus, onix, berillus, saphirus, carbunculus, smaragdus: quibus lapidibus nouem opertus idcirco dicitur, quia nouem spiritalium officiorum ordinibus præerat, ornabatur.

Col. 1. 16.

Eph. 1. 21.

Ezec. 28. 13.

Sicut ergo de numero diximus, sic etiam de distinctis officiorum gradibus aliqua pandamus. Seraphim igitur, id est ardentes vel incendētes, dicti sunt, quia Dei amore plusquàm omnis rationalis Creatura, speciali quadam diuini muneris largitione inardescunt; & quantò omnibus Creaturis excellunt, tantò diuinæ charitatis priuilegio Creatori appropiant, & in tanto excelsitatis honore sublimati consistunt, vt inter se ac Dominum nulli alij Spiritus fiant. Secundo quoque ordine Cherubim inter supernos ciues numerantur, cuius ordinis vocabulum scientiæ multitudo interpretatur, quorum intellectus dum Dei contemplatione propé hærendo reficitur, plus omnibus quæ subiacent Creaturis intellectualibus scientiæ multitudine dilatatur. Qui enim diuinæ claritatis speculum perspicaciùs intendunt, ab his abdita Creaturarum occulta fieri qualiter possunt? Tertio quoque ordine intellectualium Spirituum Thronorum agmina constituta sunt, qui Sedes interpretantur: in his etenim dum speciali munere Dominus sedet, per eos iudicia sua in Creaturis om-

Seraphim.

Cherubim.

Throni.

Digitized by Google

nibus terribiliter & mirabiliter exercet. Hinc per Pſalmiſtam
Pſ. 9. 5. dicitur: *Sediſti ſuper Thronum qui iudicas iuſtitiam.* Et in reuelatione Ioannis Angelus loquitur: *Et qui ſedet in Throno defendet eos:* Quarto etiam gradu officiorum cœleſtium Dominationes conſiſtunt, quæ illorum, qui infra ſcribentur, quinque graduum miniſteria alta præcellunt; & quantò aliis potentiæ magnitudine præponuntur, tantò his cæterorum ſubiectio per obedientiam exhibetur. Dehinc poſt illas quinto ordine ſupernorum ciuium Principatus vocantur, quibus, dum his bonorum ſpirituum iam principatus committitur, ad explenda Dei myſteria quæ facere ſubiecti debeant, principantur. Sexto quoque ſtatu in bonis ſpiritibus Poteſtates ſunt ordinati, qui principari diuerſis poteſtatibus Domini munere perceperunt; qui per poteſtatem nequitiam malignorum ſpirituum refrænant, ne ſi pluſquàm oportet permittuntur, ſæuitiam exercere, vel humanis ſenſibus inhærere audeant. Septimus gradus ſpiritalium miniſtrationum Virtutes nominantur, per quos ſpiritus virtutes & ſigna & mirabilia in hominibus ſæpe factitantur. Octauus ordo eſt Archangeli, id eſt ſummi nuntij, vocantur, per quos maiora quæque hominibus nuntiantur: & quantò Angelis in ordinis ſummitate excellunt, tantò hominum notitiæ, Domini iuſſione, excelſiora perferunt. Nonus Miniſtrorum cœleſtium ordo Angeli ſunt nominati, qui minora quæque, & communia, ex Dei voluntate hominibus nuntiant & ſuadent.

Dominationes.

Principatus.

Poteſtates

Virtutes.

Archangeli.

Angeli.

Porrò in his ſciendum eſt, quòd quandocumque nominantur, ex officiorum proprietate, quando ad homines veniunt, ſumpſere vocabula; quia illa ſupernorũ ciuium ſumma ſocietas, propriis nominibus non indiget. Inde Michaël dicitur, id eſt quis ſicut Deus, eò quòd in fine ſæculi Antichriſtus contra eum, qui ſe aduerſus Deum eriget, mittendus deſtinatur. Et Gabriel, id eſt fortitudo Dei, ad Zachariam & Mariam Virginem miſſus ſcribitur; vt qui quod humana natura denegabat, futurum eſſe prædixerat, fortitudo Dei diceretur. Ad Tobiam quoque Raphaël, id eſt, medicina Dei, mittitur: nimirum enim qui diuina virtute ſalutem ferebat, non incongruè medicina Dei nuncuparetur. Et quod

Digitized by Google

Angelis in ſingulis, hoc & in gradibus poteſt eſſe, vt cùm vnus alterius officium facit, illius etiam nomine cenſeatur, ſicut dicitur: *Qui facis Angelos tuos Spiritus*; id eſt, cùm vis Spiritus hos omnes Angelos, id eſt, nuntios facis. Et aliquando ex vicinitate aliorum graduum, alij graduum officia aſſumunt; ſicut ex Thronorum vicinitate etiam ſuper Cherubim ſedere Dominum ſcripturæ dicunt; ſicut & in Pſalmo ſcriptum eſt: *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim.* *Pſ.* 103. 4. *Pſ.* 79. 2.

Sed illâ ſupernâ ſocietate, quod in aliquo ſpecialiter habetur, ab omnibus in commune poſſidetur, quia non minus vnumquemque reficit quod in alio videt, quàm quod in ſemetipſo poſſidet: & cùm mittuntur, nunquam ab eorum contemplatione Deus, à quo reficiuntur, abeſt: non quòd illi ſpiritus vbique pariter poſſunt eſſe qui mittuntur, ſed quòd Dominus, qui vbique eſt, ab his qui diſcurrunt ſemper in omni loco ſine ſui mutatione conſpicitur. Vnde ſcribitur: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Vtrumque enim ſupernæ Poteſtates pariter faciunt, quia & miniſtrandũ mittuntur, & aſſiſtunt dum contemplantur. Aliquando autem qui mittuntur Angeli, illis ad quos veniunt hominibus per ſe nuntiant, aliquando alios velut ſubiectos per ſe ad annuntiandi officium, ſicut in Daniele ſcriptum legitur, Gabriel faciſtum intelligere ſermonem, velut ſuperiore dictum minimè dubitatur. *Dan.* 7. 10

CAPVT III.

De aquis quæ ſuper firmamento ſunt.

VERVM quoniam de ordine Creaturarum ſermonem ſumpſimus, quod tuæ propoſitionis continentia comprehenderat, poſt ſpiritalẽ Creaturam, de qua pauliſper diſſeruimus, de aquis quæ ſuper firmamento ſunt, quid Authorum intentio potuit excogitare, proferre tentabimus. Cùm enim in principio prima die facta fuiſſe lux, quæ ſpiritalis creatura facta eſſe dignoſcitur, ſecũda die firmamentũ, quod

Digitized by Google

diuidit quæ ſupra ſunt firmamentum, & aquas quæ ſunt ſub firmamento, eſſe factũ ſcriptura teſtatur: ex quo intelligitur aquas illas, quæ ſupra firmamentum ſunt, locali ſpatio ex omni corporali Creatura ſuperiores: quamuis enim in Pſalmo centeſimo quadrageſimo octauo, poſt firmamentum, & ſolem, & lunam, & ſtellas, aquæ illæ, quæ ſupra cœlos ſunt, poſitæ inueniuntur, tamen vt illas omnibus eſſe corporalibus Creaturis oſtenderet altiores, iterum excelſarum virtutum velut habitacula recapitulans, cœlos Pſalmiſta his anteponit, dicens: *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Vnde oſtenditur poſt illa ſpiritalia ſpatia, qualiacumque ſunt, vbi ſpiritales, vt diximus, ordines commorantur, quæ cœlorum cœlos Propheta nominat, ante hoc viſibile cœlum aquas illas velut initium rerum corporalium eſſe conſtitutas, quas tamen nè quis ſpiritali iungeret creaturæ, poſt cœlos cœlorum, antequam de terra diceret, poſuit, paulò pòſt ſubinferens: *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyſſi.*

*Pſ.*148.4.

*Ibid.*7.

Ecce has aquas Pſalmiſta ſuper cœlos poſitas dixit, & tamen his cœlos cœlorum anteponit. Per quod demonſtratur inter vtroſque cœlos eſſe collocatas, id eſt cœlis ſpiritalibus humiliores, & cœlis corporalibus ſuperiores; ſed tamen corporalibus creaturis pertinere dicendæ ſunt, dum in ſecundi diei opere factæ ſupra iſtud corporeum firmamentum conſiſtunt. Sed quid ibi vtilitatis in rerum corporalium vſibus agant, bina intentione Magiſtrorum inueſtigatur. Quidam enim illas ad terrarum orbis abolitionem in diluuio, quod ſub Noë factum eſt (ſicut Geneſeos hiſtoria narrat) Dei præſcientiâ reſeruatas aiunt, ſicut ſcriptura inquit: *Et cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Sed quoniam & nubes, de quibus pluuiarum imbres terreni ſoli fertilitatem irrigant, atque etiam aër in quo hemiſpheria omnia & auræ corripiuntur, cœlorum nomine per ſcripturas diuinas ſæpe cenſentur: quemadmodum dicitur: *Et pluit illis manna ad manducandum; & panem cœli dedit eis.* Et in alio loco: *Dabunt & cœli imbrem*: Et, *Terra dabit fructum ſuum.* Quibuſdam Doctoribus placet ex illo inferiore nubium cœlo, tantarum aquarum abundantiam

*Gen.*7.11.

*Pſ.*77.24.

*Pſ.*66.7.

Digitized by Google

fuiſſe diffuſam, vt ſecundum illam conſuetudinem, quâ per omne tempus agitur, etiam tunc pluuiarum copiam nubes effunderent, in quibus tamen cataractas apertas Scriptura commemorat, eò quòd plus ſolito aquarum diffuſio immiſſa fuerat. Cæteri verò eaſdem aquas ſupra firmamentum poſitas idcircò aſſerunt, vt igneum, qui in luminaribus ardet & ſideribus, calorem temperarent, ne pluſquàm ſufficit inferiora ſpatia æſtu torrerent.

CAPVT IV.

De firmamento Cæli.

POST illas aquas, Creaturarum corporalium ordine, ſecundo loco videtur eſſe firmamentum, quod in ſecunda die, vt ſupra diximus, factum, inter vtraſque diuidi aquas; de cuius etiam ſtatu vtrum velut diſcus terram deſuper operiat, anuti teſta oui omnem introcluſam creaturam vndiq; cingat, vtriuſque æſtimationis non deſunt putatores. Nam & illud quod de hoc Pſalmiſta commemorat, cùm dicit: *Extendens cœlum ſicut pellem*; vtriuſque æſtimationis aſſertionibus non contra facit, quoniam cùm animalis carnem cuiuſcumque ſua pellis veſtiat, omnia ſua membra æqualiter vndique circumdat; cùm verò exciſa de carne ſeorſum extenditur, ſiue rectam, ſiue curuam cameram poſſe facere non dubitatur. Vtrum ergo terram deſuper velut extenſa pellis tabernaculum tegat, an ſicut animalis membra corio conteguntur, mundi molem vndique firmamenti cingat, vtrique aſſertioni non difficulter ſuffragatur. *Pſ.*103.3.

De huius quoque firmamenti ſitu vtrum inane ac penetrale, an ſolidum, an firmum ſit, diuerſi Authores ſuas æſtimationes velut quid ſe ad has deducatur, protulerunt. Quorum ſententias vtiliùs quàm nomina curabo; qui ad confirmationem ſententiæ ſuæ omnium elementorum naturas conferunt. Terram etenim omnium Creaturarum corporalium grauiſſimum eſſe non minus oſtendunt, quàm dicunt; atque illam ideò humillimum in creaturis locum tenere

terra omnium grauiſſima.

Digitized by Google

aiunt: quia natura aliqua niſi ſeipsâ ſufferri non valet. Aquam verò quantò leuiorem terrâ videmus, tantò grauiorem aëre deprehendimus. Aër namque ſub aqua perſe ſubſiſtere non valet, ſed ad ſua ſpatia, & ſi aliqua neceſſitatis vi alicubi ſubductus fuerit, ſtatim euadit. Ignis quoq; naturâ ſupra aërem eſſe deprehenditur; etiámque in illo igne, qui in materia tetræ ardet, facilè comprobatur; quoniam ſtatim vt accenſus fuerit flammâ, ad ſuperna quæ ſuper aërem ſunt ſpatia, vbi illius eſt abundantia & locus, dirigitur, ſed circumfuſione craſſioris extinctus, in mollem aërem euaneſcit, vt ad ſuæ naturæ locum peruenire non poſſit. In quo tamen oſtenditur naturam ignis, qui aſcendit, aëre eſſe leuiorem; ſicut aqua, quæ naturâ deſcendit, monſtratur eſſe grauiorem.

Ignis ſupra aërē.

Hac ergo ratione etiam firmamenti ſpatium, quod ſupra ignem eſt, leuius ac tenuius putant, quia excelſius his omnibus, quas prædiximus, naturis conſtat. In quo ſpatio etiam ſtellarum fulgurantium lucem inæqualem eſſe idcircò æſtimant, quòd in illo tam amplo ſpatio ex illis aliæ longiùs, aliæ propiùs currant: ſed hanc putationem qui minùs ſuſpiciunt, ſupra illud aëre & igne ſubtilius, & inanius, & penetralius ſpatium conſtare aquas minimè poſſe dicunt; niſi fortè, vt illi quos prædiximus aiunt, omni corporalitate tenuiores & ſubtiliores ibi conſiſtunt. Quibus etiam ab aliis contrà reſpondetur, quæ vnquam quamuis tenuiſſima aquarum vaporalitas quæ firmamento leuior eſſet. Propterea ergo illi aliis firmamentum velut aëre ſolidiſſimo fuſum conſtare ſolidè ac firmiter faciliùs putant; atque ideò firmamentum nominari exiſtimant, quia tam ſolida quàm inania, tam leuia quàm grauia, quæ diximus, cuncta ſpatia intra ſe concludat, & ſupra ſe poſitas aquas, qualeſcumque ſunt, ſuſtineat. Verùm quoniam inter tantos viros de tali & tanta re variatum eſt, nullius æſtimationem alij præponendam cenſemus, ſed ad hos Lectorem vtrarumque partium Arbitros mittimus.

Firmamẽtum ſupra ignem.

CAPVT

CAPVT V.

De Sole & Luna.

QVIA verò in Firmamento cœli licet poſt ſpeciem maris & terræ formata duo luminaria magna in principio Geneſeos Moſaïcæ legis, imò diuina ſcriptura pronuntiat, non eſt indecens ſi deſcendens de ſupernis ſermo in ordine locali Creaturarum Solem & Lunam ſtatim poſt Firmamentum deſcribat, ita tamen vt in conditionis ordine poſt terram & mare duo hæc luminaria & ſtellas cum ſcripturæ vocibus animus ponat, quamuis omnia elementa ſine tempore facta fideli ratione fides Catholica credat.

Sol ergo & Luna duo luminaria in firmamento cœli inſtituta ſunt. Vnum quod eſt maius, vt præeſſet diei, ſecundum, quod eſt minus conſtitutum eſt, vt præeſſet nocti. Sed non eandem ſui ſplendoris lucem, quam cùm in principio creata ſunt, habuerunt, nunc per omne ſui miniſterij tempus dierum ac noctium decurſionibus conſeruant: hæc enim dum humanis vſibus miniſtrare à Deo Creatore deſtinata ſunt, cùm homines inculpabiliter vixiſſent, & ſub Creatoris quo conditi fuerant, lege perſeuerarent, etiam ſui luminis plenitudine decorata miniſtrabant; cùm verò homines, quibus in miniſterio ſociata primitus rotulabant, propter tranſgreſſionem deiecti, paradiſi beatitudinem amiſerunt. Ipſa quoque luminaria, quamuis non ſuâ culpâ, ſui luminis detrimenta non ſine ſuo dolore pertulerunt, ſicut Paulus Apoſtolus conteſtatur, dicens: *Quoniam omnis Creatura congemiſcit & dolet vſque adhuc.* Sed quia per Redemptoris aduentum humano generi priſtinæ beatitudinis, in meliùs reſtauratio promittitur, etiam creatura ſuum antiquum decorem acceptura non dubitatur. Vnde Proph. Eſa. de Sole ſpecialiter & Luna illuſtratus ſpiritali famine, inquit: *Et erit in die illa cũ * ceciderit turris, erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptẽpliciter ſicut lux ſeptem dierum, * cùm alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Cùm factum fuerit cœlum

Ante primi hominis peccatum ſol & luna multò lucidiora.

Rom. 8.22

Iſa. 30.25. *& ſeq.*

al. * *ceciderint turres.*

al. * *in die qua.*

Digitized by Google

Apoc. 21.1 nouum, & terra noua: & non fuerint in memoria priora quæ
*Iſa.*65.17. corruptioni ſeruiũt: & peccati vulnus, & percuſſuram plagæ
*Ibid.*30.6 mortis in corporibus Reſurrecturorũ Dominus ſanauerit, & ſuperbi Spiritus ex imperio quod arripuerant, depoſiti fuerint; tunc lux Lunæ in lucem Solis mutabitur, & lux Solis in lucem ſeptem dierum quibus conditus fuerat, hoc eſt, in ſeptuplum ſuum lumen reſtaurabitur. Nihil enim reſtaurabitur, niſi quod amiſſum eſt aut corruptum; quod igitur Sol amiſit & Luna, hoc rurſum accipient.

Ex quo apparet ſeptimam nunc ſui luminis partem luminaria retinere, quam ſeptempliciter reſument, quando per Abacuc Spiritus ſanctus pro futuris præterita ponens, inquit: *Eleuabitur Sol in ortu ſuo, & Luna ſtabit in ordine ſuo.* Ceſſante namque mutabilitate humani ſtatus, cui ſeruiunt, & ſui curſus mutabilitas ceſſabit. Quod enim inquit, *Sol in ortu ſuo*, hoc indicat, quod nunquam inclinabitur in occaſu ſuo: & in eo quòd dicitur, *Luna ſtabit in ordine ſuo*, hoc inſinuat quòd mutationes incrementi & decrementi ſui non patietur, ſed in ſuo ordine ſemper ſtabit. Hoc autem erit, *Quando*, vt Apoſtolus loquitur, *ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cùm enim ſancti pro mercede ſui laboris, quo Deo ſeruierint, immutati fuerint, & fulſerint ſicut ſol iuſtitiæ, cuius eſt ſanitas perennis, tunc & ipſi corporeo huic Soli pro mercede ſui miniſterij, quo ſeruituti corruptionis ſubiecta eſt, in ſeptuplum fulgoris rutilatio reſtituetur.

*Rom.*8.11.

Vnde incrementa & decrementa lunæ.

Interim verò quotidianis ſui miniſterij motibus quoties ſolem ſequitur Luna, ſui incrementa luminis auget; quoties autem Solem antecedit, detrimenta ſui ſplendoris agit. De ſtatu verò Lunæ variè putandum eſt: vtrum ſphęra dimidia ſui parte nigra ac tenebroſa, & dimidia parte altera lucida ſit & candida, & ſic incrementa & decrementa agantur, vt cùm paulatim pars illius lucida oſtẽditur, eodem modo tuno tenebroſa occultatur, ſimiliter quoque dum lucida vertitur, iterum manifeſtatur. An ſit etiam rota radiis Solis illuminata, quæ quandocumque Soli ſiue anteſiue poſt appropiat, velut in ora radio luminis illuceſcat: cùm autem longiùs ac longiùs recedere videtur, maius ac maius paulatim ſuum lu-

Digitized by Google

men à Solis ſplendore augetur; vt cùm ad integrum æquiparato orbe facie ad faciem Soli oppoſita conſtiterit tunc plenè in ſe imaginem Solis habere poſſit.

De curſibus autem Solis ac Lunæ, nec temporis, nec iſtius quidem loci eſt differere, quos idcircò in hoc Opuſculo negligentiùs aſſequor, quoniam & ipſius breuitas compendioſa non patitur, & in vſum pœnè omnibus Lectoribus dierum feſtorum computandorum gratiâ conuerſi ſunt. Hæc verò lucis organa nulli inſenſibiles creaturas opinantur, ſed quæ diximus vſitatiùs à Catholicis authoribus, quæ frequentantur in his ambiguis ſententiarum ęſtimationibus intendendũ eſt, cui plus ſanctarum ſcripturarum authoritas ſuffragatur; & ſi hæc etiam hoc amandum eſt, quoniam multitudo Catholicorum in fidem traxit: diuerſæ autem æſtimationes quæ tantidem à Catholicis aſſertæ ſunt, & quibus vtriſque ſacri canonis dicta non contra faciunt, ad quas æqualiter currunt, hæ arbitris Lectoribus, in ambiguo relinquendæ ſunt.

CAPVT VI.

De ſpatio ſuperiore, & paradiſo cœli.

SERMONE de firmamento & luminaribus dicto, ſequitur inane ſpatium longum, quod à Cœlo firmamento vſque ad terram deducitur, & in duo ſpatia eſſe diuiſum à nonnullis Scriptoribus explanatur: ſed ſuperius ſpatium ad cœlum pertinere dicitur, inferius autem terræ fieri coniunctum non dubitatur. Etenim excelſum ſpatium, quod cœlo pertinere diximus, puriſſimum ac ſubtiliſſimum, nec nubium tumores, nec ventorum inflationes, nec pluuiarum aut imbrium humidas conſpirationes, nec niuium vel grandinum gelidas coagulationes, nec aëris mutationes, nec tempeſtatum & tonitruorum frangores, ſed nec ipſum aërem qui volantium auium corporatur, & ipſarum nubium ſpiſſiorem aëris ipſius molem ſufferre valuiſſet, & animantium diuerſorum vitas aëri ſpiritus reciproca inflatione reficeret, atque halitu ani-

maret, nec vllas omninò diuersorum hemispheriorum perturbationes omnimodis habet; sicut olim * Phrigiæ montis altissima terrarum, & ob id cæteris incognita hominibus iuga conscendentibus, comprobatur, & eorum relatione refertur, qui aceto humectas spongias ad conseruandam aëri spiritus inflationem & spirationem, ac naribus circumponentes, anniuersaria consuetudine nescio quâ superstitione ducti conscendunt; & nec ibi vllam auem, nec nubem, nec pluuiam, nec ventum aliquem vidisse se confirmant, & consummatis sacrificiorum, quorum gratiâ vadunt, officiis, ibidem quædam signa ac notas arenis imprimentes redeunt, quas etiam illic post annum iterum ascendentes illæsas atque intemeratas inueniunt. Ex quo perspicuè demonstratur, nihil ibi perturbati aëris consistere, præsertim cùm in eodem loco nihil quod pertineat ad virorem herbarum, aut arbustorum reperiri, aut videri queat. Sed tamen non ipsum esse, de quo superius diximus, illud purissimum ac subtilissimum supernum spatium putandum est, ad quod nulla terra pertinere, vel accedere potest, sed hic locus ad extrema huius spatij inferioris & vicina illius superioris confinia pertinet. In quo tamen loco eorum qui carne vestiuntur vita nequaquam potest commorari. Vnde perspicuum est illud superius purissimum, tranquillissimumque spatium, de quo paulò antè differuimus, non carnalium habitationi, neque mortalium rerum vsibus esse præparatum. Quapropter plurimi Catholicorum Authorum illud spatium primitus Angelis, qui lapsi sunt cum suo principe, asserunt ad habitandum fuisse destinatum, eò quòd desuper cœlestium Angelorum neminem cecidisse arbitrantur, sed cœlestes quandiu in Angelica beatitudine fuerant, in quo tamen per tempus non steterant: *Quoniam*, vt scriptura inquit, *ipse diabolus ab initio mendax est: & in veritate non stetit*, hunc locum habitationis sorte putant percepisse, quē scriptura pronuntiat paradisum cœlestem, quæ sub persona principis Cyri ad summum illum Angelum Apostatam ita loquitur: *Perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti*: hunc locum habitationis sorte putant percepisse. Quemadmodum enim homines post peccatum suum de terreni paradisi fœlicitate deiecti, in huius terræ

Codex habet Phy.

Ioan. 8. 44 *1. Ioa.* 3. 8.

Ezec. 28. 13.

Digitized by Google

maledictioni obnoxiæ plagali modo habitationem truſi ſunt, vt dum in terra peccauerunt, in deterioris terrę manſione poſteà ſub pœna delicti viuerent. Ita & Angelos, qui aëreo, immò etiam aëris ipſius puriore ſpatio, peccaſſe putantur, in inferiorē deturbati de ſuperni & puri aëris, ſuæq; dignitatis fœliciſſimæ, miſerè & infœliciter ſub expectatione futuri examinis, in quo duriùs condemnabuntur, viuere æſtimant; vt dum aërea corpora habent, & in aëre nunc commorantur, non inconuenienter æſtimentur etiam priorem ſuæ beatitudinis ſedem in aëre, ſed puriore & ſubtiliore pridem habuiſſe. Qui tamen locus dum cœlo firmamenti, vt prædixi, pertinet, cœli nomine cenſetur: ſicut Dominus ipſe perhibet, dicens: *Vidi ſathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Ex ipſius enim loci perſpicua ac pura beatitudine, peccati ſui merito deiectus, in inferioris ſpatij, hoc eſt nebuloſi ac brumoſi aëris, infœlicem ac miſeram habitationem deſtinatus eſt; ſicut Apoſtolus Paulus conteſtatur, dicens: *Non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & Poteſtates huius aeris, aduerſus mundi Rectores harum tenebrarum.* Quæ etiam ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus idem Paulus Chriſtum in ſemetipſo denuntiat triumphaſſe. *Luc.* 10.18 *Eph.* 6.12.

Deiectis ergo malignis ſpiritibus cum ſuo principe diabolo ex illo, quem prædiximus, limpidiſſimo ſub cœleſtium ſpatiorum habitaculo, & poſtmodùm redempto ex Adæ, & proprio vniuſcuiuſque delicto, per Mediatoris aduentum humano genere, eundem locum animarum ſanctarum interim eſſe quieti, dum reſurrectionem expectant futuram, id eſt, putatores opinantur: quem etiam cœleſtem paradiſum autumant eſſe nominatum: de quo Dominus latroni in cruce confitenti reſponderat: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Quin immò illo paradiſo arboribus conſito, & lucido fonte præpolente, animæ exutæ corporibus non indigent: quin immò ſpiritalis homo carnalem vſum corpore mortis liberatus non poſſidet, nec refici terreni paradiſi frugiferis arboribus neceſſe habet: æternus enim temporalibus non vtitur, ſed æterna & ſpiritalia contemplatur. *Luc.* 23 43

Hæc non confirmantium, ſed æſtimantium ſenſibus perſtrinximus, præſertim cùm & ipſā æſtimandi de talibus per-

Digitized by Google

spicaciam nobis ipsis non attribuimus. Cùm enim necessitas exegerit, harum omnium putationum Authores in medium adducere poterimus, quibus aut fides, aut dubitatio ascribi poterit: quorum referendo potiùs quàm defendendo laboramus: nos enim alterius fortè melioris, si adsit assertioni, cui plus vel scripturæ exempla, vel Catholicorum consapientium suffragauerint, concordiam subire parati sumus. Sed de superiore spatio his vtcumque explanatis, ad subsequentia festinemus.

CAPVT VII.

De spatio inferiori, & hemisphæriis diuersis.

DEhinc inferius spatium aër vocatur, quem terræ sociari diximus, & à quo vniuersæ carnis quæ in terra aëre versatur, vitam adiuuari & contineri in nobis, & per nos comprobamus. Qui & aliquando etiam terræ per scripturas nomine vocitatur; sicut per Psalmistam dicitur, cùm in Domini creatoris laudem ordine summo cunctæ creaturæ incitantur, & cùm consummatis his quæ ad superiorem cœlorum ordinem pertinent, ad hæc aëris spatia peruenitur, taliter subinfertur: *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum,* * *qui faciunt verbum eius.* Hucusque enim in aëre sermo est, qui terræ nomine vocitatur: post modum namque de humo & inferioris terræ naturis scripturæ vocibus imperatur: *Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri.* Idcircò autem aër terræ vocabulum sæpe sortitur, quia crassitudine, & velut soliditate quam in se habet, volantium auium quamuis maximarum corpora sustentantur, quæ velut pisces penè aquatilia marinorum fluctuum recondita natando penetrant; sic volucres spatia volando pertranseunt. Cuncta etenim quę aqua præstat ad conseruandum vitam aquatilibus, hæc aër facit volatilibus: quoniam sicut reciproco halitu auium, & omnium quæ in aëre & terra viuunt, vita alitur & conseruatur, ita eorum quæ in aquis degunt, inspirandi, exspirandíque

Ps. 148.7. al. * quæ

Ps. 148.9.

Digitized by Google

tractu per aquam vitalis motus reficitur. Vnde cùm in aërem trahuntur, quia limphaticum ſpiramentum non habent, citò deficiunt; ſicut & ea quę in aëre viuunt, cùm ab eis aër excluditur, vltra viuere non poſſunt. Sicut autem illa aëris ſoliditate volatilia, vt dixi, corpora fulciuntur, ita ipſa eadem terrenam quam in ſe habet craſſitudinem, propter quam & terræ vocabulum ſæpe ſortitur, tumida nubium moles ſuſtentatur, & per illam ſoliditatem aëris craſſitudo, niues, & grandines, & glaciem, adnitente vi frigoris, parit, quando ita efficitur.

Nam hoc aëris ſpatium ſuæ naturæ inſitum habet, vt fumali leuitate vapores aquarum de terra & maris ſpecie contrahat & colligat, quos in ſublime eleuans, quandiu minutiſſimis guttis conſiſtunt, non globatis in ſe nubibus, ipſe per ſemetipſum aër ſuſpendit. Sed cùm vexante vento illæ guttulæ in maiores ſtillas coëunt, aëris ampliùs naturâ non ferente, pluuialiter imbres ad terram delapſi cadunt. Si verò ipſas quâs prædiximus ſtillas, vento in maiuſculas moles coagitante collatas, antequam deorſum pluant, gelu in nubibus arripuerit, lapillos coagulatos frigoris vi violentiâ conſtringit. Si autem paulò remiſſiores necdum denſatos vapores, in guttas, id eſt, gelu, præuenerit, in niuis ſpeciem magna vis frigoris eoſdem tranſmittit, & quod in ſe ſuſpenſa altiùs nebula taliter nutrit, non ſufferente aëre, ac vento diſpergente, ad terram dimittit. Sicut de hoc eodem Pſalmiſta commemorans, de Domino dicit. *Qui dat niuem velut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit criſtallum ſicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Et vt oſtenderet ſiue in terra, ſiue in nubibus, niues in aquas iterum reſolui conſueſcere, paulò pòſt ſubiungit, dicens: *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.*

Pſ. 147. 5.

Ibid. 7.

Iob. 26. 8.

Vt autem perſpicuum ſit ipſas aquas hoc modo in nubibus ſuſpendi, in libro ſancti Iob ſcriptum videtur: *Qui* ſuſpendit aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.* Attamen illas aër ad terram & ad mare dimittit, quas ex iiſdem inferioribus partibus ante ſuſtulit. Et quamuis de ſalſa Pelagi latitudine eas traxerit pluuialis conceptio, per aërem indulceſcit. Quemadmodum cùm ſalſa de profundo maris

al. * *Ligat*

Digitized by Google

vnda propinata per humum terræ infunditur (sicut nautis est frequens consuetudo) in dulcis aquæ saporem statim mutatur; commutatione verò aëris ventos, & vehementiore concitatione ignes etiam, ac tonitrua occultis imperiis per Angelos, quibus visibilis regitur mundus, sicut & cætera Conditor facit. Nonnulli verò de effectu tonitru illud intendunt, quòd cùm circa aërem duorum elementorum, hoc est ignis & aquæ, sunt spatia; vnum superius, sicut diximus, & vnum inferius, & tamen aëris natura vtraque in se trahit, id est, aquã vaporaliter de imis, & ignem caumaliter de supernis, ipsa duo contraria sibi elementa confligunt. Impossibile nánique est absque humidis nubibus & fulgoribus tonitrua moueri, sicut intuentium oculis perspicuè patet; in quo conflictu ignis & aquæ confusi sonitus horribiléque fragores suscitantur: & si ignis victor fuerit, terræ atque arborum fructibus non mediocriter nocet: si verò aqua vicerit, frugiferam vim tam in arboribus, quàm in his quæ olerum diuersis speciebus nascuntur, non perdit. Illo enim præcipuè tempore tonitrua sonant, quo arborum & terrarum fruges in ostensione adhuc fiunt, priusquàm matureſcere incipiant. Per creaturas enim aliarum creaturarum incrementa, aut decrementa, Domini conditoris imperio gubernantur.

Ex caumate caumaliter.

CAPVT VIII.

De diabolo, & natura dæmoniorum.

IN hac autem turbulenta ac nebulosa aëris huius mansione, de sublimi fœlicitate, vt diximus, Angeli repulsi cum suo principe commorantur. Sed ille princeps, Sathanas & diabolus nominatur, reliqui vero spiritus ipsius principis ministri, qui priùs Angeli fuerant, nunc dæmones vocantur. Quemadmodum etenim merita, sic & nomina mutauerunt & loca: sed tamen & nunc per scripturas antiquo vocabulo, eo quòd isti nequitiæ sunt nuntij, sicut boni spiritus sunt nuntij, iustitiæ sæpe Angeli vocantur. Sicut in Euangelio scriptum legitur: * *Qem præparauit pater meus diabolo & Angelis*

Matt. 25. 45. al. * *Qui paratus*

Digitized by Google

gelis eius. Et Apoſtolus ait: *Datus eſt mihi ſtimulus cárnis meæ Angelus ſathanæ qui me colaphiſet.* Sed has etiam ſedes vſq; in iudicij tempus ſub expectatione terribilis Domini aduentus, non ſine timore ac tremore, licèt infructuoſo, interim poſſident; ſicut Apoſtolica dicta perhibent, quibus dicitur: *Nam & dæmones * timent & contremiſcunt*: Et vt manifeſtum ſit, quòd ſub expectatione temporis, in quo durius iudicabuntur, vel potiùs perdentur, hunc locum aëris habitant ſpiritus immundi, qui in præſentia Saluatoris clamabant: *Quid nobis & tibi* IESV *Fili Dei? veniſti huc perdere nos ante tempus?* In aduentu namque Æterni (quando communis Sanctorum omnium oratio complenda eſt dicentium: *Fiat voluntas tua & in terra ſicut in cœlo*) ad tenebras exteriores ſerui inutiles eiicientur, cùm Dominus aduerſarios ſicut repulit è cœlo, ſic expellit humo, quibus æterni ignis (ſicut Dominus ipſe teſtatur) à Patre irremediabiliter præparata eſt pœna. Qui ideò nec remiſſionem, nec redemptionem recipere merentur; quia de ſublimiſſimo ordinis ſtatu ceciderunt, ac propterea à nihil aliud in quid iterum, dimiſſo peccato vocarentur, habuerunt, dum omnem ſuam beatitudinem, in qua conſtituti ſunt, tranſgreſſione naturalis boni, quod erant, & dominicę legis, in qua conditi ſunt, polluerunt: propter quod nec pœnitere deſiderant, nec etiam ſi pœnituiſſent, veniam recipere omninò poſſent.

eſt diabolo. 2. Cor. 12. 7. Iac. 2. 19. al.* credũt Luc. 4. 34. Mat. 6. 10. Matt. 25. 41.

Quoniam humanum genus à ſuo conditore Redemptionem idcircò promeruit accipere, quia de inferiore ſui ordinis gradu corruit: cùm enim eſſet adhuc in paradiſo terreno poſitus, generandi officio deſtinatus, ciborúmque eſui deputatus, immutationem in meliorem, ſublimioremque, & ſpiritalem vitam ſine morte reciperet, ſi quandiu in hac conuerſatione poſitus eſſet, in mandati cuſtodia homo permaneret. Clementiâ ergo Conditoris ad illum ſtatum, ad quem peccans adhuc non peruenerat, per paſſionem Domini reuocatur, quem ſi inde cecidiſſet, ſicut Angelus, nunquam iterum reuocaret: quoniam non ad illum gradum vel ordinem, vnde primus homo ceciderat, ſed ad alium ſublimiorem, quem ſperauit, reſtitutio fiet, dicente Domino: *Erunt ſicut Angeli in cœlo.* Scilicet quia non ſicut homines in paradi-

Matt. 22. 30. Marc. 12. 25.

Digitized by Google

ſo: in illam enim mortalitatem, quæ generandæ proli, & ciborum eſui deputata pro tempore eſt, quamuis redempti homines, redire non poterunt; ſed poſt mortem reſurgentes ſpiritalibus corporibus non creſcendo, non feneſcendo, non moriendo Angelicæ fælicitatis conſortes erunt.

Tempus verò diabolicæ tranſgreſſionis ſi requiritur, ante tempus viſibilium rerum diaboli peccatum fuiſſe originaliter deprehenditur: omnia enim quæ facta ſunt, ſimul & ſine
Eccl. 18. 1. tempore facta fuiſſe ſcriptura docet, quæ dicit: *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* In quibus omnibus etiam infer-
Matt. 25. 41. nalis ille ignis æternus, de quo Dominus dicit: *Ite in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & Angelis eius:* ſimul factus fuiſſe minimè dubitatur. In eo enim quod dicit, creauit omnia ſimul, nihil non factum in omnibus creaturis reliquit. Cui ergo carcer in illa creaturarum conditione præparatus eſt, illius peccatum originaliter ipſas creaturas præceſſit: nequaquam enim adhuc innocenti pœnam Dominus præparaſſet, ſi non illius delictum præparatam pœnam præceſſiſſet. Sed & hoc etiam ſine tempore fecit, qui damnationis eius pœnam, quâ ſeruus fugitiuus cruciaretur, effecit.

Iſte autem Angelus cùm à Conditoris beatitudine receſſit, omne ſuæ naturæ bonum, quod in conditione ſua habuit, totum amiſit; ſed ſibimetipſi malus, Deo ſemper bonus perſeuerat, dum obedienter Dominicæ iuſſioni, quamuis non ſponte, propter potentiam Dei tamen obtemperat. Ex omni enim naturæ bono quod habuit, hoc nunc tantummodò habet, quod Deo Creatori ad cuncta obedit imperata. Sed hoc bonum non in diabolo & miniſtris eius bonum eſt, qui idcircò obediunt, quia non obedire non poſſunt: ſed hæc eorum obedientia in Deo bona eſt, cuius bonæ quidem voluntati inuita diaboli mala voluntas, cùm bene operari præcipitur, reſiſtere non poteſt. Sed plerumque accidit, vt cùm Dei bonâ voluntate aliquid facere imperatur, ipſius mala voluntas in hoc eodem opere paſcatur: Quemadmodum ad decipiendum Achab impiiſſimum Regem, idololatram ſcilicet & Prophetarum perſecutorem, cùm à Domino miſſus in quo deciperet interrogaretur, non ſolùm ſe ſponte paratũ ad hoc opus obtulit; ſed etiam quali conſilio illud effice-

Digitized by Google

ret, indicauit, ac reſpondit: *Vadam, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et Dominus dicit, vade, & fac ita, & decipies Achab.* Valde enim conuenerat, vt qui veros Domini Prophetas neci dediſſet, per pſeudoprophetarum falſiloquia ſeductus, deceptus periret. Ecce prõptiſſimè diabolus ſuâ malâ voluntate citò ad iſtud decipiendi impij officium ſemetipſum obtulit, ſed niſi à Domino permiſſus fuiſſet, hoc facere non potuit: in qua re bona Dei voluntas ſanctorum Prophetarum iuſtam vindictam exercuit, ſed malus miniſter in interitu impij & peccatoris malam ſuam voluntatem cibauit. 2. *Par.* 18. 21.

Sed nec in his quæ hominibus ſubdita ſunt, aliquid abſque Dei permiſſione facere valet, ſicut Euangelica veritas perhibet, quâ refertur: *Si nos eiicis, mitte nos in gregem porcorum.* Sicut enim in illis hominibus, à quibus expellebatur, contra Domini præceptum vltrà permanere non potuit, ſic & in porcos abſque eius introire permiſſione non potuiſſe ſe oſtendit. Quod in beato Iob, & in rebus quas poſſidebat & amiſerat, ſimiliter manifeſtatur. In quibus inimici nequitiæ abſq; Conditoris permiſſione nihil egiſſe probatur, ſicut dicitur: *Nonne vallaſti eum, ac domum eius, omnémque ſubſtantiam eius?* Et cùm à Domino maligni hoſtis poteſtati eius ſubſtantia permittitur, ita ſubinfertur: *Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt: veruntamen in eum ne extendas manum tuam.* Et hæc ita eſſe ſentiens Iob cùm ſuarum rerum damna comperiiſſet, ita reſpondit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit. Quomodo voluit Dominus fecit: ſit nomen Domini benedictum.* Non Iob dixit Dominus dedit, diabolus abſtulit; certiſſimè enim abſque Dei permiſſione in rebus aut hominibus nihil omninò facere poſſe aduerſarium ſciebat. Sed ſæpe, vt dixi, in eodem miniſterio & eius aduerſarij praua voluntas per ſe paſcitur, & Domini beneuolentia, aut iuſtæ vindictæ, aut fructuoſæ probationis, aut Iob diſpenſatione miniſtratur: ſub quâ bifariâ bonæ & malæ voluntatis diſtributione, & malos poſt vindictas trucidant, & bonos per tentamenta probant. Ad hoc námque ipſorum quandiu in hoc aëre adhuc liberè volitant, vſque ad tempus extremi iudicij pœna à Domino differtur, vt & reprobi ex hominibus eorum con- *Mat.* 8. 31. *Iob.* 1. 10. *Iob.* 1. 12. *Iob.* 1. 21.

sortes & sceleris & spurcitiæ appareant, & boni per tribulationes eorum irrogatas probati manifesti fiant.

At verò improbi & impuri spiritus, vagi & subtiles, animo passibiles sunt, & aëreis corporibus induti, nunquam senescunt, & cum hominibus inimicitias exercentes superbiâ tument. Fallaces atque in fraude callidi homines, sensus commouent, terrorémque mortalibus inferentes, inquietudinibus somniorum, & morbis, & distortione membrorum, vitam turbant, præstigia atque oracula fingentes regentésque * solites, cupidinem illiciti amoris, & cupiditates humanis cordibus infundunt; & verisimilia mentientes in bonorum etiam Angelorum habitum & lucem se transformant. Et quemadmodum nequitiâ, ita & potestatum gradibus distant. Et sicut nunc boni spiritus, hoc est, perfecti Angeli, impassibiliter aëra penetrant, ita & hi si non peccassent, ea quæ nunc passibiliter loca possident subiecta sibi, si fœliciter & beatè viuerent, hæc eadem haberent. Et hi etiam quando sua nomina proferunt, ex officiis nequitiæ & potestatibus vocabula sibi assumunt: quemadmodum cùm à Domino de suo nomine in regione Gerasenorum aduersarius interrogatus fuisset, respondens, inquit, *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Vnde manifestum est, non proprij nominis, quod non habuit, sed sui gradus ac potestatis vocabulum protulisse; & requirenti Domino, quia aliter loqui non potuit, de semetipso quod erat verum indicasse.

f. * *soli res*

Marc.5.9.

CAPVT IX.

De natura aquarum, & cursu Oceani.

POST aëris spatia cum suis habitatoribus cursa, nunc ad aquæ elementum, quod inter aërem & terram constitutum est, intentio dirigitur: cuius congregatio, sicut Geneseos scriptura declarat, Mare vocatur, cùm dicitur: *Et congregationes aquarum appellauit maria.* Quarum ea pars, quæ per fontes, & flumina, & stagna terris interfunditur, dulcedinem habet, vt & sitientibus animalibus potamenti & cæterorum vsum solatia præberet, & alendis fructibus ter-

Gen.1.10.

Digitized by Google

ram fœcundiùs irrigaret. Propter quod * quidè nubibus cri- *f.* * quidē
brati per aërem defluunt, vt aptiùs ad frugiferam vim, & ſe-
dandam ſitim, ſicut ante diximus, ſubuenirent, ſapidi fiunt.
Ea verò pars immutata aquarum congregatio, quæ per ma-
gna terrarum ſpatia dilatatur, & aquæ ipſius fines occultan-
tur, ſalſuginem & acriorem ſaporem inſitum ſibi naturaliter
tenet, vt conuenienter humanis vſibus fructus, quos ſapidi
liquoris non haberet vnda, vtilius nutriret. Sed vtrum ſapi-
dum an ſalſum ſaporem naturaliùs, an æqualiter vtrumque
aquæ habeant, pro certo Deus viderit; quamuis & plerique
ſalſuginem naturalem eſſe aquarum ſaporem putant; dulcio-
rem verò terræ aut aëris natura condiri æſtimant: ſed tamen
quemadmodum ſalſa aqua per humum perfuſa dulceſcit, ita
& dulcis aqua per marinorum olerum cineres infuſa, ſalſi
protinus ſaporis fit; vnde vterque ſapor naturalis eſſe ſuo
modo non eſt difficiliùs credi, dum ab alterutro in alterum
vterque poteſt refundi.

Maris verò fretibus crebrò terrarum ſpatia diſtinguun-
tur, vt & gentium terminos intercluderet, & munificentia
ſuorum fluctuum omnes prouincias diuerſorum populorum
ditaret, & inter omnes patrias cũcta commutata inuicem cõ-
mercia neceſſaria miniſtraret. Quantam verò concordantiã
cum lunæ curſibus inundatione & receſſu Oceanus habeat,
intuentibus diligentérque animaduertentibus perſpicuè pa-
ret, qui quotidie ad terram bis venire ac recedere per horas
viginti quatuor indeſinenter videtur, cuius curſus tota con-
uenientia in * ledonis & * malinæ diuiſus viciſſitudines par-
tiatur; ſed ledonis aſſiſa ſex ſemper horas incrementi ſui im- * *Maris*
mutata conſuetudine complet, & per totidem horas ipſa *æſtuatio.*
ſpatia quæ texerat retegit. Malinæ autem aſſiſa quinque ho- * *Oceani*
ras ſuæ inundationis agit, & per ſeptem horas eiuſdem *incremen-*
receſſu ea littora quæ compleuerat, vacua redit; quæ tantam *tũ, æſtus.*
concordiam cum luna videtur habere, vt in eius medio ſem-
per luna naſcatur, quæ per ſeptem dies, & duodecim horas, &
quartam diei partem diligenti exploratione perſeuerare vi-
detur; & ita fit vt cùm iterum luna plena minuitur, etiam
malina rurſum tenebroſa dimidiatur: interpoſitis verò ſpa-
tiis ledo deprehenditur, qui nec plenilunium, nec naſcentis

Digitized by Google

lunæ initia, in quam adire cernitur, & per hanc viciſſitudinẽ efficitur, vt per omnem communem annum XXIIII. malinæ, & totidem ledones numerẽtur; in emboliſmo autem viginti ſex malinę, & eiuſdem numeri ledones inueniuntur, quia per omnia cum lunæ curſu inſeparabiliter marinus comitatur. Quatuor verò ex his, hoc eſt temporum, quatuor mediæ, duæ ſcilicet æquinoctialis, malinæ duæ, cùm aut dies aut nox incrementi & decrementi ſui finem faciunt ſolito validiores, ſicut oculis probare licet, ad inundationem altiores fieri videntur, & maiora littorum ſpatia retegere cernuntur. Et quoniam impoſſibile eſt, vt non aliqua licèt nobis incognita ſpatia deſerat, quando per noſtrarum terrarum ſolum exundat, ſicut eadem loca à nobis recedens implet, vt num aſſiſa ibi ſit receſſa, & an receſſa ibi ſit aſſiſa, dimidium maris miniſterium ignorare fateri compellimur. Sed in hoc & multis ſimilibus nihil noſtræ ſcientiæ conceditur, niſi Creatoris potentiam atque immenſitatem clamare, qui *omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuit.* Et interim cum inſigni Gentium Magiſtro dicere: *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum.*

Sap. 11 21.

1. *Cor.* 13. 9

Ex hoc autem lymphatico elemento piſcium & auium, hoc eſt, omnium aquatilium & volatilium diuerſa genera facta fuiſſe Geneſeos ſcriptura pronuntiat. Sed piſcium, id eſt omnium quæ in aquis viuunt animantium CLIII. eſſe genera philoſophi, qui de rerum naturis ratiocinantur, enumerant: quem numerum Apoſtolica ſagena velut ex omni genere piſcium congregans contraxerat. Auẽs verò vtrum & ipſæ hunc ſuorum numerum generum habeant, an maiorem, an minorem, etſi ſint aliqui qui æſtiment, tamen quia grandi hoc authoritate firmare non poſſunt, nec ſequendi, nec reſpuendi ſunt: ſed cùm de aqua omnium auium origo proceſſerit, vnde tam diuerſæ earum conſuetudines manendi, ſeu viuendi, ſeu natandi extiterint, vt aliæ in ſalſis vndis ſemper ſupernatent, & victum habeant; aliæ in dulcium aquarum ſtagnis & fluminibus commorentur; aliæ in terra ſine vlla natandi conſuetudine degunt, quarum aliæ in campaniis, aliæ in ſiluis, aliæ in montibus, aliæ in paluſtribus locis fieri

Digitized by Google

conſueſcunt: alias ad volandum penna non ſubleuet, aliæ ita excelſa ac remota aëris ſpatia volando penetrent, vt æſtatis tempore etiam niuem de altiſſimis nubibus ſuis pennis deferant. Niſi fortè has tam diuerſiſſimas conſuetudines originis, quamuis de aqua diuerſitas conditionis in omnibus auibus efficit, vt ex his aliæ de ſalſa vnda, aliæ ex dulci aqua, aliæ de herbarum rore, aliæ ex arborum conſtillatione, aliæ ex paludium humore, aliæ ex montium confluxione, aliæ ex aëreo vapore, aliæ ex altiſſimarum nubium fluida conſpiratione conditæ ſint, atque illud earum vnaquæque naturaliter quod ſuæ conditionis origini pertineret, aſſueſceret, vt ibi & inde quæque auis viueret, vnde priùs vt eſſet, habuiſſet.

CAPVT X.

De Paradiſo.

ET quoniam poſtquàm terra in elementorum ordine ſtatuta eſt, primùm de paradiſo dicemus, vbi primorum hominum habitatio extiterat: quamuis commemorandi loco ſermo ponendus ſit, de quo plurimorum diuerſæ ſententiæ prolatæ ſunt, vtrum ipſa immortalis vita, quâ ante peccatum hominis donati ſunt, paradiſi nomine dicta eſt, an totus hic terrarum orbis tam commodè innocentérque viuentibus diſpoſitus fuerat, vt paradiſus diceretur, quatenus quandiu inculpabiliter ſine vllo vitio poſſeſſores vixiſſent, etiam terræ eius habitatio iiſdem cuncta fœliciter abſque vllo labore miniſtraretur, ac poſtmodum ipſis peccantibus, atque in deteriora mutatis, etiam orbis eorumdem vitio & vindictæ ſententiâ mutatus eſt, atque obſcuratus (quomodo de Sole diximus & Luna) & ſui decorem & rugiferam vim, etſi non totam, maximâ tamen ex parte amiſiſſet, vt quæ beatitudini & fœlicitati bene viuentium opitulauerant, malè viuentium vindictas cumularent.

An etiam ſpiritaliter aliquis locus huius terræ fœlicitatis beatitudine plenus, hominibus ſuæ creationis, meritum ſeruaturis diſpoſitus fuerat, in quo nihil, quo beatitudinem cor-

poralem læderet, quandiu mandati patientia ſeruaretur, inerat. Cui ſententiæ ſcripturæ Geneſeos authoritas non mediocriter ſuffragatur, dicentis: *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum à principio, in quo conſtituit hominem quem formauerat.* A principio enim plantatus paradiſus dicitur, dum principatum orbis ſpecialiter hic locus tenere videtur, in quo primus homo ſtatim poſt ſui conditionem conſtitutus fuiſſe non dubitatur. Etenim omnibus modis conueniebat, vt caput & principium humani generis in capite & principio poneretur orbis, vt inde hominum propago membrorum ſuorum incrementa ſumeret, vnde terrarum orbis, quem inhabitat, initium acciperet. Cuius paradiſi ſtatum cùm eadem ſcriptura enumerat frugiferis arboribus conſitum, & fonte magno, quo totius terræ facies rigatur, adornatum enarrat, dum appoſitum ibi hominem ita inquiens loquitur: *Ex omni ligno paradiſi comede.* Et mulier ait: *De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur.* Et paulò antè profertur: *Et fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.*

Gen. 2. 8.

Gen. 2. 16.
Gen. 3. 2.
Gen. 2. 6.

In quibus rebus hiſtorialiter abſque vllis ænigmatibus ipſius ſcripturæ veritatem ſeruari quid impediret; quomodò & de omnibus quæ de principio naſcentis totius creaturæ viſibilis continet corporaliter, etiam authoritas elucet. Factum námque firmamentum, & mare, & terram, & luminaria, & ſtellas, aquatilia etiam atque animalia terrena, & hominem ipſum, ſicut ſcriptura Geneſeos inueſtigat hiſtorialiter, abſque vllis ænigmatibus credimus: An in hoc ſolummodò quod paradiſi locus frugiferis conſitum arboribus, & magno fonte illuſtratum commemorat, niſi in ænigmate non recipiemus? Sed hoc vtroque modo poteſt intelligi, id eſt & ſecundum rerum geſtarum hiſtoricam narrationem, & ſecundum tropologiam, id eſt, iuxta moralem explanationem.

Tribus modis intelligenda ſacra ſcriptura.

Scriptura etenim ſacra, ratione tripertita intelligitur, cuius primus intelligendi modus eſt, cùm tantummodò ſecundum litteram ſine vlla figurali intentione cognoſcitur, vt ſanctus Hieronymus ait: Actus Apoſtolorum nudam quidem mihi videtur ſonare hiſtoriam. Secundus modus eſt, cùm ſecundum figuralem intelligentiam abſq; aliquo rerum reſpectu

Hier. ep. 150. q. 12. ante fin. Et in Eze. l. 5. c. 16.

Digitized by Google

reſpectu inueſtigatur: vt prima & extrema pars Ezechielis, & Cantica Canticorum, & Euangelij quarumdam parabolarum expoſitio, quæ aliud loquuntur, & aliud agunt. Tertius modus eſt, cùm ſaluâ hiſtoricarum rerum narratione, myſticâ ratione intelligitur: ſicut arca Noë, & Tabernaculum, & Templum hiſtorialiter facta ſunt, & intellectualiter Eccleſiæ myſteria per hæc deſignantur Sic nimirum & paradiſi locus prioris Adæ, qui forma futuri extiterat, & Eccleſiæ futuræ, quæ eſt terra ſequentis Adæ, myſteria prefigurabat.

Dum verò ibi homo immortaliter & beatè viueret, nunquid & totius orbis ſubiectio ſibi non ſubiaceret? Quid enim illum ab ingreſſu orbis intercluderet, qui in creaturis nocere ſibi aliquid non timeret: dum ignis non vreret, non aqua mergeret, non beſtiarum fortitudo mactaret, non ſpinarum vel cuiuſcumq; rei aculei vulnerarent, non abſentia aëris ſuffocaret, non omnia quæ nocent mortalibus impedirent? Corpus enim immortale & inuulnerabile, & illædibile, nihil quod mortem, & vulnus, & læſuram inferre in omnibus creaturis, quoaduſque Creatorem offenderet, per inobedientiam inueniret. Paradiſi ergo habitatorem luſtrare omnia quæ ſibi fuerant ſubiecta quid prohibuit? Cùm & hoc facere Dominus eum non ſolùm non indixit, ſed imperauit, dicens: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam; & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli.* Sicut enim Angelis in his quæ ſibi ſubiecta ſunt à ſede cœli diſcurrere liberum eſt, & tamen in cœlo habent ſedes, quid & homines in paradiſo conſtitutos diſcurrere per omnem creaturam ſibi ſubiectam ſine ſuo labore impediret? Quemadmodum námque à dolore, & ſenectute, & morte immunia corpora poſſidebant, ita & omni labore & pigredine carentia habebant. At vero cùm paradiſi colonus in loco ſuæ terrenæ fœlicitatis peccatum commiſiſſet, in maledictæ terræ habitationem detruſus, protinus illa omnia quæ priùs poſſedit partim amiſit, partim cum labore conſeruauit. Et illo excluſo à ſede beatitudinis poſſibilitas iterum redeundi intercluſa eſt, & ita factum eſt, vt quemadmodum Angelus Apoſtata cum ſuis de ſumma ſui paradiſi ſerenitate deiectus, caliginoſum huius aëris locum ſortitus eſt, ſic & homo de ſui paradiſi

Gen. 1.28.

terrena beatitudine in maledictæ huius terræ habitationem detruſus eſt. Sic etenim ſcribitur: *Et eiecit illum Dominus Deus de paradiſo, & proiecit in terram de qua ſumptus eſt. Et conſtituit ante paradiſum Cherubim habentem flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* In quo demonſtratur, quòd quamuis ligni vitæ viam Cherubim dicitur cuſtodire, ne tamen homines regredi poſſent, totum etiam paradiſum iubentur defendere, dum flammeum gladium non ante lignum ſolummodò vitæ, ſed ante totum paradiſum ſcriptura indicat eſſe poſitum.

Gen. 3. 23.

Non ſatis autem elucet de qua arbore ſpecialiter Adam comederit, ſed clarum eſt, quòd ſtatim poſt peccatum nuditatem ſuam fici foliis arboris texit, cui ſoli in tempore ſuæ carnis Dominus Ieſus paulò antè quàm mortem pro Adæ delicto ſuſcepiſſet, maledixit, & citò aruit, cùm diceret: *Nunquàm fructus ex te naſcatur in æternum.* Hoc eſt, qui hominibus vltrà, ſicut ſuperiùs diabolus, nocere poſſit, ecce in hanc arborem, id eſt, ficum, maledictum delicti Adæ, quæ totam terram inficeret, priuſquàm ſanguinis ſui rore ipſam mundaret, Chriſtus collegit. Vtrum autem ab hac primitus homo culpam, an de alia ſuſceperit, pro certo Deus viderit. Attamen illa quæcumque nunc eſt, quæ tunc ſcientiæ boni & mali arbor dicta fuerat, non eſt putandum quòd tantùm nunc vtentibus nocere poſſit, quantum potuit tunc in paradiſo conſtitutis, vt etiam nunc vtentibus ea arbore mortem conferre poſſit: non enim in arboris natura mortiferum aliquid ineſſe credendum eſt, aut etiam vt boni & mali ſcientiam facere valeret, ſed mandati Domini tranſgreſſio, quò præceptum eſt, ne de hoc ligno comederet, mortem effecit. Cuius obedientia ſi eſſet, hoc erat ſcire bonum: & inobedientia dum fuit, hoc eſt noſſe malum. Quorum tamen diſtantiam homo niſi tranſgreſſione intelligere non potuit: quando enim ſolummodò bonum poſſidebat, quid eſſet malum, & quomodò ſibi noceret, ignorabat. Vt autem manifeſtum ſit, quòd in hoc ligno qualicumque præter originalem obedientiam ligni ſcientiæ boni & mali nihil ineſſe nociuum, ecce non huius ſed ligni vitæ via excluditur; in cuius excluſione prioris delicti miſericorditer remiſſio præpara-

Mat. 21. 19

Digitized by Google

tur: ſi enim homo poſt peccatum illud originale de ligni vitæ fructu comediſſet, commiſſi pœnitus maculam miſerè in æternum & infœliciter in corpore ſenectuti & doloribus obnoxio moriendo deponere non poſſet: nullo enim alio modo hoc delicti facinus, niſi morte Dominus præparauit, quod per aduentum poſteà in carne Filij ſui Ieſu Chriſti futurum eſſe præſciuit & prædeſtinauit, vt per illius mortem noſtra culpa moreretur, & per illius reſurrectionem lex noſtræ mortis euacuaretur, & per ipſius corporis aſcenſionem, & in cœlo manſionem, noſtræ humanitati immortalitas donaretur & angelicæ & ſpiritalis vitæ conſortium, quod nobis in principio præparatum eſt, donaretur: ſicut & in extrema futuri iudicij vocatione in dextera conſtitutis certum eſt à Domino dictum: *Venite benedicti patris mei poſſidete Regnum, quod vobis præparatum eſt ab origine mundi.* *Matt.25. 24.*

CAPVT XI.

De ſitu orbis terrarum quem inhabitat genus humanum.

PORRO de terrarum orbis ſitu, quem inhabitat genus humanum, Pſalmiſta ad Dominum ait: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.* Ex quo intelligitur, non ſuper alterius elementi ſoliditatem, niſi ſuper ſuimet ſtabilitatem & firmitatem terram eſſe fundatam. Vtrum verò ſibi aliquid ſicut ipſa aquis, & aquæ aëri, & aër ſpatio ſuperiori & ipſo firmamento, & firmamentum aquis ſuperioribus conſtitutum ſit, ipſe nouit qui vbique & vndique cuncta conſpicit. Ea verò parte, quæ hominibus ad habitandum data eſt, quadrifarius orbis ſtatus eſſe multi prodiderunt authores: quarum partium quatuor vocabula quatuor litteris nominis, primi terrigenæ, hoc eſt Adam, incipere, ſapientes intelligunt. Anatole ſcilicet, Diſis, Arctus, Miſimbria; id eſt, Oriens, Aquilo, Auſter, Occidens. Conueniebat enim vt qui ſuo genere totam terram *Pſ.103.6.*

Digitized by Google

impleret, ſuo nomine quatuor quadrati orbis partium vocabula colligeret. Quatuor quoq; temporũ articulis anniuerſario ordine diſtinguitur, atq; impleto anni ſpatio, terreni orbis diſpenſatio ſemper ſine ceſſatione in circulum redigitur. Veris autem tempore quo mundus fuerat inſtitutus ſemper vernat; æſtate autem floret & fructificat; autumno matureſcit, & aptum ſuorum fructuum mortalibus vſum tribuit, myeme verò decidit & areſcit.

Sed hanc augumenti ſui & decrementi conſuetudinem patitur, quandiu ſeruituti corruptionis obnoxia mortalium officio mancipatur. Cùm enim naſcendi & moriendi in hominibus conditio ceſſauerit, tunc etiam viriditatis & ariditatis ſuæ incrementa & damna ipſa terra non habebit, cùm Eſaiæ vaticinium, immò Domini per Eſaiam completum
Iſa. 65.17. fuerit: *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, ſed gaudebitis & exultabitis in his quæ ego creo.* Quoniam dum immutatis corporibus homines ſpiritaliter viuent, neceſſe eſt vt immutata in melius habitandi loca, id
1. Cor. 5. 42. & ſeq. eſt, ſpiritalia habitent. *Hoc corpus* (vt Paulus ait) *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale: ſeminatur in contumelia, ſurget in gloria. Neceſſe eſt enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Cùm enim corruptio & mortalitas in corporibus eſſe deſierint, tunc mortalibus vti & corruptilibus homo non neceſſe habebit. Quod & in Dominici corporis reſurrectione probatum fuiſſe Euangelia ſancta confirmant, dum linteamina quibus fuerat inuolutum poſt reſurrectionem, & in monumento ſola poſita eſſe de-
Ioa. 20.5. nuntiant, quemadmodum de Petro dicitur: *Et vidit linteamina ſola poſita, & abiit, & ſecum mirans quod factum fuerat.* Nouis ergo corporibus, non indigentibus iis quæ vitæ corruptibilis vſus requirit, noua terra cum nouo cœlo ad habitandum creabitur, hoc eſt huius terræ natura & ſuperficies in ſpiritalem ſtatum, qui ſpiritalibus conueniat, abſque aliqua mutabilitate inſtaurabitur. Sed dum hoc fiet? Quando Hieruſalem laus creata fuerit in terra, & populus eius gaudium & exultatio, & quando ſancti in his quæ Dominus creat gaudebunt, & quorum ſol non occidet, & luna non mi-

Digitized by Google

nuetur, cùm redempti à Domino venerint in Sion cum laude, & lætitia fuerit ſempiterna ſuper caput eorum, & obtinuerint gaudium & lætitiam, & fugerit dolor & gemitus, & completi fuerint dies luctus eorum, & lugentes conſolati fuerint, & abſterſerit Deus omnem lacrymam ab omni facie Sanctorum, & opprobrium populi ſui deleuerit, & omnium lugentium Syon mœror depoſitus fuerit, & acceperint coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, & vocati fuerint in ea fortes iuſtitiæ, cùm benedicti ad dexteram venerint, & ſicut ſol fulſerint in regno patris eorum.

CAPVT XII.

De natura hominum poſt peccatum.

SED huius interim orbis habitationi poſt originale peccatum homines deſtinati, non totum, quod conditione ſua habuerant, naturale bonum perdiderunt; ſed vitiatum primitus delicto parentis, prauis inſuper moribus corruperunt, & ita fit, vt ſicut cum labore terræ maledictæ fructus percipiunt, ſic & bonum naturale quod in ſe habent non abſque laborioſa cura cuſtodire poſſunt: & quomodò in ſerpente, & muliere, & viro conſentiente, in protoplaſti tranſgreſſione tripliciter ceciderant, pari modo tribus vulneribus afflicti omnes eiuſdem filij, id eſt, dolore, ſenectute, morte deficiunt, & omne bonum quod in ſe inſitum naturaliter à Conditore ſuſceperant, ſtudioſo labore ex parte aliqua inuentum magna animi vigilantia vix conſeruant: & quodcumque bonum per ſtudium Dei munere quæſitum inueniunt, præter iniquam mammonam hæredibus non relinquunt, & omnes artes quas ſigillatim in vita capiunt, in huius vitæ defectu pariter dum ſpiritus funditur amittunt.

Paríque infirmitatis conditione pauperes, & reges, ſtulti, & ſapientes vexantur. Nam ſimiliter omnes ſomno indigent, & cibo refici, & veſtibus indui neceſſe habent. Paſſionibus vitiorum carnaliũ aut grauantur, aut corrumpũtur: motibus

animi, id est, ira & amore, concupiscentia & timore angustantur. Dolore, & senectute, & morte deficiunt. De præteritis citò eluuntur; de præsentibus modicè vtuntur; de futuris incerta omnia præstolantur. Eodem modo auditu, visu, tactu, gustu, odoratu, sentiunt & viuunt. Eodem etiam nexu originalis peccati astringuntur: eodem Redemptoris munere ditati vndis baptismatis & Spiritu sancto abluuntur: sed ex his hominibus aut redemptionis fidem, aut opera fidei negligentibus, pariter cum transgressoribus Angelis & diabolo suo principe pœna debetur æterna; seruantibus verò siue scripturæ documenta, siue per naturæ bonum munimina, primæ conditionis iura, Redemptoris munere vita præparata est futura.

CAPVT XIII.

De diuersitate peccantium & loco pœnarum.

SED quoniam peccatorum diuersa conditio est, sunt quædam crimina quæ per ignem iudicij purgari possunt; quædam verò æterni ignis pœnâ plectenda sunt: & ex his quæ æternâ pœnâ digna fiunt, quædam ad iudicium non perueniunt, quædam post iudicij examinationem perpetuæ damnationis sortem subeunt; sicut Paulus Apostolus inquit, *Quorundam hominum peccata manifesta sunt pereuntia ad iudicium:* quosdam autem & subsequuntur. De his enim qui iudicio carent, Dominus ipse protestatur, & dixit: *Qui non credit in filium iam iudicatus est.* Vnde intelligitur, quòd qui fidei sortem subire non merentur, nec gratiam baptismi consequuntur, ad futurum non exituri sunt iudicium, sed ex hac vita Euangelij sermone examinati, exibunt, quo scribitur: *Amen dico tibi nisi renatus quis fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* His etiam Psalmistæ verba concordant, quibus ait: *Non resurgunt impij in iudicio.* Qui autem post ablutionem baptismi peccatorum multitudine grauantur, & ipsi in duas factiones diuiduntur: quidam namque ex ipsis priusquam ex ipsa vita exeant, scripturæ sacræ

1. *Tim.* 5. 24.

Ioan. 3. 18.

Ioan. 3. 3.

vocibus iudicantur: de quibus Paulus Apoſtolus loquitur, dicens: *Nolite errare, neque adulteri, neque fornicarij, neque ebrioſi, neque maledici, neque idolis ſeruientes, neque auari, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* Qui enim hæc & his ſimilia crimina capitalia vſque ad mortem abſque medicamento faciunt, iudicati de ea vita ad perpetuas pœnas exibunt. De quorum reatu Conuiua pectoris Domini Ioannes loquitur: *Eſt peccatum vſque ad mortem? non pro illo dico vt roget quis.* Ad mortem enim peccatum deducit, qui licet in extremo vitæ termino de præteritis criminibus pœnitudinem agere negligit. Et notandum eſt iuxta Iacobum Apoſtolum, quòd *qui in vno ex his offenderit, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis, ipſe dixit, non occides. Quòd ſi non mœcharis, occidas autem, factus es legis tranſgreſſor.*

1. Cor. 6. 9.

1. Ioan. 5. 16.

Iac. 2. 10.

Quidam verò ad extremum diuini examinis iudicium, quî his capitalibus criminibus non inuoluantur, reſeruati, ex hoc ſœculo vadunt, & tamen ſententiâ ſuperni iudicis æternæ damnationis ſortem ſubibunt, qui miſericordiæ opera contemnentes, Chriſtum in pauperibus nec cibo nec potu reficiunt, nec veſtibus induunt, nec hoſpitio recipiunt, nec illi in infirmantibus, & alligatis in metallis & carceribus viſitationis ſolatia ferunt, propter quod ab ipſo audient: *Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & Angelis eius.* Non enim ad appetenda regna cœlorum ſufficit non agere mala, ſi quis non curauit facere bona: per Prophetam enim Eſaiam pariter à Domino præcipitur: *Quieſcite agere peruersè: diſcite benefacere.* Per Pſalmiſtam quoque hæc eadem verba idem Domini Spiritus concinnat, dicens: *Declina à malo, & fac bonum.* Et vt oſtenderetur, quòd poſt terrorem tam terribilis huius quam prædiximus ſententiæ, nullâ pœnitudine iudex flecteretur, in fine cunctæ diſputationis ita ſubinfertur: *Tunc ibunt hi in ignem æternum.*

Matt. 25. 41.

Iſa. 1. 16.

Pſ. 36. 27.

Matt. 25. 46.

De illius autem ignis æterni loco, id eſt inferni ergaſtulo, multi dixerunt, quòd corporalis locus ſit, vbi peccatorum corpora cruciabuntur: niſi enim ignis ille corporalis & locus eſſet, quomodò reſurgentium corpora cruciata teneret, in quibus corporalitatis veritas ita paſſibilis erit, vt ſtridori-

Digitized by Google

bus dentium, & lacrymabilibus fletibus subiacebit, sicut ipsius Domini & iudicis verba declarant, dicentis: *Inutilem autem seruum mittite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & stridor dentium.* * *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* In quo dicitur loco ad Regem Babylonis per Prophetam ita: *Subter te sternetur tinea, & opertorium tuum erunt vermes.* De quo loco quidam etiam dixit: sicut terræ in profundo aquarum, sic inferna in profundo terrarum sunt. Vnde de illo scriptũ videatur illud quod scriptum est, *Quòd neq; in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, inuentus est, qui posset aperire librum, & soluere signacula eius.* Vnde perspicuè patet hunc locum qualemcumque sub terrã esse, qui infernus inferior, & terra obliuionis vocitatur.

Matt. 25. 30. * Isa. 66. 24. Marc. 9. 45. Isa. 14. 11. Apoc. 5. 2.

Sed hic ignis dum præparatus diabolo dicitur & Angelis eius, quali corporalitate esse putandus est, qui Angelos cruciare potest, animam quoque diuitis exutam corpore infernalis ille ignis cruciasse describitur, dum dixit: *Quia valde crucior in hac flamma.* Nisi fortè hanc virtutem ille ignis & locus habet, vt Angelos, & animas, & corpora eodem modo cruciare possit & retinere. Vel certè dum de filiis resurrectionis & æternæ beatitudinis dicitur: *Et erunt sicut Angeli in cœlo.* Nimirum & filij æternæ damnationis, cùm ad pœnam ignis æterni corpora resumpserint, & ipsi erunt sicut dæmones in inferno: vt filij bonæ resurrectionis, cùm sint filij Dei bonorum Angelorum consortium; & filij æternæ mortis, cùm sint filij diaboli, consortium Angelorum sathanæ subeant: De quibus dicitur: *Et congregabuntur congregatione vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur.* Quod vtrum augendas an ad minuendas pœnas futurum sit, ignoramus.

Luc. 16. 24. Marc. 12. 25. Isa. 24. 22.

CAPVT XIV.

De igne purgatorio.

AT verò hi qui æternæ vitæ solatia percipient, bino & ipsi modo largitoris munere regni cœlorum beatitudinem

nem ſument. Quibuſdam námque ex his adhuc in terra poſitis, dum pro Chriſto pauperes efficiuntur, regnum cœlorum non promittitur, ſed abſens licet in labore & fatigatione perſeuerantibus interim donatur, cùm dicitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Similiter & qui perſecutiones hominum pro iuſtitia ſuſtinent, eadem mercedis retributione gaudent, dum ſubinfertur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Non dixit, quoniam ipſorum erit, vt vocationem futuram ſperarent, ſed cùm à corporibus exibunt velut perſemetipſos recepturi ſunt, quod in corporibus commorantes interim dono largitoris poſſident: atque idcircò & his adhuc in terra poſitis dicitur: *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: Et quæcumque ligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo.* Ac ſi diceret, in hoc intelligitur, quòd regnum cœlorum adhuc in terra cõmorantium veſtrum eſt, dum quemcumq; peccatis ſolueritis, vt illius poſſeſſor eſſe poſſit, hoc poſſidebit: & quemcumq; in maſſam perditionis deſtinatum excluſeritis, ab eodem regno excluſus erit. His igitur præcepit Dominus: *Gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Ac ſi diceretur, dum nomina veſtra de terrenæ hæreditatis conſortio causâ regni cœleſtis deleta ſunt & abiecta, vos æternæ patriæ hæredes interim ſcribi neceſſe eſt.

Matt.5.3

Matt.5.10.

Mat.18.18

Matt.5.12

Hi ergo cunctas in hac vita preſſuras & mala recipientes, abſq; examinis aliqua tribulatione, & vt ita dicam, ſine vocatione, æternum refrigerium intrabunt; quorum gratiâ & aliqui poſt purgationem vocabũtur, ſolatium ſine fine poſſidebunt, quibus poſt examinationem dicetur: *Venite benedicti patris mei poſſidete regnum.* Quod propter ſolatia pauperum, immò Chriſti in pauperibus, poſſidere merebuntur, dum eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtitum, vaganti domum, infirmanti & in carcere poſito Chriſto præbentes viſitationem, in ſuis minimis fratribus miniſtratio præbebatur. In ipſorum autem vocatione manifeſtum videtur, quod nunc vſquè longiuſculè à Chriſto, quamuis in dextera fuerint conſtituti, ſunt, quibus poſtmodum dicitur à ſummo Iudice: *Venite benedicti.* Ac ſi diceret, qui huc vſque in exami-

Matt.25.34.

Ibid.

Digitized by Google

nationis purgatione quandiu aliquid habuiſtis immunditiæ, quod iudicij igne purgaretur, à ſalute longiuſculè fuiſtis, nunc ad purum examinati ab omnibus modica culparum labe, propiùs accedite & venite.

Quaſdam culpas in futuro remitti Dominus ipſe non denegat, cum dicitur: *Qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet redemptionem neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſed reus erit æterni delicti.* Marc. 3. 29. Ex quo intelligitur quædam eſſe peccata, quæ etſi in hoc ſæculo non remittantur, in futuro tamen iudicio per ignem deleri poſſunt. Si autem ita non eſſet, hanc diſtinctionem Dominus nequaquam poſuiſſet. De quo igne Baptiſta Ioannes Dominici præcurſor aduentus, loquitur ad Iudæos: *Venit poſt me cuius non ſum dignus calceamenta portare; ipſe vos baptiſabit in Spiritu ſancto & igne.* Matt. 3. 11. Hoc eſt, qui peccata veſtra quæ præceſſerunt Spiritu ſancto per aquę baptiſmum abluet vel ſoluet, & quædam ex his quæ poſteà ſequentur criminibus per ignem purgatorium remittet. De illo enim igne, qui non mundare impios iudicatos, ſed perdere damnatos accenditur, ab eodem Ioanne paulò poſt ſubinfertur: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matt. 3. 12. Luc. 3. 17. Aliud enim eſt igni baptiſari, aliud igni comburi inextinguibili. De quo etiam igne idem Ioannes ait: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Mat. 3. 10. De igne verò purgationis Dominus ipſe in Euangelio loquitur: *Qui autem dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Mat 5 22. Non dixit ignis æterni; nempe quia hoc delictum per ignem purgatorium, potiùs quâm perpetuâ flammâ, puniri credendum eſt.

De hac quoque differentia eorum, quos ignis futuri læſura non tanget, & eorum qui poſt ignis detrimentum ſalutem percipient, Paulus Apoſtolus exponit, ita dicens: fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt IESVS CHRISTVS. *Alius autem ſuperædificat aurum, argentum, lapides pretioſos; alius verò ligna fœnum, ſtipulam; ſi cuius opus manſerit quod ſuperedificauit, mercedem accipiet, ſi cuius arſerit opus, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* 1 Cor. 3. 11. & ſeq. Per hæc autem duo

Digitized by Google

ædificia, id eſt, aurum, & argentum, & lapides pretioſos, & ligna, fœnum, ſtipulam, perfecta, & minus perfecta, ſuper fidem Chriſti ædificata opera deſignantur; ſed illa quæ per ligna, fœnum, ſtipulam deſignantur, quamuis fragilia, non tamen polluta fieri demonſtrantur. Vnde intelligitur non principalia crimina quæ maculant (quorum operarios à regno Dei Paulus excluſit) ſed illa quæ non multùm nocent, quamuis minus ædificent, per hæc poſſe deſignari, hoc eſt inutiliter: matrimonio legitimo vti pluſquam ſufficit, ciborum abundantia veſci immoderatè, quacumque re lætari, irâ vſque ad verba intemperata moueri, rebus propriis pluſquàm neceſſe eſt delectari, negligentiùs orationi quàm horarum expetit conuenientia inſiſtere, vel tardiùs quàm competit ſurgere, immoderatè riſu vocem exaltare, ſomno pluſquàm neceſſitas exigit corpus indulgere; verbum retinere, otiosè loqui quod non ita in re ſit, opinari falſum quod verum putaueris, in rebus quæ ad fidem non pertinent approbare, bonum quod faciendum eſt negligenter obliuiſci, inordinatum habitum habere. Hæc & his ſimilia peccata per ignem purgari poſſe non eſt denegandum, & eorum factorem ſi maioribus non grauetur, ſic tamen quaſi per ignem ſaluari putandum eſt.

Pœnitentes autem in extremo vitæ præſentis termino, vtrum hîc plenè remiſſionem peccatorum accipiant, an igne purgatorio eorum delicta delebuntur, ipſe ſcit, qui renes & corda conſpiciens, pœnitentiæ dignitatem conſiderat, qui latroni in cruce penè iam ſine tempore, ſine opere pœnitenti reſpondit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Et ad Ezechielem inquit: *Quacumque die conuerſus fuerit impius ab impietate ſua, omnium iniquitatum, quas operatus eſt non recordabor.* Sed de illo purgatorio igni hoc animaduertendum eſt, quòd omni quem excogitare in præſenti poteſt homo tormentorum modo & longior, & acrior ſit.

Luc. 23. 43
Ezech. 33. 12. & 19.

Digitized by Google

CAPVT XV.

De futura vita.

DE illa autem vera beatitudine futuræ vitæ exponit ſancta Scriptura: *Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* De quibus Dominus ait: *Erunt ſicut Angeli in cælo.* Et eiuſdem Domini excelſius aliquid de his ſermo denuntiat: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum*: ſol ſcilicet iuſtitiæ, & qui timentibus nomen Domini orietur, in cuius pennis eſt ſanitas, qui in monte faciem Moyſi cum Helia coram Apoſtolis euacuauit, cui dum ſancti compatiuntur, ſimul congloriabuntur. In eo autem quod priùs dixerat: *Erunt ſicut Angeli in cælo*, intuendum eſt, quòd ſicut Angeli priùs per naturam mutabiles facti, quod probatum eſt in his qui ceciderunt, nunc verò immutabiles, vt peccare non metuant nec poſſint, per Dei contemplationem effecti ſunt; ſic homines & ipſi per naturam mutabiles, quod in Adam & eius ſemine exploratum eſt, creati, poſt reſurrectionem Conditoris contemplatione immutabiles effecti, nec deſiderabunt nec poterunt: omnis enim rationabilis creatura, quæ Dei contemplatione reficitur, peccare non poteſt. Non quòd liberæ voluntatis arbitrium vitio carentes Angeli & homines non habeant; omne enim quod volunt in illa vita, hoc faciunt, ſed velle aliquid quod bonum non ſit, nequaquam poſſunt: vnde quia numquam malè volunt, delictum aliquod omnino non committunt.

1 Cor. 2.9. Marc. 12. 2. Matt. 13. 43. Mar. 12. 15

Sed hæc perfecta bona voluntas per contemplationem ſuperni Conditoris perficitur, dum quod Creatura per ſe habere non potuit, ipſius largitoris munere donatur: vnde perſpicuè intelligitur, quòd Angeli, vel homines, qui ſiue in cœlo, ſiue in paradiſo, peccauerunt, Deum non viderunt, quoniam ſi illum vidiſſent, nullo modo poſteà poſſent delinquere. Sed hæc contra reſpondens fortè aliquis dicet; Cur ergo poſt viſionem gloriæ, vnde facies Moyſi in ſolitudine

Digitized by Google

rutilabat, ad aquas contradictionis offendit? Et Petrus poſt Vnigeniti gloriam in monte cum Moyſe & Helia oſtenſam, in atrio ſacerdotum Dominum negauit? Cui propoſitioni facilè reſpondetur, quòd Moyſes per Angelum, vel creaturam aliam, poſteriora gloriæ vidit. Et Petrus, & cæteri diſcipuli per corpus humanum rutilare Chriſti diuinitatem conſpexerunt: ſi enim per ſemetipſam diuinitatem conſpexiſſent, nullo modo in carne poſteà viuere poſſent. Ipſe námq; Dominus Moyſi reſpõdit: *Nemo videbit faciem meam, & viuet.* *Exo.33.20* Sancti ergo poſt reſurrectionem non per figuras & ænigmata Dominum videbunt, ſicut de hoc eodem gentium inſignis Magiſter pronuntiat: Quia per ſpeculum in ænigmate videmus; cùm autem venerit quod perfectum eſt, tunc cognoſcam ſicut cognitus ſum. Quemadmodum poſſeſſor Dominici pectoris conuiua potens ait Ioannes: *Videbimus eum ſicuti eſt*, quando complebitur quod Eccleſiæ per Eſaiam Prophetam promittitur: *Non erit ibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, neque ſplendor lucis illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Ex quo intelligitur, quòd non per creaturas, ſed Domini ipſius maieſtate Eccleſia illuminabitur, cùm perpetuæ fœlicitatis ſerenitate ſecura conſortium Angelicæ dignitatis ſubire permittitur, in qua ſeremitate cuncta proſpera ſine arguente prę ſſurâ poſſidebit; cùm neque tenebris lux, neque morte vita, neque dolore ſalus, nec triſtitiâ gaudium, neque ſenectute iuuentus, neque amor charorum abſentiâ, neque defectu neque vlla vilitate pulchritudo, neque infirmitate fortitudo, neque iuſtitia peccato terminabitur: etſi ſupra hæc etiam fuerint illa quæ nec cogitatus, nec vlla ratio hominis adhuc in terra poſiti apprehendere valet. *1.Cor.13.12* *1.Ioa.3.2.* *Iſa.60.19.*

Ex his autem omnibus Creaturis, quarum perſtrinximus ordinem, quædam ex nihilo, quædam ex aliquo Conditor creauit: cœlum enim, & terram, mare, & quæ ex eis facta ſunt, ex informi materia condidit; ipſam verò informem materiam, & Angelorum ordines, de quibus prædiximus, & animam humanam, ex nihilo fecit. Animam etenim neque de ſemetipſo, neque de aliqua qualiber ſubiacente creaturarum corporalium materia, fieri Deus inſtituit, quoniam

Digitized by Google

non Dei partem, ſed Dei creaturam credimus eſſe. Si enim de ſemetipſo eam Deus feciſſet, nequaquam paſſibilis, & mutabilis, & miſera eſſet. Item, ſi ex creaturis corporalibus illam creaſſet, & corporale aliquid in ſua natura haberet, aut nunquam calorem de ignea, aut flatū ex aërea, aut humorem ex aquatica, aut craſſitudinē & ſoliditatem ex terrena materia haberet; ſed quia his omnibus caret, incorpoream illam eſſe conditam conuenit, & per ipſam incorporalitatem, & æternitatem, & * mutabilitatem, & liberi arbitrij poteſtatem, eandem cum Angelis habere ſubſtantiam, creandíque originem dignoſcitur. Hæc autem Dei imago non in æternitate ſimilitudinem in arbitrio liberè poſſidet: de qua imaginis Dei ſimilitudine impreſsâ Propheta commemorat, dicens: *Signatum ſuper nos lumen vultus tui.*

f. * immutabilitatē.

Pſ. 47.

Vtrum autem ſingulis corporibus ſigillatim admittantur, an ex Adam venire & ex parentibus, ſicut naſcentium corpora, putandum ſit, cùm à multis & ſapientibus viris diſputandum ſit, & tamen de hac quæſtione nihil cui plus fides accommodanda eſſe potuerit, reliquerint? Quid nos de tanta & tam periculoſa re aliquid tentare oportet, vel quid nobis horum, in quibus ſe inuicem partes vincunt, cùm proprias expoſitiones aſtruere non poſſunt, proferre, emolumenti confert? & idcircò ne ſupra nos aliquid appetamus, hanc quæſtionem, quæ à multis ſcriptoribus inſolubilis eſſe dicta eſt, ſcientiæ Conditoris reſeruemus: quoniam quæcumque ex carnibus agni Paſchalis comedentis ſaturitas conſumere non potuerit, curâ non exiguâ vorax craſtino flamma conſumit, per quod intelligitur, quia omnia quæ ſcripturæ ſacræ corpore noſtræ inueſtigationis ſcientiam effugiunt, dominicæ ſapientię rogo igne illuſtrata & conſummata fiunt. Sed & illa quæ velut per exiguam feneſtram noſtri ſenſus & ſapientiæ ex antè aliqua eius gratiæ illuminatione attigimus, ad perfectum omnia ſcire ſicut oportet non valemus; ex parte enim cognoſcimus, quandiu in hoc ſæculo ſumus: ſed ſi ad illud Patris luminum inæſtimabile lumen perueniamus, tunc cognoſcemus ſicut cogniti ſumus.

Braulium Cæſar-Aug. Epiſ. alloquitur

Ecce, VENERABILIS PATER, De Ordine Creaturarum tibi proponēti, iuxta ingenioli mei modulum, compendioſo ſer-

Digitized by Google

mone ſummatim reſpondi. Cuius munuſculi mercedem orationibus tuis compenſabo; non quòd exiguitatis meæ obſequium in obedientia, tuâ veneratione & authoritate conferre poſſit digna, ſed obedientiæ conatus, & ea quæ non valet adſequi implet: omnia eſſe in gazophylacio templi, pauperis vidulę ęris exiguum munus, multorum diuitum auro copioſo præfertur: & in aurato tabernaculo, vbi argentum, & gemmarum pretioſarum, byſſi, & purpuræ, & hyacinthi, & cocci dona conferuntur; etiam eorum qui pelles caprarum deferunt diligentia non deſpicitur. Hanc igitur & tu ſimili modo, meæ paruitatis obedientiam placido pectoris tui portu non dedignare, & trans garrientium inſtabiles fluctus timore tuæ authoritatis, præſentis Opuſculi nauiculam non te pigeat gubernare. Ego enim bonis & Catholicis lectoribus conſentiens, inuidorum non curo queriolas vel querelas, qui ſine pennis in terra reptantes volatu ranarum nidos auium irrident. Contra quos tuæ rationis ſcuto protectus, & Domini pergam ſuffragio armatus, ad patriam feſtinare, tutus vtroque latere curabo. Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus. Deo gratias, Amen.

RESCRIPTVM

GRATIARVM CYRICII EPISCOPI Barcilonenſis, ad Hildefonſum Toletanæ Sedis Epiſcopum, pro Opere de Virginitate ſanctæ Mariæ.

CVM à vobis remeans ad Ouilis crediti loca rediſſem, ita laboris magnitudine feſſus, & vi laſſitudinis reſolutus, degebam in cellula mea, vt nulla valitudo me non ſineret vel ad ſacrum officium properare: tandem cùm contractatu mentis quærerẽ quod adiumento meo labori prodeſſet, ilicò memoratus ſum veſtri muneris: quod cùm arduâ intentione percurrerem, ac mentis acie de fixâ vniuerſa, quæ in morem pigmentorum redolentia extabant, ſaporare conarer, ita diffugit à me quicquid languidum, quicquid detritum, quicquid erat aduerſa valetudine anxium, vt in robur plenæ incolumitatis exurgens, valenter ad gremium piæ & ſanctæ matris Eccleſiæ cucurrerim, atque vnigenito Domino & Redemptori noſtro Ieſu Chriſto, Dei filio, gratias retulerim, quòd ita vobis inſpirationis ſuæ flatu viuifico in arcano pectoris inſuflauerit, ſanctíque Spiritus vnctione ad vniuerſa de ſe dicenda inſtruxerit: Vt quàm decenter noui ac veteris inſtrumenti ſeries Incarnationis ſeu Natiuitatis Dominicę myſteria continebat, tam euidenter vos earumdem ſcripturarum veſtem expandere fecit. Atque, vt ita dicam, ea quę opaca videbantur, pro ſui quantitate myſterij luce clariùs manifeſta ac nota puſillis & magnis effecerit: ita vt ex hoc hebeteſcat Iouinianus, diſſipetur Heluidius, ſimúlque & incredulus ac mente perfidus decidat Iudæus,

Gaudeo in hoc dono gratiæ vobis à Deo diſtributæ, quòd ipſe,

ipſe, qui ad Virginem Mariam Gabrielem in plenitudine temporum nuntiaturum miſerat, quòd Spiritus ſanctus ſuperueniret in illam, ac virtus Altiſſimi obumbraret eam, oris veſtri introitum tangens, & cordis ſtatum præmuniens, tam lucidè vniuerſa de tanto myſterio dicere fecerit, quàm veraciter adimpleuit. Cuius rei gratia benedicimus Dominum, qui memor promiſſorum ſuorum dignatur eſſe nobiſcum in hoc nouiſſimo tempore ſæculorum, & quicquid imbecillitas noſtrarum mentium, ac ſocordia animorum, in ſacris ſcripturæ paginis ſcrutari tam ſufficienter aggrauata curis exterioribus non valebat, gratiæ ſuæ vbertate donante, per vos pleniſſimè inſtructi, de Incarnationis ac Natiuitatis Chriſti myſterio ſumimus.

Gratias agimus ſanctæ Trinitati, quæ Deus eſt, quia formauit hominem in Virginis vtero, quem tamen pro noſtra redemptione ſuſcepit ſola filij perſona.

Item gratias agimus ſanctitati veſtræ, quòd ipſe Dei vnicus, qui Incarnatus in Virginis vtero extitit, ad vos veniens, ac penes vos faciens manſionem, famis noſtræ inediam per vos verbi ſui vbertate refecit, gratiæ ſuæ puritate ſtabiliuit, veritatis ſuę dono locupletauit. Sit tibi Domino meo bonum mercedis repoſitum coram Chriſto Domino noſtro, & Angelis eius, ſis lætus ex fructu operis boni inter æternæ fœlicitatis gaudia permanſura, quia lætos cœleſtis oraculi participatione feciſtis.

Ecce, etſi non vt volui, tandem vt potui, ſanctitati veſtræ hæc non temeritatis auſu, ſed humilitatis affectu ſuggerere curaui. Quòd & ſi ruralis intelligentia non ita nitidum aut ſaporum formare valuit, charitas tamen, quæ me inuitauit vt ſuggererem, vobis inſpiret, vt quæ ſuggeſta ſunt placidè ſuſcipere dignemini. Incolumem Dominum noſtrum diuina gratia conſeruet. Amen.

Digitized by Google

EPISTOLA

S. ILDEFONSI TOLETANÆ SEDIS ARCHIEPISCOPI.

Sanctissimo ac honorabili Domino QVIRICIO *Episcopo,* HILDEFONSVS *famulus vester.*

Ildefons. Quiricio summa animi demissione respõdet.

DEDI gloriam Deo Iesu meo cùm accepi Epistolam beatitudinis vestræ, gratiarum orsu confectam. Dederas enim & ipse in bonis vt deuota mortalitas, qui vt beatæ immortalitatis honorem debitũ tenens, in æqualitate iudicij pondus, vt illi soli laudem inferas, cuius opus agnosceris. Quia ergo gratia Dei ad te misit, pro quibus à te vota laudationis accepi, benedicamus illum simul in vnum, qui & per me intulit materiam piæ prosecutionis, & à te accepit sibi soli debitam gloriam laudis.

In cæteris autem sto ego in memetipso reatu conscius, in pauore anxius, ante iudicem confusus, ante aduentum iudicis terrore commotus, rursum autem ex redemptione fidus redemptionis, actionis prorsus Redemptoris pietate saluandus. Cuius si quæras opus, peccatum est; si quæras interrogationem, peccati confessio est; si quæras iudicium, pœna peccati est. Pro quibus cunctis & peccatis, & peccatorum meorum meritis, obsecro te per eum, cuius iudicio absolui cupimus à reatu, vt defigas pro me manum orationis coram vultu pietatis ipsius, quò non tuis illaqueatus, sed adiutus verbis, obtineas me absolui, & erui à delictis, dare mihi, vel augere promerens, vt loquar de illo vera, diligámque piè quæ de illo dixerim, & glorificetur idem in confessionibus meis, & præsentibus, & æternitate, sæculis permansuris. Dicere plura vellem, si miseriarum pressura sineret, sed totum satisfactum sibi reputet charitas, quod vel minimum permisit tædiosa necessitas.

Digitized by Google

EPISTOLA
QVIRICII BARCILONENSIS EPISCOPI.

Domino sanctissimo, & verè mihi specialiter pertimendo HILDEFONSO *Archiepiscopo,* QVIRICIVS *seruulus vester.*

CVM ad omnia noua, vt nostis, Omnipotens Deus non nouo sed sempiterno vtatur consilio, ad egestatẽ nostri temporis talentorum vobis summam distribuens, nè plurimùm inediâ labefactaremus, vestri oris pabulo nos sustentare curauit: ac proinde quia summo Patri familias duplicationem eorumdem talentorum rationis summam referre curatis, obsecro, vt si qua in opacibus diuinarum scripturarum ad vtilitatem matris charissimæ, quæ & nunc nobiscum gemit in terra, & ad quam suspiramus in cœlum, sedulâ reuolutione inuenitis, & inuenire intenditis, ad profectum eiusdem matris, stili oraculo promere non cessetis decenter: & eorum fit, vt tu Domine, qui in cubiculum Regis æterni introduceris, sacrarum scripturarum vestem aperias, atque illa, quæ senioribus tegmine vestimentorum adoperta latebant, palam facere solito labore intendas.

Quiricius S. Ildef. vt verbum Dei disseminet adhortatur.

Nam ex distributione gratiæ supernæ, vt confidimus, aperitur vobis ostium sermonis ad loquendum mysterium suum. Erit enim respectus operis vestri, cum retributione æternæ mercedis, cùm infirmantium mentes ad salutem interioris hominis per vos Christus prouexerit, vt ibi quæ animæ salutem initiauerant, pleno robore conualescant; iactúque seminum spiritalium doctrinam sanctæ prædicationis, cùm alios ab errore pertraxeris, aliósque ne errent seruaueris, collectis manipulis sancti laboris, post cursum longioris æui, eas ad conspectum æterni iudicis potiturus gaudia sempiterna.

Me igitur quem torpore mentis obtusum, & sermone prædicationis ignarum, tu, mi Domne sanctissime, nosti, vt ministrante gratia spiritus sancti quæcunque dixeris piè,

Digitized by Google

quæcumque deprumpseris sanctè, quæcunque manifestaueris rectè, quia & idem sanctus Spiritus agnoscat, & omnes, qui illo pleni sunt, diligant, vt me munire his donis non dedigneris suggero. Sic glorificetur, vt putetis, Christum in confessionibus vestris, & præsentibus æternitate sæculorum permansuris.

De cætero his excursis, vt manu sanctæ orationis erigas imbecillum, atque vt iugitate precum apud communem Dominum obtineas, vt donec me perficiat suæ pietatis curatione, meis langoribus suam medicinam non subtrahat. Precor Christi gratia incolumem seruet Dominum meum in longæuitate perennis æui, Amen.

EPISTOLA

S. ILDEFONSI TOLETANI ARCHIEPISC.

Domino meo QVIRICIO *Episcopo*, HILDEFONSVS *famulus vester.*

Monenti Quiricio sese obtẽperaturũ spondet Ildefons.

IMPERAS mihi, charissime Domne, aut loqui si taceo, aut ne taceam loquens, & Dominicæ vestis, quæ non habet maculam aut rugam, abdita contectáque deuoluens, vnius obiectu luminis, & desideriis fidelium luceam; & insipientiam perfidorum extinguam. Non ego possum, sed ille faciat in me hanc gloriam sibi, qui erigit elisos, soluit compeditos, & illuminat cœcos. Qui erigat me ad se manibus piæ crucis, quem cecidisse constat de manibus suæ diuinitatis; qui soluat me imperiis pietatis à vinculo sceleris; qui illuminet me præuenienti misericordiâ, quem caligauit malorum culpa: & tunc ab Iesu apprehensus audiam: Dimissus es ab infirmitate tua; confestímque erectus glorificem eum. Tunc quoque solutum abire sinat, & currentem post eum in odore vnguentorum eius; quódque afflatu virtutis attraxerim, eloquij flatu respirem. Illuminet etiam cœcum, & cùm lumen miserationis eius agnouero, ego quoque & omnis plebs demus laudem Deo.

Digitized by Google

Nunc certè quia non me, ſed gloriam Chriſti mei quæris in me, & ego non meipſum commendo, ſed Chriſtum meum in omni quod loqui appeto, ſpectantibus amabilem ardenter exhibeo; vt hunc dilectum meum diligens loquar, loquens annuntiem, annuntians notum faciam, agnitum celebrem, reddam poſt celebritatem mortalitatis Angelorum hymnis laudem ſęculis ſempiternis. Igitur vt prȩcipis appeterem loqui frequenter, & hoc mihi pia deuotione adeſt, vt in meditatione legis Dei lingua ſimul & vita ſilentium non haberet, ſed ita neceſſitas temporum vires atterit animorum, vt nec vita propter imminentia mala*.

* *Cætera deſunt in MS.*

EPISTOLA I.

IDALI BARCILONENSIS EPISCOPI.

Sanctiſſimo & mihi præ cæteris peculiari Domino IVLIANO *Toletanæ primæ Sedis Apoſtolo*, IDALVS *Barcilonenſis Sedis Epiſcopus.*

RECORDATIONEM meorum peccaminum pauidus, & memoria ingentium criminum vſquequaq; perterritus, putauerã diuinas aures in meis penitus obduratas fuiſſe clamoribus, cùm promiſſionis veſtrę minimè perciperem opus. Et licet huiuſmodi causâ nunc diuerſis perturbationibus agitatus, nunc etiam optatę opportunitatis euentu priuatus, aut, vt adſolet, obliuione retentus, ſuggeſtionibus meis valefactionem alternam ſanctitudinis veſtræ intulerim minimè preces, fretus tamen Saluatoris & Redemptoris noſtri oraculo, quo Diſcipulos,* ſacre autem dicendo: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quacunque petierunt, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt.*

De libro Prognoſtici gratias agit Idalus.

* Sacra *f.* docet dicendo. *Mat.* 18 19

Veſtræ quoque promiſſionis fiduciâ vberrimè fretus, fixum corde tenebam, quòd neque veritas mentiri vllatenus poſſet, neque veritatis cultor atque diſcipulus mendaciis deſeruiret. Expectabam ſanctitudinis veſtræ promiſſum, ſpem magnam repoſitam habens in Domino Ieſu Chriſto:

Digitized by Google

orabam tamen, & si non quotidie, certè vel sæpe, vt idem qui vbique præsenti cordi vestro inspirator adesset, & votis nostris effectum tandem præstaret.

Nunc ergo quia Dominus memor fuit mei, & votorum meorum me compotem fecit, gaudio os meum & linguam exultatione repleuit, cùm & vos perfectionem sancti operis cumulauit, & me laboris vestri affectu ditauit. Dicam ergo illi cum exultatione mentis Prophetæ sui verbis: Benedictus Deus, benedictus Dominus de die in diem.

Adueniens namque quidam Iudæus, nomine Restitutus, quasi brutum, vt ita dixerim, animal, materiam lumini congruentem deportans, librum, quem studiosa breuitate non solùm ex antiquorũ sanctorumq; Patrum sententiis, verùm etiam, inspirante & docente Christo, labore ac studio proprio consummare, & nostrę ineptię, sanctitudinis vestræ prudentia mittere procurauit, gemelis manibus obtulit, quem auiditate noscendi rapiens, potiùs quàm accipiens, citissimè pandi, titulúmque contrà suscipiens miratus me fateor, cur tanti & tam præclari mercimoniij causam tam infido & à cultu Dei alieno vestra sanctitas crediderit baiulo. Sed ilicò illa ratione imbutus, qui thesaurum fictilibus vasis committit, præfato Iudæo cur ea quæ acceperat illæsa detulerit priùs, potiùs quàm vobis gratias egi, considerans ne forsan immutatione dexteræ Altissimi ageretis, vt is, qui caduca mercimonia vectare solitus erat, diuinis, æterníque mysteriis pararetur.

Intellexi tamen in hac parte sancti & artificiosi cordis vestri humilitatem, quæ omne quod in dictis vestris venustum, nitens, & purum existit, cum gratiarum actione referendo ad Deum, cuius vobis munere venit ingens & optimum, reddit. Vanam verò gloriam respuendo & idipsum abiectum videntium obtutibus ostendere nititur, quò viliori gerulo hoc idem credidisse cernitur.

Inspecto igitur præscripti Codicis, discussóque vocabulo; nullum penitus aliud reperire valui nomen eidem Operi congruentiùs, nisi quòd ipse in principio sui voluminis gestare videtur. Appellatur enim PROGNOSTICON FVTVRI SÆCVLI, quòd latinè *præscientia futuri sæculi*, dici non incon-

Digitized by Google

gruè poteſt. In quo quidem quamlibet primus liber quadam ex parte peccantibus aſperitatem metúmque incutere videatur. Duo tamen ſubſequentes libri maximâ fiduciâ Chriſti colarum releuant corda, ob ſpem futuræ reſurrectionis & Regni, quod ſe fidelibus Chriſtus daturum promiſit.

Reliquum verò totiùs Codicis corpus legendo tranſcurrens, reperi illud quod Dominus Ieſus Chriſtus in Euangeliis loquitur: *Omnis ſcriba doctus in Regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Mat. 13. 52 Euidenter enim & dubia effugata, & obſcura in lucem producta ſunt, cùm & antiquorum Patrum decreta, nouæ breuitatis indicia artificij veſtri fructuoſo labore ad medium ſunt deducta. Manat ergo ex illorum ſententiâ veritas, ex veſtro autem labore noua & breuiſſima veritas. Quicquid itaque veraciter illi caſtè & ſobriè in Dei cauſis ſenſerunt, eſt tibi commune cum illis, ad cuius notitiam doctrina Domini hoc ipſum deduxit. Veſtræ tamen ſollicitudini tantundem applaudit, quòd curioſitate inſtante, illorum ſententias in vnum collectas pigris & torpentibus contiguo relatum manifeſtè apperuit.

Propter quod licèt illi miniſtrauerint donante Chriſto materiam, veſtro tamen Operi totius laboris aſtipulabitur ſumma. Nam & aurum quamlibet originis ac naturæ ſuæ obtineat ſplendorem, cùm per formas autem figurarum varietates peritè deducitur, dantíſque politur artificis ingenio, non immeritò prædicator huius rei exemplo permotus, ingenij efficaciam, quam diuina cordi veſtro contulit gratia, inſignéque ſtudium, quo vos in cauſis Chriſti deſudaſſe cognoſco, attollere laudibus procurarem. Aut quia ego nequeo alios prædicare, precarer, niſi quia idipſum vobis diſplicere ſoleat, conſcij eſſemus.

Reſtat ergo, vt hoc faciam, quod veſtræ ſanctitatis deſiderat anima. Refert itaque noſtra puſillitas, immò mecum Eccleſiæ vniuerſitas, ad cuius notitiam inſigni operis veſtri deduxit noſtra tenuitas, immenſæ & ineffabili Trinitati, non quantas debet, ſed quantas valet gratiarum copias, quia in fine temporum, aut penè, vt veriùs dixerim, in conſummatione mundi, effudit in corde beatitudinis veſtræ donum

gratiæ suæ, simul & studium operis sancti; dedítque in ore vestro directum & bene sonantem sermonem, quo delinquentium corda terrendo sanaret, & bonis operibus deditos, in sanctis actibus confirmandos, igne cœlesti affatim animaret.

Oramus deinde maiestatis supernæ profusissimam pietatem, vt in Præsulatu Ecclesiæ suæ ad illuminationem fidelium, annos vitæ vestræ protelando conseruet, & ita donum gratiarum suarum, quod cordi vestro diffudit, exsuperare concedat; vt Catholicam plebem studiosis operibus, doctrinísque sanctimoniæ vestræ, bonorum omnium compotem reddat. Próque laboris vestri sancta instantiâ post longissima vitæ huius spatia, remissis iniquitatibus, tectísque peccatis, cum sanctis & electis suis cœlestia vobis ad possidendum regna concedat.

EPISTOLA II.

IDALI BARCILONENSIS EPISCOPI.

Sanctissimo, & mihi præ cæteris peculiari Domino, ZVNTFREDO *Narbonensis primæ Sedis Episcopo* IDALVS, *Barcilonensis Sedis Episcopus.*

Idalus Iuliani Tol. Prognost. ad Zuntfredum transmittit.

OPVS egregium, quod nondum ingenti labore, verùm etiam immenso studio, exantiquorum Catholicorúmque Patrum libris, mirabili & noua breuitate, Beatissimus socius vester Dominus meus Iulianus Toletanæ primæ Sedis Episcopus, vno volumine colligere, atque PROGNOSTICON FVTVRI SÆCVLI appellare, & nostræ tenuitati mittere procurauit, nobísque importunitate laudabili vestra beatitas ardentissimè demandauit, sanctitudini vestræ cùm deuotus essem in hac Ciuitatula (cui indignus præsideo) manibus gemellis offerre per præsentem conseruulum meum, illuc in sanctæ sublimitatis vestræ sede præsentandum direxi; vt ex huius agnitione gaudij vestri participes totius Prouinciæ vestræ

veſtræ Præſules facti, conſpicere iubeant* cum ingenti mu- *ſ. * Nam
neris lumine prę ſcriptum ſocium veſtrum ad illuminationem cum.
Eccleſiæ diuinitas ſumma ditauit, & benedicant in commune Dominum Deum cœli, ex cuius largitate idem ipſe ſocius veſter hoc ipſum donum percipere meruit.

Deinde Trinitati diuinæ poſtulationum ſuarum libamina fundat, quò & Authorem huius Operis pro tanto labore diuinitatis gratia protegat, & noſtræ prauitatis peccamina diuina indulgentia deleat, pro eo quòd curauit noſtra ignauia ad eorum deducere notitiam, vnde ſpiritali fructu cor illorũ exuberans fiat. Te quoque precor, Vernacule Domne, vt pro meis abluendis criminibus, aſſiduis diuinitatis potentiam adire iubeas precibus, vt ego, qui diuerſis premor miſeriis, reuelari merear orationis veſtræ remediis; ita gratiam Domini noſtri IESV CHRISTI ſine fine vos poſſidere congaudeatis.

RATRAMNI
MONACHI CORBEIENSIS
LIBER
DE EO QVOD CHRISTVS EX VIRGINE NATVS EST.

AVTHORIS PRÆFATIO.

Ignoto dicat hoc Opuſcul.

SI vno ſub Magiſtro Chriſto omnes Chriſtiani cenſemur, ſi vno cœleſti Patre vniuerſi credentes gloriamur, ſi vnius Spiritus fœdere in vnius charitatis compage ſolidamur, non eſt quod me à tua dignatione ſeiunctum verear, quominus religioni tuæ familiaria ſcripta procudam. Non enim vel ſanguinis propinquitas tanta eſt, quanta Spiritus. Terrena ſcilicet propago inferior multò eſt, quàm diuina, nec officia temporalis obſequelæ tantam pariunt gratiam dilectionis, quantam diuinus ignis generat charitatem. Perinde ceſſet hîc vel facies inuiſa, vel nomen ignotum, vel familiaritatis comparatio nulla, vbi in copulæ ſocialis deuinctionem tanta, tam magna, támque neceſſaria conueniunt iura ſocietatum. Non igitur velut alienum refutes, quem ſuperna conditio tibi fratrem conciliauit propinquum. Cum hæc ita ſe habeant, obſecro reuerentiam tuam, vt ad ſuggeſtionem paruitatis noſtræ reſpondere non graueris.

Chriſtiana propinquitas carnali præponderanda.

Digitized by Google

CAPVT I.

FAMA est, & quorumdam non contemnendâ cognouimus relatione, quòd per Germaniæ partes serpens antiquus perfidiæ nouæ venena diffundat, & Catholicam super Natiuitate Saluatoris fidem, nescio quâ fraudis subtilitate subuertere molitur; dogmatizans Christi infantiam per virginalis ianuam vuluæ, humanæ natiuitatis verum non habuisse ortum, sed monstruosè de secreto ventris incerto tramite luminis in auras exisse, quod non est nasci, sed erumpi. Quod enim vias vteri nascendo non est secutum, sed quacunque versum tanquam per parietem domus erupit, non iure natum esse, sed violenter egressum. Iam ergo nec verè natus Christus, nec vere genuit MARIA. At verò fides habet Catholica IESVM natũ ex MARIA Virgine. Quod Angelus ad eam missus signatis enuntiat verbis: *Ecce*, inquiens, *concipies in vtero & paries filium.* Vide quàm euidenter sectam depulit nefandam. Non ait concipies filium, & egredietur tuo de vtero, sed concipies & paries, vtrumque referens ad *Mariam*, vt Virginitas inuiolata & conciperet tanquam fœmina, & pareret tanquam mater, ne genitrix diuinitatis de conceptu fieret glorioſa, & de partu redderetur inhonora. Alterum velut ad suum penderet officium, alterum ad illius qui concipiebatur effectum: ita nec ipsa mater diceretur integra, nec saluatoris natiuitas ex matre perfecta. Quamuis etiam ad *Mariam* directus Angelus si sic foret locutus, non propterà necessariò cogeret intellectum, quò natiuitas de matre Christi extraordinaria crederetur. Qui enim de fœmina Virgine concipi delegit, nonnisi nasci de femina Virgine credi facilè quiuisset, quoniam de sexu fragiliori humanitatis qui delegit exortum nequaquam humanæ natiuitatis modum, saluâ Virginitatis integritate contemneret.

Inconueniens nempe diuinitatis erat cõsilio, vt in Virgineo corpore vterum, quo conciperetur, quo formaretur, quo nouem mensium dilatione portaretur eligeret, & vteri viam, quâ de virginea procederet Aula, repudiaret. Aut aliam igi-

De Christi natiuitate in Germania errores.

Rationes adfert quare nasci vt cæteri debuit Christus. *Luc.* 1. 31.

Digitized by Google

tur viam, quâ fœminæ parientes partus ſuos emittant iure natiuitatis præter ſolemnem parturitionis viam, talia qui cunque garriunt, edoceant, aut eum habuiſſe de vtero virginis exitum, Chriſto, quem lex monſtrat naturæ, præter integritatis violatum pudorem neceſſe eſſe confiteantur. Viperæ priuſquam parturitionis ad tempus perueniant catuli, traditur quòd maturam naturæ completionem non expectantes, corroſis matris lateribus, exeunt cum genitricis interitu. Eſt quoque vulgaris opinio Muſtellam ore concipere, aure partum effundere. Forſitan quiſquis humanæ viam natiuitatis denegas Chriſto, aut viperinam maternis exitioſam conceptibus concedis, aut muſtelinam fabuloſis effictam commentis. Vt maluerit potiùs hominum Redemptor de Virgine conceptus, vel ſerpentinam naturæ contrariam, vel pecualem confictam natiuitatem ſuſcipere, quàm humanam. Iſto itaque modo, iam quicquid libuerit poterit excogitari, & vndecunque, vel per quodcunque placuerit natum fuiſſe Chriſtum blaſphemari, vt non ſit Virgineus partus Verbum caro factum, ſed prodigialis egreſſus.

CAPVT II.

Obiicitur, violatã Matris integritatem.

SED quæſo cur refugis aſcribere Chriſto naturalem virginalis portæ progreſſum? Propterea, inquis, quoniam ſi vteri portam exiuit, non eſt Virginis integritas intemerata. Equidem per quemcunque fuerit locum egreſſus, conſequenter ſecundum tuam ſententiam integritas eſt violata. Si enim Saluatoris ortus viam naturæ neceſſariò fuerat corrupturus, neceſſariò quoque quacunque exiuit, ſiue per latus, ſiue per ventrem, ſiue per renes, ſiue per ſuperiores inferioréſue corporis partes, non abſque integritatis damno

Reſponſ.

proceſſit. Abſit verò Catholicis ſenſibus, vt Natiuitas, per quam reſtaurata fuit corrupta, quòd corruperit integra credatur. Intellige tandem vecors præſumptio, quoniam ſi per quamcunque Virginei corporis partem ortus Saluatoris potuit fieri ſine damno integritatis, conſequenter & hoc po-

8. Maria

tuit per ianuam Vuluæ. Quòd ſi hanc fuerat violaturus, ni-

Digitized by Google

lominus quacunque est egressus, violauit. At Catholica fides de Virgine Saluatoris matre confitetur, quòd Virgo fuerit ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum: Vtrumque vides credi, vtrumque confiteri, & matris Virginitatem, & infantis exortum. semper virgo permansit.

Propter namque inuiolatam pudoris aulam, Virginitatem prædicat & ante partum, & in partu, & post partum: & propter veræ Natiuitatis exortum, verum parientis partum confitetur. Quid enim Virgo ante partum, ni impregnata Virginitas? Quid est Virgo in partu, ni pariens Virgo? Et quid Virgo post partum, nisi Virgo perseuerans post partum? Vbi ergo Virgo pariens, si partus negatur? Porrò cùm prædicatur Virginitas non peperisse, non peperit autem si partus aliter quàm per naturæ ianuam processit. Siquidem iam talis ortus non Virgini est partus, sed proprius videlicet ipsius infantis egressus. Obmutescat igitur huiusce commentum falsitatis, & Catholica fides inconcussa teneatur, quæ & verè natum de matre confitetur Christum, & verè Virginem MARIAM concepisse, peperisse, & post partum, id est, post editum filium, credit, prædicat, & veneratur permansisse Virginem.

CAPVT III.

DICIS turpe fuisse Dei filio per vuluam processisse. Turpe hoc aut de natura, aut de peccato, Sed per naturam nihil turpe; testatur enim Geneseos lectio, quòd omnis creatura bona. Quod bonum & honestum est, quódque honestum est, non turpe. Igitur omnis creatura secundum quod creata est, nequaquam turpis. Igitur & mulieris vulua non turpis, sed honesta; siquidem partes omnes creaturæ honestæ. Non ergo nascituro Christo semita vuluæ declinanda, velut turpe aliquod, immò suscipienda tanquam natiuitatis ministra. Quomodo namque matricem, quâ conceptus formaretur, non contempsit, ita nec vuluam, quâ formatus exciperetur, repudiauit. Per Vluam existe Christũ probat Author. Partes corporis minimè turpes.

Porrò tu sensus corporis interrogans æstimas eas vteri

Digitized by Google

partes indecoras. Noli ſenſibus fallentibus, id eſt, corporeis, de rerum veritate aſſentiri, mentis iudicium diſquire, & deprehendes fore pulchra, quæ videntur turpia. Nulla denique Creaturæ pars, aut membrum, ni pulchrum eſt; redditur autem indecens, cùm inordinatus & illicitus eum motus deturpauerit. Etenim ante præuaricationem Adam & Eua non erubeſcebant, vt pote motum inordinatum ſuis in membris nullum ſentientes; aſt vbi præuaricati ſunt, erubeſcere cœperunt. Non quidem propterea membra, quæ nunc peccati culpâ pudenda vocamus; ſiquidem & priuſquam deliquerint, ſuper eis non confundebantur. Vbi verò inhoneſtus acceſſit motus genitalibus ante pudicis, ſed de peccato iam non pudicis, ſecuta confuſio eſt, non propter turpitudinem honeſtarum corporis partium, ſed propter turpes irrationabilis motus paſſionis. In quo autem per ſancti Spiritus ignem, vel in hoc corpore caduco, vel in futura vita iam per reſurrectionem incorruptibili, fuerit iſte paſſibilis motus ad naturæ digniſſimam redactus muſicam, infirmitate depulsâ, nihil habebunt membra naturæ quod ſit confuſionis, quod turpitudinis, quod inhoneſti.

Qui partes corporis deturpantur.

Interea verò lex quæ eſt in membris noſtris donec repugnat legi mentis, & captiuat nos in legem peccati, & erubeſcimus & confundimur. Sed non propter hanc legem peccati dominantem in membris noſtris opus fuit Saluatori declinare viam Natiuitatis legi conſtitutam; quandoquidem Spiritus ſanctus, qui Virginis vterum, quo Dei filius incarnaretur, ab omni contagio ſanctificauit, ipſe quoque & vluam, quâ naſceretur purgauit. Niſi fortè credibile videatur, quòd cùm locum diuino conceptu reddiderit dignum, qui magis libidinis æſtu ſuccenditur, & quem minoris flammæ temperamentum pertentat mundare nequiuerit. Quod enim mulieribus in vmbilico, cui matrix ſubiacet, libido dominetur, verbis ſcripturæ ſanctæ didicimus. Tibi autem non propter legem peccati, ſed propter deformitatem naturæ, genitale membrum videtur inhoneſtum. Cur hoc? Quoniam ſenſum carnis in rebus cognoſcendis percunctaris, quem nemo ſapiens de veri perceptione ſecutus eſt. Non mirum ſi falleris, qui falſitatis auctore perdoceris. Eum deniq;

Spiritus ſanctus B. Virginem ab omni contagio ſanctificauit.

Partes quædam corporis quare inhoneſtæ.

Digitized by Google

ſequuntur omnes, qui veriſimilia pro veris, id eſt, corruptibilia pro æternis amplectuntur. Reuoca magis oculos à temporalibus, quæ docet Eccleſiaſtes non tantum vanitatem, verùm vanitates vanitatum; & diſce veri perceptionem de ſenſibus veritati participantibus. Quod cùm feceris, nihil in naturis turpe præter inordinatos motus videbis, quos non de creantis ſapientiâ, ſed de peccati culpâ contraxêre, & deinceps non indignam iudicabis Incarnatione Verbi ad naſcendum Virgineam vuluam. Equidem peruidebis nil dignius Creatoris humanitate, quàm ſuæ diſpoſitionem fabricæ comprobare. Vt ſicut approbauit vterum, quo conciperetur, ita non improbarit vteri ianuam ſui natalis abrogatione; nè quam conſtituit naſcendi viam, ſuæ refutaret humanationis egreſſu.

Iſta ducas cùm impia nouum quiddam moliris, vt Saluatori quò naſceretur nihil fuiſſe clauſum clames, quod Conditori nil creaturarum queat obſiſtere: verùm quicquid ſubſiſtit, ſit ei apertum & permeabile. Ita planè ſi ſentis, prudentiſſimè ſentis. Hac verò regulâ cùm Natiuitatis Chriſti primordia mancipare diſponis, quod ad potentiam ſpectat clariſſimè dogmatizas. Quod autem ad corporis proprietatem ſuſcepti, & Natiuitatis pertinet humanæ, à veritatis calle longiſſimè recedis. Virtuti ſiquidem voluntatis Chriſti nihil eſt clauſum, nihil non penetrabile. Humanitas autem quæ ſuſcepta eſt, ſic intra ſinus matricis collecta eſt; ita quãdiu manſit illuc ventris exteriora non experta. At verò mox Virginei thalamum reliquit ſecreti, & foris extitit, & intus eſſe ceſſauit. Hac loci quid alternatione monſtrauit, niſi quòd quamuis ſecundum diuinitatis proprietatem ſit vbique, iuxta corporis circumſcriptionem localis extitit. Igitur quod locale eſt, ſicut vbiq; non eſt ſemper, ſed tunc ad alium migrat, cùm locum deſeruit primum. Ita etiam cùm tranſitum facit, non ſimul dextrum ac ſiniſtrum tenet, quemadmodum ſimul ante & retro non graditur, nec ſupra pariter & deorſum. Certè & Saluator ſicut alio tempore fuit in vtero ſecundum corpus, & alio foris, ita in egrediendo quamuis egreſſionis voluntati nil fuerit clauſum, vnam tamen tenuit egreſſionis viam, non per omnes corporis, in quo formatus fuerat, partes exiuit.

Constitue certe quam volueris corporis partem ortui Saluatoris. Non enim per omne corpus egressus est, quamuis voluntati eius ad egressum nulla corporis pars fuerit clausa. Nec inlocaliter egressus, hoc est enim incorporeæ proprium naturæ, longè verò à corporea remotum. Constitue certè quam delegeris partē. Vuluam renuis, vmbilicum attribue. Vel si malueris, honestius quodcunque corporis ostium: At si ostia quæ dedit natura displicent* dissice ventrem, nuda costas, spinam rumpe, vel quemadmodum nescio qui stultissimi delirant, aperi ascellam, & ita de monte vmbroso & condenso natiuitatem contestare Saluatoris. Num igitur talis ianua dominatoris ortu digna probabitur, quam stultorum opinio ementitur, & quam Creatoris sapientia naturæ dedit conceptibili, dispuetur? An certè Bragmanorum sequemur opinionem, vt quemadmodum illi sectæ suæ auctorem Bubdam, per Virginis latus narrant exortum, ita nos Christum fuisse prædicemus? Vel magis sic nascitur Dei sapientia de Virginis cerebro, quomodo Minerna de Iouis vertice, aut tanquam Liber Pater de fœmore? Vt Christicolam de virginis partu non solemnis natura, vel auctoritas sacræ lectionis, sed superstitio Gentilis, & commenta perdoceant fabulosa.

f. * dissecа

CAPVT IV.

Profert testimonia, vt suadeat Christum per vuluam Virginis exisse.

SED iam nunc testimonia procedant in medium diuina, & ex eis ortum discamus Saluatoris, ne fabulis decipiamur, vanis & falsis opinionibus eludamur: Isaias vates ortus huius arcanum retexens, *Dabit Dominus*, inquit, *ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Virginem concepturam, Virginem parituram, & hoc à Domino signum fore dandum; quod vtrumque mirabiliter sit factura virgo, non quòd præter viam naturæ partus sit exiturus. Quod si esset futurum, oportuerat hoc Prophetico nuntiari mysterio, quemadmodum Virgineus nunciatus est conceptus & partus. Nec enim talis editio minus diuinæ operationis proferret insigne, quando naturæ viam in alios transposuisset fines.

Isa. 7. 14.

Nunc

Digitized by Google

Nunc autem virilem segregans operam, & integritatis insinuans donum, hoc docet à Domino signum, quòd editura sit Virgo Saluatorem. Non enim præter naturam nouum parturiendi designat iter Virgini Matri, sed à natura datum cum incorruptionis palma Natiuitatis dedicat sublimitate.

Non puto necessarium, sed nec breuitas concedit, vt de toto scripturarum corpore subiiciantur exempla, quibus fiat manifestum, parere & generare, mulieribus non nisi legitimo ventris orificio concedi: vt illud; *Mulier quæ concepto semine peperit masculum.* Item: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israel.* Si enim mulier aliter, quàm per vuluam, id est, os vteri, generat, iam non omne primogenitum sanctificatur Domino; sed quoniam hoc stultum dicere, non Virgo genuit, nisi per vuluã: & ipsius verbi vis significatióq; manifestè dat intelligentiæ argumentũ: vt enim videre ad oculos, audire ad aures, olfacere ad nares, gustare ad fauces, ita parere refertur ad vuluam. Alioquin si pro arbitrio singulorum licet intellectus verborum variari, erunt vniuersa confusa, & parere, concipereque de viris etiam suscipietur. Cur non certè hæc verborum officia de viris prædicentur, si partus Saluatoris non viam tenuit vteri, sed exiuit quacumque. Habes & superbis patrocinium Poëtarum figmentum, vt & conceperit vir, & pepererit. Quod, quia Christianus es, & eloquiis instructus veritatis, non dubito repellis. Qua de re legitimum naturæ cursum vocibus prædicatum consuetis, non opinione nouâ peruertas, sed vera & vsitata receptes interpretatione. Et cùm legeris, audieris, pronunciaueris, vel Virginem peperisse Christum, vel natum de Virgine Christum, ilicò tibi semita naturæ ianua vuluæ occurrat. Sícque te non error per deuia ducet, sed verus intellectus in tramite recto tenebit. Ne autem argumentis hæc videamur tantum comprobare, testimoniis disce vera de ortu Saluatoris quæ asserimus esse. *Leu.12. 2. Exod.13.1.*

Idem Propheta Isaias: *Et accessi ad Prophetissam, & concepit & peperit filium: & dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, festina prædicari.* Aduerte virginis prophetali signatum ministerio. Propheta accessit ad Prophetissam, quia Spiritus sanctus venit ad *Mariam*: concepit *Isa. 8.3.*

illa, & peperit filium, magis Spiritus sancti dono, quàm sementiuo virili. Quemadmodum Sara, & sterilitate infœcunda, & senio iam frigida, vt mater Virgo de Spiritu sancto & imprægnanda & generata prophetaretur. Et conceptus ergo & partus in Prophetissa processit; vt hæresis futura damnaretur, asserens MARIAM concepisse, nec vt fœminam, generasse. Sed Prophetissa non in altero fallit, in altero verũ præfigurat; quoniam genitrix Saluatoris & Virgo de Spiritu sancto concepit; & sicut fœmina saluo pudore generauit.

Isa. 45. 8. Item alibi: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Admirabili sanè breuitate Propheticus sermo, & annunciationem Angeli, & Prophetarum vaticinia, & conceptum virginis, & modum generationis exposuit. Ortum denique Christi & Angelus insinuat, nec Prophetæ tacent, & vterus virginis aperitur ad sobolem, & pudoris claustrum germinat Saluatorem, vt in apertione videas conceptum Virginis, in germine intelligas partum pudoris: vt enim germen venam seruat natalem, nec alieno semine concretum, sed genitricis est propriæ sementiuum, iuxta quod Genesis testatur de arboribus & herbis

Gen. 1. 11. loquens: *Cuius semen sit*, inquiens, *in semetipso*. Sic virgo MARIA non de virili, sed de proprio semine concepit, & genitali riuo exposuit conceptum. Propterea virga Aaron aperitur in germen, erumpit in flores, qui foliis dilatatis formantur in amygdalas, vt insinuetur coagulum seminis, concretio conceptus, expositio partus. Et quemadmodum Virga Aaron protulit telluris absque subministratione, & humoris irrigatione, natiuas tamen per semitas, germen, flores, & fructum; sic mater Virgo non de voluptatis riuo, nec de maritali commercio genitalem tamen per semitam genuit carnem Verbum factum.

CAPVT V.

Ier. 31. 22. IEREMIAS quoque hunc sacrum Virginis partum præsagiens ait: *Creabit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* Discerne quid nouum dixerit creatum iri,

Digitized by Google

ſcilicet quòd fœmineo tantùm ſemine ſancti Spiritus per miniſterium matricis in gremio habitus configuretur virilis. Et quoniam naſcendo talis conceptus vteri ſemitas non præteriret, qui curſus natiuitatis cunctis datur mortalibus, meritò illud ſiluit, in quo præter inuiolatum pudorem ſub naſcendi lege nihil afferret noui.

Ezechiel quoque: *Et conuerti me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad orientem; & erat clauſa: & dixit Dominus ad me: porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſiet per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam; eritque clauſa principi. Per viam veſtibuli portæ ingredietur, & per viam eius egredietur.* Æſtimo quòd hic locus omnẽ ſoluat huius nodum quæſtionis. Etenim portam quam deſcribit Propheta maiores intellexerunt Virginem MARIAM, quæ bene monſtratur clauſa, quia Virgo ſemper manet intacta, & vir non tranſiet per eam. Intende diligenter cui negatur tranſitus, & quâ negatur. Negatur prorſus viro, qui poterat violare, & ab eo remouetur, quòd poterat per coitum corrumpi. Nemo enim remouet ingreſſum, quia ratio naturæ, nec viam admittit, nec tranſitum, qua de re quando dicitur: *Vir non tranſiet per eam*, non de latere, nec de cerebro, nec de fœmore dicitur, quoniam tranſitus coniugalis ad alias refertur corporis partes, quibus natura ad coitum viam præbuit & tranſitum. Quoniam verò quâ virilis remouetur tranſitus, illac Dominus Deus Iſraël eſt ingreſſus, ſubſequens ſermo demonſtrat, dicendo: *Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.* Vtque omne demat ambiguum, ſubiicit: *Per viam veſtibuli portæ ingredietur & per viam eius egredietur.* Noli iam de via Saluatoris, quam naſcendo ſecutus eſt, Hęreſis noua dubitare. En tibi Propheta tanquàm ſub oculos metaphoricæ muliebris vuluæ & veſtibulum & viam ponit. *Ingreſſus eſt* denique *Dominus Deus Iſraël per viam veſtibuli huius portæ*, quia per * Incarnationem myſterium virginale introiuit gremium, & per viam huius portæ egreſſus eſt; quoniam humanitate ſuſceptâ in domum mundi per incontaminatam exiit vuluam. Non igitur neſcio quem Dei Filio de vtero matris confingas egreſſum. Spiritus ſanctus te doceat veritatem, qui & thalamum tanto dignum ſponſo ſanctificauit & por-

Ezec. 43. 3

* Incarnationis.

tam. Sed quid in difficilioribus & mysticis locis immoramur? ad aperta veniamus, & de domorum claustris, id est, secretorum figuris ad portarum latitudinem migremus, quatenus vestigia sponsi, & emissiones sponsæ, sub diuo contemplemur.

In lege omne primogenitum sanctificatum erat Domino, significans eum qui solus sanctus & sine peccato natus est. *Exod.* 13.1 Sic enim super hoc habes scriptum: *Sanctificamini omne primogenitum quod aperit vuluam in Israël* Item: *Cúmque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi & patribus tuis; & dederit eam tibi, separabis omne quod aperit vuluam* *Ibid.* 15. *Domino.* Item: *Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. Idcirco immola Domino omne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum redime.* Nota quòd primogeniti sunt, qui vuluam nascendo primi aperiunt, vt consequenter accipias hoc esse nasci de fœmina, quod est oriendo vuluam exire. In Catalogo Præceptorum: *Primogenitum* *Exod.* 22. 27. *filiorum dabis mihi.* At alibi: *Omne quod aperit vuluam generis* *Leu.* 12. 1. *masculini meum erit.* In Leuitico: *Mulier si susceperit semine peperit masculum*, & reliqua. Item: *Sin autem fœminam peperit*, &c. *Ibid.* 5. & generare & parere docet fœminas, non aliud esse, quã per vuluam emittere partum. In Numeris: *Meum est omne primogenitum ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti. Sanctifica* *Num.* 3 13 *mihi quicquid primum nascitur in Israël.* Et superiùs: *Ego tuli* *Ibid.* 12. *Leuitas à filiis Israël pro primogenito, qui aperit vuluam in filiis* *Ibid.* 40. *Israël.* Et in sequentibus: *Numera primogenitos sexus masculini* *Ibid.* 41. *de filijs Israël à mense vno.* Et supra: *Tollésque Leuitas mihi pro* *Num.* 8 16 *primogenito filiorum Israël.* Et infra: *Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vuluam in Israël accepi eos*; nimirum Leuitas. Mea *Ibid.* 18.15 sunt omnia primogenita filiorum Israël. Alibi: *Quicquid primùm erumpit vuluà cunctæ carnis quam offerunt Domino, siue de hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit.* Ergo omnis partus tam hominum, quàm iumentorum, per vuluam erumpit. Qua de re omnis de fœmina nascens per vuluam egreditur. Non ergo nobis incertam generent quęstionem verba quę consuetudine sua, & vsu scripturarum certam suæ significationis subministrant notionem; vt enim ambulare de pe-

Digitized by Google

dis officio, sic patere de vuluæ ministerio prædicamus. Non igitur confundat dubietas, quod intellectus manifesti significatio declarat. Vt autem sine viæ directione non peruenitur ad limitem destinatum, sic nisi per verborum significantiam veram, locutionis veritas non aperitur. Partum igitur aut natum, vel si quo alio nomine talis actio nominatur, fœminarum, docti & naturæ veritate, & consuetudine nascendi, & auctoritate scripturarum, non aliud præter verba significatarum rerum de rebus significatis intelligamus, ne procul à veritate euagemur, dum veritatis signa vel non cognoscimus, vel praua interpretatione peruertere molimur, secundum datam regulam Euangeliorum super Saluatoris natiuitate dicta contemplemur.

In Mathæo sic scriptum legimus: *Angelus Domini apparuit Ioseph in somnis dicens: Ioseph fili Dauid: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis eius nomen Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum: hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictũ est per Prophetã dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph à somno fecit sicut ei præcepit Angelus Domini: & non cognoscebat eam donec peperit filium suum Primogenitũ, & vocabis nomen eius Iesum.* Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudeæ, toties Natiuitas prædicata Saluatoris, totiens narratus Virginis partus, Virginitas perdocetur, virilis remouetur amplexus, non tamen vuluę transitus abnegatur. Verũ & Euangelistæ dictis, & Prophetæ vaticinio Saluatoris ortus per vuluam extitisse monstratur; quoniam non parit fœmina, nisi per vuluã, non exit infans, nisi per vteri ianuam. *Matt. 1. 20 & seq.*

Lucas taliter super hac loquitur Natiuitate: *Ingressus Angelus ad Mariam dixit: Aue gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Quæ cùm audisset turbata est, & cogitabat qualis esset ista salutatio, & ait Angelus ei: Ne timeas Maria inuenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Et infra: *Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & vir-* *Luc. 1. 28. & seq.*

tus altissimi obumbrabit tibi. Ideòque & quod nascetur ex te sanctum vobitur filius Dei. Si nondum vel naturæ solemnitate, vel exemplo nascentium quid sit parere acquiescis, saltem missus ad Zachariam Angelus ex ipso Euangelio te instruat.

*Luc.*13.1. Ait autem illi Angelus: *Ne timeas Zacharia: quoniam audita est deprecatio tua; & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.* Vnum verbum super vtroque promittitur partu, & quomodo non idem ventris ostium significatur? Dispar conceptionis ordo, non dispar est lex nascendi, quoniam Ioannes de semine viri, IESVS de Spiritu sancto concipitur; & ille per portam per quam transiuit vir exponitur, iste per intemeratam pudoris aulam generatur: ambo tamen pariuntur, quoniam vterque per vuluæ ianuam excipitur. Attestatur etiam nostræ orationi Euangelista, quando ait: *Ideò quod nascetur ex te sanctum.* Memento quid de primogenitis, id est, qui aperiunt vuluam, Legifer mandauerit, & intelligas sanctum primogenitum vocari, & primogenitum qui aperit vuluam, quare & Iesus cùm sanctum Domino dicitur, & primogenitus appellatur. Et si primogenitus, vtique vuluam aperuit, non vt clausam corrumperet, sed vt per eam suæ natiuitati ostium aperiret, sicut & in Ezechiel porta & clausa describitur, & tamen Domino Israëli narratur aperta, non quòd liminis sui fores dimouerit ad eius egressum, sed quòd sic clausa patuerit dominanti.

Luc. 2. 6. Idem Euangelista rursus: *Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum.*

*Luc.*1.57. Et de Elizabeth fere eadem scribuntur: *Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Sicut vtriusque fœminæ tempus vt pareret assignatur, sic ambobus nascentibus infantibus eodem verbo idem ventris ostium monstratur.

*Luc.*2.22. Et deinceps: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem vt sisterent eum Domino, sicut scriptum in lege* Domini: *Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum* Domino *vocabitur.* Si tibi minus satisfecerant verba quibus genuisse MARIA perdocetur, vt propterea aliunde quàm per vuluam de Virginis aula processisse IESVM garrias, quoniam honestiori sermone pudendum mulieris fuerat obuelandum, tandem verbis Euan-

Digitized by Google

geliſtæ adquieſcens, diſce non tranſlato, ſed ſuo proprio vocabulo os fœminei ventris inſinuatum, atque per illud Saluatorem naſcendi ſubiſſe progreſſum. Nam ſi fuit aliud MARIAM peperiſſe, quàm maſculinum eius vuluam aperuiſſe, non ſecundum legis præceptum ſiſti Domino, nec ſanctum Domino debuerat vocari: *Quoniam omne maſculinum adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur.* Nunc verò & peperit eum MARIA Virgo, & per vuluam eius egreſſus eſt Saluator, & tanquam primogenitus adaperuit eam, non quò violaret integritatem vteri, ſed quò ventris palatium vacuaret; vnde & mater, quanquam non ſuſcepto ſemine genuerit, quia verò illi maſculus adaperuerit vuluam, ſecundum legem & purgationis dies implet, & hoſtiam ad templum cum puero Domino ſiſtendo defert. *Ibid.* 23.

CAPVT VI.

VERVM quoniam breuiter iſta de diuinæ auctoritatis collegimus libris, quibus ſaluatoris ortum per intemeratæ vuluam Virginis doceremus, libet etiam maiorum traditionibus firmare ſententiam noſtram, quatenus multitudine teſtium, & aduerſarius confutetur, & fideles vberiùs inſtruantur. Locos tamen in medium deducemus, & eorum ipſorum teſtimonia pauca, vt propoſitæ modum breuitatis cuſtodiamus. Alioquin ſi vnius eorum, ne dicam omnium, ſuper hoc dicta in vnum conferre voluerimus, multorum corpus voluminum conficiemus. Ambroſius cœleſtis tuba ſpecimen ſanctitatis, fidei robur inexpugnabile, dum de humano Saluatoris exortu tractaret, ita factus eſt: [An mediocribus ſignis Deus probatur, quòd Angeli miniſtrant, quòd Magi adorant, quòd Martyres confitentur? Ex vtero funditur, ſed corruſcat è cœlo: Terreno in diuerſorio iacet, ſed cœleſti lumine viget. Nupta peperit, ſed virgo concepit. Nupta concepit, ſed virgo generauit.] Quàm ſubtiliter inuiolati pudoris edocet ſecretum, quàm magnificè Virginem deſcribit, & Matrem nuptam prædicat & intactam: fuſum narrat ex vtero Chriſtum, vt eum per naturæ viam ſentias

E Patribus ſuam aſſerit ſententiam.

Laudes B. Ambroſij. In Luc. l. 11. c. 2. ante med.

Digitized by Google

proceſſiſſe, nec æſtimes peregrinos ortus ſui exitus requiſiſſe, quem vena vteri naturali fluxu emiſit in lucem Quod vt clariùs commendaret, adiecit, nuptam peperiſſe, ſed Virginem concepiſſe, & nuptam concepiſſe, ſed Virginem peperiſſe; vt in conceptu Virginis partu remoueas virile conſortium. Animaduertis autem membra ſuis à natura miniſteriis deputata, vt conceptus ad matricem, partus ad orificium referatur. Quibus denique membris mulier nupta concipit & parit, eiſdem Virginem & fœcunditatem credas, & enixam.

Exod. 13. *& Num.* 8.

Rurſus in ſequentibus. [*Omne maſculinum adaperiens vuluam ſanctum* Domino *vocabitur*. Verbis enim legis promittebatur Virginis partus. Et verè ſanctus, quia immaculatus.

S. Ambr. l 2. in Luc. c. 2. ſub med.

Denique ipſum eſſe qui lege ſignetur, in eundem modum ab Angelo repetita Verba declarant. *Quia quod naſcetur*, inquit, *ſanctum vocabitur filius* Dei. Non enim virilis coïtus vluæ virginalis ſecreta reſerauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spritus ſanctus effudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina ſanctus Dominus IESVS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus natiuitate non ſenſerit, & cæleſti maieſtate depulerit. Nam ſi litteram ſequamur, quomodò ſanctus omnis maſculus, cùm multos ſceleratiſſimos fuiſſe non lateat? Nunquid ſanctus Achab? Nunquid ſancti Pſeudoprophetæ, quos ad Heliæ preces vltor cæleſtis iniuriæ ignis abſumpſit? Sed ille ſanctus, * per quem figuram myſterij pia legis diuinæ præſcripta ſignabant. * Et quòd ſolus ſanctæ Eccleſiæ Virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fæcunditatis aperiret genitale ſecretum. Hic ergo ſolus aperuit ſibi vuluam. Nec mirum: * Qui enim dixerat per Prophetam: *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & in vulua matris ſanctificaui te.* Qui ergo vuluam ſanctificauit alienam, vt naſceretur Propheta, hic eſt qui aperuit matris ſuæ vuluam, vt immaculatus exiret.

Et lib. 1. cont. Iul. c. 2.

al. * quem

al. * Eo quòd

al. * Hic

Ier. 1.

Orator inſignis hâc oratione primò antiquæ legis explanans Edictum, dogmatizat ſanctum legale vnius veri ſancti myſterium ſignaſſe, qui ſæculi ſub fine natus de virgine, terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non ſenſerit, ſic aperiens Virginalem vuluam naſcendo, vt tamen eam

Digitized by Google

eam relinqueret clausam non violando. Alioquin si non illum scriptura significauit, quæ de masculis sanciuit, vt habeantur sancti, ostendit verum non esse decretum multorum prauitas masculorum. Sed lex Domini immaculata, & testimonium fidele. Qua de re quærendus est intellectus qui possit aptari merito veritati; vbi sanctus ille solus reperitur, qui sine peccato conceptus, sine delicto genitus, sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos Dei immaculatæ fœcunditatis aperuit genitale secretum. Non enim hoc genus narrationis ad Ecclesiam per mysterium coaptaret, nisi rei veritate, de virginalis vuluæ reseratione factum fuisse docere voluisset. Quem sequentia comprobant intellectum, ait enim: hic ergo solus aperuit sibi vuluam. Quid amplius requiris, quando signatis attestatur quod dicimus verbis? Et aperuit enim, & vuluam dixit, quo nihil per figuram reputes dictum. Igitur manifesta confirmat sententia, quòd olim vetus scriptura loquebatur: *Omne* scilicet *masculinum quod aperiret vuluam, sanctum Domino vocari*, vt non moderno sed antiquissimo discas tempore signatum fuisse, non solùm quod de Virgine nasceretur Iesvs; verùm quòd per intemerati pudoris vuluam nasceretur.

Vtque Natiuitas ista impolluta, de inuiolato non coinquinata, de corrupto egressu putaretur, docet sub exemplo adhuc in vulua sanctificati Prophetæ. Subiungit autem: Qui enim dixerat ad Prophetam: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te.* Qui ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur Propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret. Cessent iam verba nostra, vbi tanti Doctoris verbis instruimur quid de Saluatoris ortu sentire debeamus. Non enim explicare debemus quid dixerit, cùm potius inuoluere, quàm manifestiùs aperire queamus: nisi fortè quis adeò rudis extiterit, vt vluam fore pudendum mulieris ignoret.

CAPVT VII.

Encomiũ B. Auguſt.

PROCEDAT ſed in conſpectum Auguſtinus, fluuius eloquentiæ, perſcrutator ſecretorum, occultorum reuelator, propugnator Eccleſiæ, Hæreticorum debellator; & quid ſuper Saluatoris ſentiat exortu, palam profiteatur. In ſermone de natali Domini, dum de modeſtia Virginis, & mirabili Saluatoris conceptu declamaret, ſic ait: Pronunciato per Angelum partu cæpit Verbum formari, conceptione colligitur in homine Deus, & eum ſuſtinet venter cui partus fuerat mundus, & intra breue Virginei corporis ſpatium pro nobis eſt incarnata maieſtas; fœcunda viſcera Verbo authore tenduntur; completíſque nouem menſibus venter cœleſtem hominem fudit. Natum Dominum publicat Angelicus ſermo, diligenti deſcriptione quàm breuiſſimè proſecutus eſt, & principia conceptus, & conſtructionem ſoliditatis, & augmentum corporis. Menſium quoque ſpatium quo intra ſecreta ventris infantilis coaluit ſucceſſus, inde progreſſus in auras, & in natiuitatem Dei Angelica conclamatio. Vide profectò quoniam & conceptum dicitur, & concretum, & fuſum, id eſt non per peregrinam irruptionem egreſſum, ſed per veſtibulum ventris Virginalis fuſum.

Item in alio ſermone ſuper eadem natiuitate. Natus ergo Dominus noſter ex carne quidem, ſed non ex corruptione carnali. Natus vt homo, ſed non genitus vt homo. Ita ſuſcepit carnem, vt ſeruaret maieſtatis honorem; & ſic ſegregauit puritatem Natiuitatis ſuæ à colluuione concretionis humanæ, peregit quidem in ortu ſuo plenam hominis diſpenſationem, ſed Dei tamen non deſeruit dignitatem. Vides à docto viro & diuinitatem filij Dei, & humanæ Natiuitatis ordinem deſignari. Dicit enim eum natum ex carne, ſcilicet de membris & humanitate virginis, lege quidem carnis, ſed præter corruptionem carnis; vtque manifeſtiùs quid dicitur animaduertas, ait, natus vt homo, ſed non genitus vt homo. Cerne quàm pleniſſimè Natiuitatis Chriſti myſterium reſerauit: Ait namque, natus vt homo, ſed non genitus vt homo.

Digitize

Quid est natus vt homo? quia per vuluam, per quam nascitur omnis homo, de virginis vtero egressus est. Et quid est non genitus vt homo? quoniam non de semine viri, sed de Spiritu sancto est incarnatus. Fac vt non fuerit egressus per ostium ventris, non erit verum quod natus fuerit vt homo: sed natus est vt homo, igitur per ventris ostium, id est, vluam natus est.

Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum, & sicut vitâ, ita etiam eloquentiâ insignis; In libro fidei* secundo: [Vnus vnigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ Virginis vtero insertus accrescit. Qui omnia continet, & intra quem & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur.] Docet eum & corporis habitum ex Virgine & intra Virginem induisse, & de more natiuitatis humanæ, virginalis vluæ penetrasse secreta. Commutatis siquidem verbis idem quod Pater Augustinus protestatur. Ille namque quod natus sit vt homo testificatur: At iste quòd humani partus lege prolatus est, intonuit. Quatenus vterque dum Saluatoris processum de Virgine consonâ scripturis sacris voce profitetur; & veritas doceatur, & falsitas subruatur.

S. Hilarij. * seu de Trinitate lib. 2. sub med.

CAPVT VIII.

VT autem nullus aduersario locus relinquatur contradictionis, procedat in medium Gregorius, speculum sanctitatis, eloquium lacteum, regula morum, & Dominici partus genituram verbis doceat veritatis. In homilia 26. dum propositam solueret quæstionem, quòd Corpus Dominicùm & verum fuit, & clausis ianuis ad Discipulos introiuit, tali sub exemplo comprobauit: [Illud enim corpus Domini introiuit ad Discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per Natiuitatem suam clauso exiit vtero.] Dicitur, quòd quemadmodum Dominus Iesus Christus primò resurrectionis gloriam cum corporis veritate diuersorium Discipulorum, non per parietem, nec per postica, sed per ianuam non tamen reseratam ingressus est, ita de matris aluo

S. Gregorij Papæ. Initio.

Digitized by Google

procedens, non aliunde, ſed per vuluam clauſam tamen exiuit. Dicis fortè clauſis ad Diſcipulos ianuis Dominum introiſſe, non tamen per locum ianuarum, ſed per quamcunque penetraſſe partem. Primò quid ad diuinum miraculum ſpectat clauſis oſtiis aliunde ingreſſum? Aut quid dignum Euangeliſtæ commendatione, inde introiſſe Dominatorem per quod quiſlibet ingreſſum ſibi poterat reperire mortalium? Aut omnipotenti ſi nihil eſſe clauſum quiret ad introitum, cur non idem ſuper ianuarum aditu ſuſcipiatur, vt & illis clauſis, attamen ſuo aduentui reſeratis ad diſcipulos foret ingreſſus? Sed quid reſpondebis de ſepulchro, quandoquidem non ſolum clauſo, verum etiam obſignato illo, corpus rediuiuum repoſuit ſub auras. An dices quod tantæ ſubtilitatis corpus illud ſubſtiterit Ieſu, vt tenuius ventis, exilius aëre nequiuerit tumuli parietibus coerceri? Sed quanquam ſit impium iſta ſentire de Saluatoris corpore, cùm primò reſurrectionem dixerit ad Diſcipulos: *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: & natura non patitur vt & oſſium & carnis ſoliditate duratum ſit craſſum; & ſubtilitatis exilitate deductum ſit tenue. Nec Catholica fides naturæ corporis aut qualitati aſcribit, quòd clauſum exierit ſepulchrum, quòd obſeratis foribus penetrauerit ad Diſcipulos, ſed diuinitatis potentiæ & reſurrectionis glorię. Alioquin non erit iam miraculum deitatis commendans inſigne, quod naturæ ratione tenebitur aſtrictum. Attamen concedimus & iſta, quamuis impia, quamuis contra fidem. Nunquid non idem de ianuis confiteberis clauſis? Velis, nolis, hoc laqueo illigaberis. Ergo exiuit clauſo ſepulchro, & ingreſſus foribus obſeratis. Tantundem igitur licet inuitus, licet reſultans concedis Virginali vuluæ, nec infirmior, nec inhumanior ſuperni numinis proles extitit circa maternæ clauſta vuluæ, vt & clauſam relinqueret, & per eam tranſiret, quemadmodum tumuli ſui ſigna, & diſcipulorum domus oſtium vel exiuit, vel introiuit, nec tranſeundo patefecit.

S. Vener. Bedę. In c. 2. l. 1.

Beda Preſbyter Anglorum, Chriſti membrum non reprobum, de hac quæſtione non diſſimilem ſuperioribus profert ſententiam in Commentario Lucæ, dum de Saluatoris

Digitized by Google

Natiuitate & partu Virginis loqueretur, sic ait: [Quòd autem filium suum primogenitum MARIA peperisse describitur, non iuxta * Heluidium nobis accipiendum est, alios quoque filios eam procreasse, quasi nequeat primogenitus dici, nisi qui habeat fratres, sicut non vnigenitus, nisi qui caret fratribus, solet appellari: quia & testimoniũ legis, & aperta ratio declarat omnes vnigenitos, etiam primogenitos, non autem omnes primogenitos etiam vnigenitos posse vocari. Hoc est non solùm primogenitum post quẽ alij, sed * omnes antequam nullus è vulua processerit. Denique, quia omne masculinum quod aperit vuluam sanctum Domino vocari præcipitur, siue fratres sequantur, siue non sequantur, quod primum de vulua nascitur, primogeniti est iure consecrandum.] His verbis & virginitatem defendit MARIÆ, & humani partus lege Saluatoris insinuat ortum. Nam dum primogenitus & vnigenitus perdocetur, fratres eum habere potuisse monstratur, quod nequaquam poterat esse verum, si Christus humanatus non fuerit lege. Nec enim meritò tunc vel primogenitus, vel vnigenitus diceretur, quia non genitus, genitus autem, est natiuitatis humanæ lege prolatus. Quâ de re si Christus non est natus sicut homo, nec si genuisset Maria præter Christum, potuisset Christus primogenitus vocari; quoniam non esset genitus, sed aduersus iura naturæ vel eiectus, vel egressus. Nunc verò & legis auctoritate, & Euangelij veritate hic doctor instructus dogmatizat Iesum primogenitum sacræ Virginis, quoniam & primus & solus natus est ex ea humani partus iure; quoniam nascendo aperuit vuluam, non vt violauerit vteri pudorem, verùm quò per signatam & intemeratam procederet ianuam, de secreto ventris ad humanos oculos. Et idcircò quod primus de vulua natus est, primogeniti iure consecratur. Nescio quid ampliùs ad huius quæstionis comprobationem congerere sit necessarium testes. Tot enim & tam magnæ auctoritatis viri non solùm cuilibet sufficere Catholico possunt, verùm quemuis hæreticum, & fidei grauitate, & sapientię lumine conterere queunt.

* *al.* Heluidianos.

* *al.* omnem.

Digitized by Google

CAPVT IX.

NE autem sibi quicquam commentum nouitatis deesse quæratur, iam nunc ipsa Virginis pudenda nudo nomine dicta, & per ea genitum Saluatorem in medium constituamus. Hieronymus sacræ legis interpres, omnium peritissimus disciplinarum, fidei turris in concussa, sapientiæ lampade splendidissimus, eloquio facundissimus, latini, Græci, Hebræique sermonis doctissimus, in libello aduersus Heluidium, constituens primò ipsius Heluidij super hâc re dicta, posteà suam sententiam profert, quâ bene ab hæretico insinuatâ confirmat. Sic enim legitur: [Numquid non quotidie Dei manibus paruuli finguntur in ventribus, vt meritò erubescere debeamus, MARIAM nupsisse post partum? quòd si hoc illis turpe videtur, superest, vt non* credamus etiam Deum per genitalia Virginis natum. Turpius est enim iuxta eos, Deum per Virginis pudenda genitum, quàm Virginem viro suo nupsisse post partum.] Hactenus hæreticus de nuptu Virginis post partum nefandissima latrat. Sed de generatione Filij Dei per hominem verissima narrat, quod sequens oratio doctoris nostri declarat manifestè. Talis enim est: [Iunge, si libet & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans tegmine membranarum solito conuolutus: ingerantur dura præsepia, vagitus paruuli, octaui diei circumcisio, tempus purgationis, vt probetur immundus, non erubescimus, non silemus. Quantò sunt humiliora quæ pro me passus est, tantò illi plus debeo. Et cùm omnia replicaueris, nihil cruce contumeliosiùs proferes, quàm profitemur, & credimus, & in qua de hostibus triumphamus. Sed vt hæc, quæ scripta sunt, non negamus, ita ea, quæ non sunt scripta, renuimus: natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus.]

S. Hieronymus. *Hieron. aduers. Heluid. multò ante finem.* Heluidij obiectio. *al.* credant.

S. Hieronymi responsio. *vbi supra.*

Distinctione prudenti vir doctissimus quæ fuerant ab aduersario malè ingesta remouit; & quæ Catholicè prolata

Digitized by Google

ſuſcepit, quæ verè dicta confirmauit; & quæ ore blaſphemo iaculata redarguit. Per genitalia Virginis natum eſſe Deum confeſſus eſt: poſt partum nupſiſſe Mariam reprobauit, quòd genitalia & pudenda in iniuriam ſacri partus deprompſerit, execratus eſt: quòd Verbum caro factum per ſecretam ventris ianuam exire non repudiauerit, approbauit. Inde eſt quod & alias naturæ depoſitiones annexuit, nouem menſibus vterum inſoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos, infantem tegmine membranarum ſolito conuolutum, dura præſepia, vagitus, circumciſionem, tempus purgationis, nouiſſimè crucis contumeliam; hæc vniuerſa tanquam Catholicus amplexatur, ſuſcipit, veneratur. Quantò namque humiliora pro electis paſſus eſt Creator, tantò plus illi debent hac oratione Doctoris egregij conſiderare, quia non pauca dinumerat, quæ paruulus nequiuerit ſuſtinere, ſi non humani partus lege natus eſt, vt partum ſanguinem, pannos, membranarum conuolutionem, vagitus, vniuerſa hæc & genitalis Virginei ſecretum, & humanæ natiuitatis legem proteſtantur.

Pariter quoque diſce Spiritum ſanctum hunc ſacro-ſanctum qui proteſtatus eſt ortum, & ſanctos doctóſque homines, qui eum poſteà verbis ſcriptíſque ſuis commendauere populis, magis illum voluiſſe ſermonis honeſtioris inſinuare circuitu, quàm ſimplicis eloquij ſeruando proprietatem, aliquid quod offenderet audientes, in medium proferre: decebat enim tantam rem non humilibus, ſed magnis, non ſordidis, ſed honeſtis exponere verbis, vt illud: *Orietur ſtella ex Iacob, conſurget homo de Iſraël, & exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius deſcendet. Rorate cœli deſuper & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra & germinet Saluatorem.* Neque enim defuêre ſpiritui ſancto verba, quibus genitale Virgineum valuerit aperire, ſed rem præclaram atque magnificam præclaris magnificíſque delegit figuris edocere. Acceſſit tamen & propiùs, & legitimis propriiſque decoris adaperuit ſermonibus: propterea Propheta: *Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Et, *Puer natus eſt nobis; filius datus eſt nobis.* Et Angelus ad Mariam: *Ecce concipies & paries filium*, & multa horum ſimilia in omnibus iſtis & naturalibus & decentibus

Num. 24. 17. *Et Iſa.* 1. *Iſai.* 45. 8.

Iſa. 7. 14.

Luc. 1. 31.

Digitized by Google

Christi natiuitas commendatur verbis.

Vitatur tamen suo vocabulo pars illa membrorum, quâ partus egreditur, commemorari, vt pote nec honestum, nec necessarium. Alioquin quando nomina ponuntur, officiorum & verba, quis non & ea membra, quibus illa peraguntur officia, statim intelligit? Si quidem & videre per oculos, & audire per aures, & ambulare per pedes intelligimus, nec quando de aliquo prædicantur, vt, vidit, audiuit, ambulauit ponuntur, pariter oculi, aures, pedes, nisi distinctionis & intelligentiæ gratia, nec sic nos significata verborum aduertimus, vt non partem, etiam membra illa sine quibus talia ministeria non explicantur, sentiamus. Qua de re quod superfluum & turpe erat super sacri partus actu refugit enuntiare oraculum cœleste, refugerent & sancti homines. Porrò quod plenum significationis, & commodationis modestiam habebat, exposuere. Nec tamen & hoc vsquequaque vitarent, siue propter futuros veritatis inimicos, siue propter tollendæ dubietatis occasionem. Inde est quod ait Lucas
Luc.2.22. Euangelista: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ riæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem vt sisteeum Domino, sicut scriptum est in lege* Domini: *Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum* Domino *vocabitur.* Nec mirum si noluerint graues, & reuerendi Doctores talia super glorioſissimæ natiuitatis contumeliam referre, qualia nec vulgus super cuiuslibet pauperculæ partu non erubescit confiteri.

Ergo & iste Doctor insignis, cuius hîc testimonium protulimus, cùm recepisset ab inimico veritatis testimonium veritatis super diuina generatione, indignatur tamen verborum iniurias in Virginis contumelias, quòd illis verbis quanquàm naturalibus, quanquàm propriis, humilibus tamen, minúsque modestis virginis narrauerit partum,

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

AMPLIVS ergo iam non est quid requiras, quando nil superat de sancto partu quid discutias: siquidem peruenimus iam ad genitalia Virginis, transiuimus ad pudenda puerperæ, vt cui non dabat intelligentiam conceptus, partus, generatio, natiuitas, apertio vuluæ, tandem doceant pudenda, erudiant genitalia; non dederint intellectum naturalia & honesta, dent saltem turpia & figurata. Quoniam tantùm docti sunt nostri secretorum perueſtigatores, vt potiùs obscuris & alienis, quàm claris & propriis assentiantur significationibus.

Verùm Poëtarum iam suffragia conuocemus, vt omnis eloquentia testimonium ferat veritati. Prudentius, vir liberalium studiorum non ignarus, in Apotheosi * dum de iniuriis quas passa est vita mundi pro libertate mundi disputaret, atque ab eis inuiolabilem naturam, id est, diuinam, segregaret, eásque substantiæ, id est humanæ assignaret, sic ait: Prudentij. * Contra hæresim quæ Patrẽ passum affirmat sub med.

His affecta est caro hominis, quam fœmina prægnans
Enixa est sub lege veteri, sine lege mariti.

Fideli prorsus & sapienti narratione, & concubitum secreuit, & prolem naturaliter enixam differuit. Legemre mouit mariti, & legem substituit veteri; vt de Spiritu sancto concepisse monstraret, per vuluam peperisse non taceret. Huic simile Fortunatus Presbyter Gallicus, peregrinus, sed cœlestis ciuis, pauper rebus, censu fidei diues, in laude Virginis Mariæ sic fatur: Fortunati.

Sed redeo * quia virgo trahit mihi laude canenda.
Qualis nulla fuit, nulla futura venit.
Quémque pluunt nubes iustum de rore * serenum.
Hæc saluatorem germine terra dedit.
Hæc porta est clausa, in quam * introiuit nemo, nec exit.
Ni Dominus solus, cui quoque clausa patent.

Lib. 8. poem. 5. post init. *al* * qua *al.* * supernо *al.* * intrat vir

Non disconuenit superiori, immò aliis verbis hoc idem designat; nam gemina periodo eandem sententiam commẽdans & Virginitatis prædicat integritatem, & humano de

more natiuitatis indicat expositionem, & Saluatorem conceptum diuinitus narrat, & naturalis semitæ vena germinatum: vtque clariùs eliqueret quod loquebatur, attestatur Mariam portam extitisse Hiezechieliticam, per quam virilis nullus est introitus, vel exitus; solus verò omnipotens, cui nihil est clausum, per eam transit, vt qui concipi decreuit ex Virgine, humani partus lege de ea nasceretur.

Post omnes Athanasius Alexandrinus veniat, vt qui dote virtutum, constantia probatæ fidei, sapientiæ doctrinâ, perseuerantiâ confessionis, solus, vt ita dixerim, Arrianæ perfidiæ subuertit multitudinem numerosam, & vexillum veræ credulitatis propugnator gerens inuictus Ecclesiæ restaurauit murum, roborauit statum; nostræ quoque disputationis confirmator assistat, & erroris sectam valenter euertat. Ad Epitectum aduersus eos agens, qui vnius substantiæ Verbum & corpus quod assumpsit pro nostra redemptione dogmatizabant, cùm fides teneat Christiana, duas substantias, diuinam scilicet humanamque in Christo coniunctas, vt in vna persona vtraque natura suam possideat distinctionem; sic infit inter reliqua: Propterea ergo necessaria Maria, vt ex ipsa corpus assumeret, & vt suum pro nobis corpus offerret; & hanc Isa. Proph. ostendit dicens: *Ecce Virgo*. Gabriel autem mittitur ad ipsam non transitoriè Virginem, sed ad Virginem, desponsatam viro, vt sponso ostenderet Mariam vere hominem fuisse. Et partus meminit scriptura, & dicitur: *inuoluit puerum*. Et beata sunt vbera quæ suxit. Et, oblatum est sacrificium, quoniam aperuit qui natus est vuluam. Hæc autem omnia parturientis virginis erant indicia, & Gabriel certissimè euangelizauit ipse dicens non transitoriè, quod nascetur ex te, vt non de foris inditum ei corpus videretur, sed, ex te; vt ex ipsa naturaliter quod natum est, esse manifeste credatur; & hoc naturâ demonstrante, quia impossibile est Virginem lac proferre, & impossibile est lacte nutriri corpus, & pannis inuolui non ante naturaliter natum.

Orthodoxæ fidei constantissimus, quem Dominus posuerat in ciuitatem munitam, in murum æneum, & in columnam ferream Regibus Iudæ, Principibus eius, & omni populo terræ, non aliter de Virginis partu aut sentire potuit,

Digitized by Google

aut effari, quàm sentit & prædicat Ecclesi, quæ est domus ędificata super solidissimam petram, columna, & firmamentũ veritatis; propter quod cũ enumeret plura quibus approbat Incarnatum & natum Christum de Virgine, vt etiam nouam depellat hæresim, dicitur quoniam qui natus est aperuit vuluam. Hancque veræ confessionis doctrinam, magis ac magis inculcans, inferiùs annectit: Impossibile esset Virginem lac proferre, & impossibile esset lacte nutriri corpus, & pannis inuolui, non ante naturaliter natum. Quid ampliùs vultis, nouæ & inauditæ præteritis sæculis hæreseos, vel authores, vel defensores? En consistit aduersum cuneum vestrũ Athanasius ille, qui olim contra perfidiam Arrianam dimicauit. Illo certamine diuinitatem Verbi defendit, hoc agone humanitatem propugnat. Tunc natiuitatis, quæ est de Patre, veritati contradicebatur, nunc natiuitatis quæ est de matre veritati resistitur. Hostes illi confligebant non esse natum Filium de substantia Patris, sed ex nihilo factum, isti oppugnant non naturaliter ortum Christum de matris vtero, sed prodigialiter exceptum. Vbique Christo contradicitur, vbique mundi liberatio maledictorum linguis iniuriatur, sed propugnator doctus vincere, nescius cedere, non de se tamen præsumens, sed in ipso pro quo pugnat confidens, accedat, & cateruam superbiâ tumidam, vanitate subnixam, veritatis mucrone concidat.

Intorques pars aduersa telum, & iactas; Non est natus Deus per naturã mulieris. Opponit fidei scutum vir fidelis, & refert gladium verbi Dei: Oblatum est sacrificium, quoniam qui natus est, aperuit vuluam. Quid stupes falsitatis commentum, non mucrone stimulatus, sed validissimo telo percussus es; oblatum est sacrificium, non vales negare, quâ de re & apertam vuluam cogeris confiteri. Quod si aperuit vuluam, natus est per naturam mulieris sanguineã. Veternosus anguis quo conuertis aciem? quo lubricum captas caput obiectare. An adhuc conaris in vulnus & insibilas ore trisulco; si aperuit vuluam, corrupit; sed os pestiferum obice Danielitico iam nunc opiletur, vt squamosus Draco per partes dissectus, cesset demẽtare Chaldæos. Isa. Proph. *Ecce Virgo*: & Gabriel mittitur non transitoriè ad Virginem sed ad Virginẽ

ponſatam viro, & poſt partum, poſt inuolutionem paruuli, poſt lactationem, poſt oblatum ſacrificium quoniam aperuit qui natus eſt vuluam inclamat. Hæc omnia parturientis virginis erant indicia. Ergo virgo parit, non corrumpitur, Virgini matri naſcens Deus aperuit vuluam, nec violauit pudoris ſigillum.

Necad hæc forſitan penitus conquieſcis, ſed audes rurſus confractam concisámq; in ictus manum moliri Deo naſcituro: nihil fuit clauſum, ſed voluntas vt extitit naſcendi, affluit mox egreſſus, nec moras paſſus eſt natiuitatis, cui ſine proceſſu factus eſt ortus: & hanc perfidiæ calumniam ſic elidit defenſor fidei, non quò diuinitatis ſubroget potentiæ quicquam, ſed quò humanæ natiuitatis homini Deo conteſtetur veritatem; vt ex ipſa naturaliter quod natum eſt, eſſe manifeſte credatur. Igitur naturaliter natum eſſe Deum hominem factum prædicat, vt per naturæ vuluam humani partus lege proceſſiſſe cognoſcas. Inde quoque docet haud aliter Virginem lege naturæ potuiſſe lac proferre, vel lacte nutrire corpus; vel conſequenter pannis inuoluere non ante naturaliter natum.

Ergo omnifariam aduerſario deuicto teneamus vera fide, confiteamur ore veridico, verbum carnem factum per miniſterium vuluæ naturaliter natum, & ſecundum rationis conſequentiam, & ſecundum diuinarum teſtimonia ſcripturarum, & ſecundum doctorum non contemnendam auctoritatem: ſatis abūndéque, vt æſtimo, monſtratum eſt, Dominum Saluatorem de Virgine ſicut hominem natum, non vt integritatem violaret illa natiuitas, quia MARIA Virgo fuit ante partum, Virgo in partu, Virgo manſit & poſt partum. Sed vt qui de Virgine corpus aſſumpſit, & intra gremium Virginale concreuit, per aulam quoque virgineam naturaliter naſceretur. Quod ſi alicui iſta non ſuffecerint, vel tarditate ſenſus, vel contradicendi ſtudio, non deerit vnde vtriq; ſubueniatur. Si tamen & vulnus aperire ſuum maluerint, & contentionis perniciem non amare. Luſimus hæc de more ſtudentium: quæ ſi quis contemnet, exercitia nobis noſtra complacebunt.

Digitized by Google

ISAACI
LINGONENSIS EPISCOPI
DE CANONE MISSÆ
EPISTOLA.

Domino & Patri in Christo semper Venerabili, & dignè amando, IOANNI *Dei gratiâ Pictauorum Episcopo, Isaac Salutem, Obsequium, & Obedientiam.*

ECCE quod diu multúmque postulando impetrare non potuit vestra humilitas, impetrando citò extorsit authoritas; cogit enim nos & ex occasione collationis, quam vtique pœnitet nos sic leuiter effudisse, stilo alligare; quomodò in sacrum Canonem, dum sacro-sancta celebramus, intendimus: rem quidem difficilem & fortasse inexplicabilem: nihil humano corde fugatius, vel curiosius: vnde & id tam morosè in vno tenere, nimis arduum, & in vnum vniformiter sæpe intendere, nimis deuotum: identitas enim mater est satietatis, sed hoc ex vitio curiositatis. Vnde consulens infirmitati nostræ diuina gratia, antiqua capitula tota sensuum nouitate sæpe perfundit; qui cùm subitò effulserint, super omnem humanum modum miramur vbi nunc vsque latitarint; vnde tam inopinatè & absque studio emerserint: ex ipsa verò admiratione dilatatum est cor, sicut scriptum est: *Mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Et ob ipsam dilationem adimpletur deuotione, dilectione, delectatione, iuxta Psalmistam: *Dilata os tuum & implebo illud.* *Isa. 60. 5.* *Ps. 80. 11.*

Digitized by Google

Nonnunquam verò clariùs luce visa, & super mel & fauum dulciùs gustata, dum per eandem transimus, absconPs. 30 20. dit, iuxta illud: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Ipsa verò absconsio timorem gignit horribilem; horror dolorem, dolor gemitus, suspiria, & intra nos animi conquestus inenarrabiles; ita vt nihil minus lugeamus amisisse vetera, quàm gaudeamus inuenisse noua. Sícque vtraque vicissitudine, ac si in vtraque mola confracti, comminuti, permoliti, in similaginem sacrificij Dei transimus: ipsámque vtro que genere lacrymarum, id est, compunctionis, & deuotionis, commiscentes, & in clibano cordis contriti, humiliati, coquentes nosmetipsos, panes propositionis efficimur, quos primo omnium offeramus.

Quoniam ergo, Sereniſſime Pater, nos nobisipsis minimè constamus; sed spiritus vbi vult, & quod vult, & quando vult spirat, & nescimus vnde veniat, & quo vadat: & non potest homo à semetipso accipere quicquam, nec pro voto ab alio, nisi sicut fuerit datum desuper, humiliati, postula* *Hic aliquid deesse videtur* tionis vestræ * sapientiùs huc vsque siluimus, quàm imperio authoritatis vestræ adhuc loqui possimus. Sed fortasse non quod nobis rorent cœli desuper, aut quomodò nubes pluant, quæratur; sed quomodò aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ, quæstio est: non quomodò prospiciat iustitia de cœlo: sed quomodò oriatur veritas de terra: non quomodò intendat in nos Deus; sed quomodò intendamus in ipsum.

Nos itaq; (vt simpliciter fateamur) singulis capitulis sigillatim prout gratia nobis datur intendimus; & dum ea quasi vbera de cœlo plena per labia sumimus, intentè lactemus ex in ore fantis & lactãtis, perficientes laudes quas valemus. Veruntamen licet ibi plurima in diuerso modo dicãtur & fiant, Tres in Canone præcipuæ actiones. nos tamen sub trina actione ferè vniuersa concludimus: tres etenim distinguntur in sacro Canone principales actiones, quibus quasi tria deseruiunt altaria, quibus quasi trinus assistit sacrifex cum quodammodo tribus sacrificiis: & est fortasse hoc exemplar quod ostensum est Moysi in monte, quod vmbram conderet futurorum, id est, tabernaculum in deserto. Vidit in alto quod faceret in immo; in monte didicit

Digitized by Google

quod faceret in plano; sursum tandem didicit, quod faceret deorsum: didicit à Deo quod doceret homines. Iuxta hanc formam & Apostolus loquitur: *Ego*, inquit, *quod accepi, tradidi vobis*. O bone Pater attende tibi ipsi, quanti hodie tradunt quod nec à Deo, nec ab Apostolo acceperunt. Traditiones verò hodiernæ ferè omnes turpi lucro deseruiunt: pœna quæ pro commisso irrogatur, ferè omnis pecuniaria est: beneficium quod quasi gratis impenditur, ferè omne & si pretium antè non taxat, obsequium posteà sperat. Grauidæ sunt hodie gratiæ nostræ, sub prætextu Virginis prægnantem nuptui tradimus. Hanc simulationem non didicit Moyses, nec didicit Apostolus. Non est igitur hæc figura de monte.

1. *Cor.* 11. 23. Contra prauos Episcop.

Tabernaculum igitur de monte, id est, tabernaculum Dei cum hominibus, sic compositum est, vt in atrio exterius altare habeat æneum, vbi animalia sacrificantur; intus aut in tabernaculo aliud, & aureum quod dicitur altare incensi, vbi timiama ponitur, & thus, & cætera quæ cremata odoriferum fumum redoleant. Post quod quasi interno & supremo positum propitiatorium & altare aureum, quoddam velum oppanditur, quod in passione Christi scissum est, vt pateret propitiatorium, id est, corpus Christi: quod etiam sub hoc mysterio nudum cruci affixum est. Intra altare aureum & æneum, paries quidem tabernaculi in eremo & murus diuidit in templo, de quo peccator per pœnitentiam tendens ad iustitiam, sic loquitur: *Et in Deo meo transgrediar murum.* Primum enim altare cor contritum & humiliatum significat, in quo dum quale iumentum viximus & irrationabiles, actus per pœnitentiam mactamus, quid nisi animalia diuersorum generum Deo sacrificamus? Talia etenim Deo animalia in conuersione peccatoris, qui per peccatum quidem foris est, & nisi per condignam pœnitentiam non intrat ad iustitiam, mactat cordis compunctio, excoriat oris confessio, in frusta concidit dinumeratio, comburit autem condigna afflictio. Æneum quidem est, obscurum videlicet atque sonorum, quia collocatur pœnitens in semetipso in obscuris, dum anxiatur in ipso Spiritus eius, & cor conturbatur, & de profundis fortiter clamat, opus est vt vox eius audiatur in excelsis:

Altaria legis antiquæ moraliter.

Ps. 17. 30. Primum altare.

Digitized by Google

sic enim in Deo suo transgredi poterit murum, qui inter cul-
Ps. 50. 18. pam & iustitiam diuidit, quoniam sacrificium acceptum Deo
Spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum
Secundũ. Deus non despicit. Secundum verò altare quod intus & aureum est, cor significat per pœnitentiam purgatum, testimonio conscientiæ bonæ rutilans, & clarum, supra quod deuotio offert sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, dum non adhuc sua commissa deplorat sed iam in diuinis exultat; non iam de commissione criminum gemit, sed de
Tertium. collatione virtutum gratias agit. Tertium verò quod melius propitiatorium quàm altare dicitur, vbi non Angeli quinque & quibusdam & quicumque apparent, sed semper alis expansis, & ipsum propitiatorium obumbrantibus, ipsa etiam Cherubim manens, cor significat super nubila fantas-
Ps. 67. 7. matum altum sicut dicitur: *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*. Cuius conuersatio in cœlis est, non solùm desiderio, sed spiritu, sed iugi, quantum homini fas est, contemplatione, nisi quæ retro sunt siue bona siue mala oblitus in anteriora semper extendit ad brauium supernæ vocationis, quàm desiderat & delectatur cum Angelis prospicere.

Primum sacrificiũ pœnitentię, seu cõpunctionis.

Primum igitur sacrificium pœnitentiæ quam super cor contritum Spiritus rectus offert, id est, compunctio. Secundum iustitiæ quam super cor mundum Spiritus sanctus offert, id est, deuotio. Tertium verò intelligentiæ quam super cor altum offert Spiritus principalis, id est, contemplatio. Compunctio enim peruersos corrigit; deuotio correctos dirigit; contemplatio directos erigit, & cum Angelis conuersari facit. Cor contritum in præteritis malis cruciatur; cor mundum in præsentibus bonis delectatur, cor autem altum præmia æterna contemplatur. Pœnitentia separat à diabolo; iustitia coniungit Deo; intelligentia delectatur in ipso. Hæc est compositio Tabernaculi Dei, non tam cum hominibus, quàm in hominibus. Cuius imago quomodo, in sacro Canone fulgeat, in promptu est, vbi distinctè priùs sacrificium offertur seruitutis, post modum verò libertatis, tertio vnitatis, ad hoc enim per diuina sacramenta à seruitute diaboli liberamur per Filium, vt ipsi Patri cum Filio vniamur:

2. Iustitiæ, seu deuotionis.

3. Intelligentiæ, siue contẽplationis.

Missæ Canon explicatur. Actio 1.

sic

sic nempe pro seruis Filius loquitur Patri: *Volo Pater, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & isti sint vnum in nobis.* Omnis ergo actio sacramentorum cœlestium huic fini deseruire dignoscitur, vt sine fine vni Deo per Christum vniti, in Christo delectemur: *Ideò vnus panis vnum corpus multi sumus*, sed non multa capita habemus, sed vnum, & cuius caput Deus; quatenus multi per vnum, & in vno vni vniti, vnus cum eo spiritus efficiamur, cum sapientia de sapientia sapientes, cum vita de vita viuentes, cum virtute de virtute potentes, cum charitate de charitate feruentes, cum iustitia de iustitia recti, cum lætitia semper de lætitia læti. Sed præproperè de extrema actione hæc gestiens prælibauit nimium auida deuotio. *Ioan.* 17 22. Ad quid Sacramenta. 1. *Cor.* 10. 17.

Cunctis ergo ritè dispositis quæ ad primam actionem pertinent, præmissis quibusdam orationibus seu postulationibus, cum incenso arietum, id est, suffragiis Apostolorum ac Martyrum, accedit visibilis Sacerdos, & adhuc qui natus est de carne caro, ad offerendas visibiles hostias, & de terra terrenas, & hoc super altare visibile & materiale materiali oleo visibiliter consecratum, & hæc omnia quasi foris aguntur, dúmque fiunt, & quomodò fiunt, foris conspiciuntur: vnde & ad seruum, qui non manet in domo in æternum, pertinere noscuntur: quamobrem & seruitutis oblatio dicuntur, sicut dicitur: *Hanc oblationem seruitutis nostræ, &c.* Oblationem seruitutis panem rectè nominat & vinum: nam cùm homo de terra sumptus per naturam super terram Dominus constitueretur per gratiam, ab Authore naturæ & datore gratiæ recedens per culpam, infra terram damnatus est per iustitiam: Vnde cùm terra famularetur fertilis ad suauitatem, nunc & multis & miris obsequiis delinita, laboribus plurimùm miseris ac miserandis exculta', vix largitur ad necessitatem, sicut scriptum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quoniam ergo in victualibus sine quibus vita animalis non transigitur, principalia sunt panis & vinum, aptè per ea omnis victus vitæ animalis dum offeruntur, offertur: præcipua quippe illius portio sũt, & totum figurẽt. Itaque quid ampliùs potest seruus qui reconciliari appetit Domino suo, quàm de penuria sua totum victum suum offerre, & sic totam vitam suam mactare. Sic ergo *Gen.* 3. 19. panis & vinum quare offeruntur.

Digitized by Google

Prou. 23. dum in prima actione in pane & vino totum victum suum offert, totum quod animaliter viuit occidit. Vitam enim occidit, qui victum ei subtrahit: hinc est quod à sapiente dicitur: *Ad mensam magnam sedisti, diligenter attende quæ apponuntur. Fige cultrum in gutture tuo, sciens quoniam talia oportet te præparare.* Mensa magna est altare Domini, ille nobis ibi apponitur ad refectionem, qui corpus & animam suam posuit ad redemptionem. Attendendum est quòd talia opportet etiam illi præparare, id est, pro illo nostrum similiter corpus simul & animam ponere: sic enim per Spiritum consilij sibi ipsi respondet Propheta: *Quid retribuam, Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Formam verò attende, quam subtiliter & eleganter expressit, dicens: *Fige cultrum in gutture tuo.* Cultrum quippe abstinentię & inediæ quasi in gutture figimus, dum qui totum victum nostrum obtulimus, de eo postm odùm parcè & timidè quasi de altario Dei ad necessitatem sumimus: nam qui altari deseruiuit, ordinauit Dominus de altario viuere: alioquin si post oblationem talem iterum deliciosè & luxuriosè quasi de nostro absumimus, totum quod offerimus, auferimus; & de rapina iam peiùs viuimus: nam sic iam non Domino sed nobis viuimus & morimur; & siue sic viuimus, siue morimur, iam verò non Domini sed nostri, immò non nostri, sed diaboli sumus. Ideò vir bone & prudens, diligenter attende, nostrum esse altare, de quo non licet edere qui tabernaculo corporis sui * & si * corpus polluitur voluptate, ita anima vanitate, & spiritus ambitione fœdatur. Ista nimirum sunt capita draconis, quem dedit Dominus escam populis Æthiopum. Iste calix dæmoniorum, quem simul bibere cum calice Domini non conuenit: Nulla enim conuentio Christi ad Bélial. Nunquid si mundus es corpore, statim mundus? immò mundus corpore, mũdior sit animâ, & spiritu mundissimus, quatenus castitate, puritate, humilitate, totus mundus non indigeat, nisi vt pedes lauet. Ecce in quid tendimus dum primam oblationem offerimus, ecce quid est esse contendimus, dum in ista intendimus, ista cogitamus, ista tractamus; foris verbo & linguâ, intus opere & veritate quantum possumus. Veruntamen altioris est opus consilij: totum quod potest hac in oratione seruus facit, sed in to-

Quid Christo in altaris sacrificio offerre debeamus.

Psal. 115. 5.

f. * *deest*, deseruiũt.

f. * sicut

Digitized by Google

to non satisfacit, non potest amplius aliquid; sed hoc totum non sufficit, occidere se potest, viuificare non potest.

Itaque oratione se erigit, & ad eum qui omnia potest, se conuertit, dicens: *Quam oblationem tu Deus*, vsque, *Corpus & sanguis nobis fiat.* Ac si dicat: Domine feci quod potui, supple quod non potui: & in fide nil hæsitans accedit ad actionem secundam, dicens: *Qui pridie quàm pateretur, &c.* Et ad verba potentia & efficientia, sicut scriptum est, *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Dicit enim & facit verbum & virtus: *Hoc est corpus meum.* Fit igitur supra omnem rationem humanam diuinâ virtute, humanâ sollicitudine, de vetere cibo veteris hominis, nouus cibus homini nouo. Habens ergo nouus Sacerdos, non vetus Melchisedech, neque natus caro de carne, non de sudore suo, neque de terra, cui miserè & multipliciter seruitur, sed nouus Iesus natus de spiritu, spiritus donis ac datis diuinis, de cœlo cœlestis hostia inuisibiliter effectus, super inuisibile altare fidei inuisibilem hostiam carnis & sanguinis offert, dicens: non vt priùs timidè, neque hostiam seruitutis, sed cum exultatione, atque lætitia, *Præclaræ maiestati tuæ hostiam puram*, & purificantem, *sanctam*, & sanctificantem; *Immaculatam*, & immaculatos efficientem; id est, *Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem*, qui in æternũ saluare & satiare potest; & ideò *salutis perpetuæ.* Ampliùs etiam, quia caro Christi & sanguis non prodest quidquam sine verbis, quæ spiritus & vita sunt. Altius aliquid adhuc expetit, cui per corpus Christi in cœlis Deo vniatur, & per humanitatem diuinitati coniungatur; nil sufficit. Quippe qui scalam sibi erigit, ascendere vtique satagit. Vnde post hanc oblationem accingit se ad orationem, dicens: *Supra quæ propitio, &c.* Et quasi per gradus ipsius scalæ ascendens, commemorat munus Abel pueri, sacrificium Abrahæ Patriarchæ, oblationem Melchisedech Sacerdotis, qui eleganter speciem expressit in pane & vino, sicut Abraham veritatem in filio, & Abel innocentiæ munus in agno.

Actio II. Diuina virtute in altari fit corpus Christi. *Ps.* 64. 14.

Hac, inquam, oratione fretus cum fiducia ascendit ad actionem tertiam: sed quoniam ad illud sublime altare in conspectu diuinæ maiestatis, vbi summus & perpetuus Sacerdos assistit, vultui Patris nondum vt vult valet ascendere:

Actio III.

Digitized by Google

nam & hoc dum visibilis se Sacerdos infra visibile altare se inclinat, & surgens osculatur, signat. Rogat per manus Angeli, inuisibilis scilicet sui ministerij, suum ei sacrificium perferri, & corpori Christi in cœlo vniri; quatenus sicut per ipsum quod hîc in specie panis & vini de primo altari sumimus, & in veritate carnis & sanguinis. De secundo vltra velum in cœlo benedictione olim semini Abrahæ promissâ, & gratiæ Mariæ allatâ, virtuti ipsius sacramenti communicet, id est summo capiti per Christum vniatur, caput enim Christi Deus.

Trium actionum tropologica explicatio.

Ecce Pater Serenissime, quomodò, sicut in Præfatione monemur, sursum corda, sursum verba, sursum & opera. Prima namque actio separat à mundo, secunda coniungit Christo, & tertia vnit Deo. Prima mortificat, secunda viuificat, tertia deificat. In prima actione passio, in secunda resurrectio, in tertia glorificatio. Vnde & dicitur: *Memores beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & gloriosæ in cœlis ascensionis: offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam, &c.* Primus igitur Sacerdos mactat, & quasi foris in atrio, vitam animalem; secundus intus & in templo sensum rationalem; tertius vltra velum & in cœlo iam ipsam fidem: sicut enim animalem sensum ratio, & super rationem fides, ita super fidem visio: *Quod enim videt quis quid sperat?* Vbi autem quis videt, non est fides: sic carnalis fit spiritualis, cœlestis autem diuinus, seruus fit liber, & regnat cum Patre filius, inimicus, amicus, & hæres. O Sacerdos Christi istis insiste dum assistis, ista dum facis fias nostri serui tui memor, qui vestræ Paternitatis in omni oratione & sacrificio fideliter & feruenter reminiscimur. Sequi nos oportet victuale nostrum, ne ieiuni deficiamus in via. Quid confert cibum nostrum de animali facere spiritualem, si sine cibo remanemus animales? Angelorum manibus cibus noster in cœlum defertur, & nos in terra quid facimus? Talis esca nos non solùm commendat, sed vnit Deo: nisi eam fastiditi ex ira Dei mereamur volatilia malè pennata, quæ in sublime volare non possunt, immò in medio castrorum, & circa tabernacula cadunt: quod à nobis auertat & vobis, ad quem conuersi sumus, Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Rom. 8. 24

Digitized by Google

VETVS CHRONICON ABBATIÆ S. BENIGNI DIVIONENSIS.

Authore quidem anonymo, ſed Monacho Benedictino eiuſdem Monaſterij.

Digitized by

Digitized by Google

CHRONIÇA

VENERANDORVM ABBATVM,

Illuſtriúmque huius Beatiſſimi Athletæ Chriſti Benigni Diuionenſis Monaſterij Benefactorum, atque Fundatorum.

Cui maximo cum labore, multíſque lucubrationibus adauctum eſt. Quod poſt venerabilem huius Præfati cœnobij Patrem Halinardum reperies.

INCIPIT LIBER COLLECTANEVS MEMORANDARVM RERVM.

PRÆFATIO.

ANTIQVORVM huius ſeculi ſapientum laudabile, ac imò imitandum fuit ſtudium, vt non ſolùm ea quæ acciderent in diebus eorum, ſed etiam fortia priſcorum facta hæroum, ad memoriam poſterorum traderent monumentis ſcripturarum. Quæ vtilis res & eis extititit magnum humanæ laudis, & futuris hæc legentibus vel audientibus exemplum, incitamentúmque æmulationis. Talia conſiderantes nos

Diuionenſis ſacri Monaſterij, à paruulo habitatores & amatores, ne fortè nobis iuſtè ſuccenſeant noſtri ſucceſſores (ſicut & nos de incuria meritò culpamus noſtros anteceſſores) aggrediemur cum adiutorio Dei deſcribere, licet ruſticana & minimè polita narratione, quę de prędicti loci antiquitate prodita, ſeu deuotorum Deo fidelium gregi eidem donata ſunt largitione; videlicet Regum, Pontificum, Ducum, Comitum, ac illuſtrium virorum, vt potuimus addiſcere veraci relatione. Quatinus & honori & cœnobio noſtro poſſeſſionum ipſi collatarum, & memorandarum rerum in eodem geſtarum deſcriptio accedat. Et cum diuinæ laudis debito exoptanda benefactoribus eius cœleſtis gloriæ remuneratio. Veruntamen primò dicendum quo in tempore ipſe aduocatus & peculiaris Chriſtianus noſter ſanctus martyr Benignus venerit in Galliam, vel quot annos eidem ferociſſimæ genti prędicauerit ſanctum Chriſti Euangelium, ſeu quo die, vel quo perſecutore conſummauerit agonis ſui martyrium: nec non & quando poſt multa tempora fuerit ſacrum eius corpus reuelatum atque tranſlatum.

195. Anno igitur ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti centeſimo nonageſimo quinto, Indictione tertia, imperante *Seuero*: ſub terribili eius perſecutionis procella directus eſt hic teſtis Chriſti cum ſuis ſociis Gallicæ genti, quæ per id tempus erat mancipata dæmonum cultui. Huius autem ſeculi Dei directio ita eſt diuinitus iuſſa, atque ſuaſa Metropolitano Aſiæ *Policarpo* Epiſcopo, & à Beato *Irenæo* Lugdunenſium Archiepiſcopo, ſeptimo die paſſionis ipſius ſancti, quæ patrata eſt anno tridecimo imperij *Seueri*. Siquidem *Claudio Albino* (qui ſe apud Lugdunũ Cæſarem fecerat) interfecto, *Seuerus* ciuitatẽ omnem tradidit in ore gladij; ibíq; ſanctus Irenæus martyrizatus eſt cum omni populo Chriſtianorum decem & octo millibus: tantáque fuit ſtrages cæſorum, vt ſanguine fluente à vertice montis (ſuper quem ciuitas ſita erat) Rhodanus & Araris qui ibi pariter coniungũtur, per plurima milliaria rubentes fluere viderentur. Hoc ergo peracto martyrio ſanctus *Irenæus* cum multitudine martyrum apparuit Beato *Polycarpo*, monuítque vt ſanctos Sacerdotes *Benignum* & *Andochium*, *Tyrſum* Diaconum, &

S. Irenæus martyrio coronatur.

Andeolum Subdiaconum tranſmitteret Galliam ad prædicandum. Qui ſancti Dei miſſi à ſancto Polycarpo, Angelo Domini ducente, peruenerunt Lugdunum, quæ eſt vrbs Metropolis Galliarum. Illic ſanctum Preſbyterum *Zacariam* reperiunt, qui ob perſecutionis procellam latenter in crypta inter martyrum latitabat ſepulchra, fluctuantíque Eccleſiæ diuinum aduenire præcabatur auxilium. Hîc denique poſt ſanctum Irenæum præfatam rexit Eccleſiam. S. Benign. in Galliâ à S. Polycarpo mittitur.

Cum eo igitur verbum Dei meditantes, atque in Spiritu ſancto gaudentes Dominum precabantur, vt eorum dirigeret greſſus. Et dum ibidem morarentur, Angelo Domini monente, viſum eſt eis, vt ſanctum *Andeolum* ad Carpentoracenſem vrbem prædicationis gratiâ deſtinarent: ſancto verò Andeolo ad prædictum locum iter arripiente, verbum Dei gentibus vbique prædicando, non longè pòſt à Seuero Imperatore multis afflictus tormentis, martyrio eſt coronatus. Hi autem Chriſti teſtes à beato *Zacaria* multisadhortationibus, vt intrepidè verbum Dei & nomen Chriſti omnibus adnunciarent, corroborati benedictione, etiam & poteſtate omnis Eccleſiaſtici & diuini cultus peragendi ab eo acceptâ, ad Auguſtodunenſem properant vrbem, comitante Chriſti virtute, & ſignorum gratiâ. Ad hanc itaque vrbem itinere attingentes, *Fauſtum* virum nobiliſſimum, ac præfectoriæ dignitatis, ac Chriſtianitatis veriſſimum amatorem reperiunt; ad quem Angelo monente aduenerunt. Qui ſuſcipiens eos cum omni gaudio, vt cognouit Sacerdotes exiſtere, ſuppliciter petiit vt filium ſuum *Symphorianum*, annorum trium vel quinque exiſtentem, paritérque amicos & familiam, baptiſmatis gratiâ conſecrarent. Quod audientes, ſanctus *Benignus* eum baptizauit: ſanctus verò *Andochius* eum de ſacro fonte excepit. Habebat denique illuſtris vir Fauſtus ſororem germanam, Lingonicæ ciuitatis matronam, nomine Leonillam, Chriſtianam; cui erant paruuli gemini, nepotes ex filio tres, viri pulcherrimi aſpectu, ſed animo pulchriores. Itaque vt ad eam ſanctus Benignus venire dignaretur impendiò deprecatus eſt. Quem ſicut manna cœleſte Leonilla ſuſcepit. Tandem hi tres gemini fratres fide ſanctæ Trinitatis imbuti, baptiſmatis gratiâ cum omni familia, ac

populi multitudine, per S. Benignum consecrati, non longè pòst martyrio coronati sunt. Sanctus verò Benignus perãbulans vniuersam longè latéq; prædicando regionem, & multos ad Christum conuertens, perucnit ad castrũ Diuionense.

Seuero itaque decimo octauo anno Imperij in Britannia defuncto, succeſſit *Antonius* Caracala cognomento, filius eius, in imperium: quod tenuit annis septem. Quo mortuo imperauit *Macrinus* anno vno. Post quem *Marcus Aurelius Antoninus* obtinuit imperium annis quatuor. Hic omnibus flagitiis plenus, etiam in persecutione Christianorum nulli priorum inferior principum, dum Galliam peruagatur populum in Deum credentem persequendo, à Senonum ciuitate deuenit ad rus prædicti viri *Fausti*, qui dicitur, Sede-locus, vbi sanctis Dei *Andochio & Tyrso* per martyrium consummatis, ipse Diuion petens misit Eraclium similem sui Sanctorum persecutorẽ ad Augustodunum vrbem. Eraclius itaque sanctum *Symphorianum*, primò diris flagellis cæsum, & carceris custodia maceratum, gladio plecti præcipit. Erat autem quando martyrium passus est sanctus Symphorianus annorum vinginti quinq;, vt in passione ipsius, atque in gestis sanctorum supradictorum martyrum inuenitur. Hinc cognosci potest tempus prædicationis sancti Benigni viginti circiter annorum fuisse, in quibus istam Galliam prędicando multos ad fidem Christi conuertit, & baptismatis eos vndâ sanctificans, Ecclesias in aliquibus sacrauit locis, Sacerdotésque ac Ministros ad diuinum cultum instituit.

Sub Aur. Imperat. S. Benign. martyriũ subiit.

Imperator ergo *Aurelius*, qui & *Aurelianus* vulgò dicebatur, Diuion castrum ingressus, comperta sancti martyris prædicatione & virtutibus, quas per eum diuina operabatur clementia, assistente crudelitatis suæ ministro Terrentio Comite, sanctum *Benignum* perquiri iussit, ac vinctum & cæsum conspectibus suis præsentari. Quem in catasta extensum, & neruis diutissimè cæsum, ita vt corporis interiora paterent, rursum in carcerem coniecit, vbi ministri & carnifices pedes eius in lapide cum plumbo *remisso confixerunt, & in digitos manuum subulas decem acutissimas & igne candentes infixerunt; ac per sex dies canes duodecim ferocissimos cum eo incluserunt. Angelus autem Domini aduenies, de-

f. demisso

dit panem cœleſtem, ſubulas abſtulit, & eum de plumbo eripuit. Ad vltimum collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lanceâ perforari iubet. Quo facto columba niuea de carcere Chriſtianis aſpicientibus ad cœlos aſcendit, & odor ſuauiſſimus quaſi paradiſi ſecutus eſt.

Veniens autem beata *Leonilla*, conditum aromatibus corpus eius non longè ab ipſo carcere ſepeliuit in magno Sarcophago: in quo loco Chriſtiani cryptam conſtruxerunt, Sed ob Gentilium timorem non ei exhibebatur honor tanto Martyri cõdignus, perſecutionis immanitate, quæ à principibus reipublicæ Chriſtianis inferebatur, fideles in Chriſtum credentes deterrente. Multis igitur tranſactis annorum curriculis, ex tunc ſi quidem ab ipſius Imperatoris tempore vſque ad finem *Diocletiani*, & Imperium *Conſtantini*, computantur anni octoginta vnus; & à Conſtantino vſque ad *Zenonem* Imperatorem, & Regnum *Clodouei* Regis anni ferè centum octoginta; qui ſunt in ſumma ducenti ſexaginta vnus. In quo annorum decurſu, illius ævi Chriſtianis ex hac luce ſubtractis, locus ſepulchri ſancti Martyris ita fuit neglectus atq; obliuioni datus, vt non iam corpus Martyris, ſed potiùs alicuius præpotentis crederetur in eo quieſcere gentilis. Solummodò ruſticorum docta ſimplicitas, ſagax inquirere notitiam veterum per relationem antiquorum hominũ, ipſi ruſtici vota inibi diſſoluebant, & quæ petebant, velociter impetrabant. Hæc ignorantia quotidie creſcendo per multa annorum curricula durauit, vſque ad tempora ſancti Gregorij Epiſcopi, qui ſextus decimus in catalogo Pontificum Lingonenſium continetur. Qui Pontifex (ſicuti cæteri hominum) credens ibi aliquem poſitum fuiſſe gentilem, virtutes ibidem nullomodo credebat, ſed magis ne ibi adorarent deteſtabatur. Tandem Dei Martyr Beato ſe confeſſori reuelat, & dicit: Quid, inquit, agis? Non ſolùm eſt quòd me tu deſpicis, verùm honorãtes me ſpernis? Ne facias, quæſo, ſed tegmen ſuper me velociùs præpara. De qua ille viſione concuſſus, beatum ſepulchrum adiit, ibique cum fletu veniam deprecatur: & cætera quæ ſequuntur in dictis vel factis beati Gregorij Turonenſis Epiſcopi. Quoniam ille pleniter tranſlationem corporis eius, & aliorum in hoc loco quieſcentium,

Gregorius Lingonenſis Epiſcopus Sepulchrum S. Benigni reperit.

descripsit ; nobis non est necesse repetere. Quapropter his sepositis quæ deinceps gesta sunt, intimamus.

Inferiùs nominantur sancti & sanctæ in sacro hoc loco quiescentes , & loca in quibus iacuerunt.

485. Inuentio ac translatio corporis S. Benigni.

IGituranno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo octuagesimo quinto, indictione octaua, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Symmacho* Papa, *Zenone* verò *Cæsare* imperante in republica, *Clodoueo* quoque primo regnante in Francia, & *Gundebaudo* in Burgundia, inuentum est atque translatum octauo Kalendas Decembris, corpus Almifici Martyris *Benigni* à beato *Gregorio* Lingonicæ vrbis Episcopo, diuinâ reuelante prouidentiâ, vt refert Gregorius in libro miraculorum, qui fuit Antistes Turonorum. Quod cùm dignè fuisset transpositum cum adiutorio supernæ virtutis, ne deinceps Testis Christi debitis priuaretur officiis, idem venerabilis Præsul ædificato ei templo, ex diuersis partibus ibidem adunauit multos Deo seruire paratos.

Lib. 1. c. 51.

Insignes in Gallia sanctitate viri.

Fulgebant tunc per Galliam plurimi sanctitate vitæ conspicuis inter quos erant sanctus *Ioannes* Abbas Monasterij quod Reomaus dicitur ; necnon *Eustadius*, ac sanctus *Sequanus* huius prouinciæ alumni : è quibus Eustadium huic loco præfuisse per aliquot annos, & subiectos sibi religiosè educando vixisse, certum tenemus. Vnde & moriens condignam meruit sepulturam iuxta corpus sæpe dicendi sancti Benigni martyris. Cui successit *Tranquilus* : qui quantæ sanctitatis fuerit, crebræ sanitates infirmis ex eius tumulo præstitæ testantur, vt refert Gregorius Turonensis, in seipso expertus. Sepultus verò est ad dexterã partem sepulchri sancti Martyris Benigni, iuxta sanctam *Paschasiam*, iuxtáque eum posita fuit sancta *Florida*. Ex altera verò parte, iuxta sanctum *Eustadium*, sepulchrum fuit sancti *Hilarij* Senatoris, coniugísque eius sanctæ *Quittæ*. Hi fuerunt progenitores supra memorati Ioannis. Et quia præfatus Gregorius Turonorum in libro de illustribus viris, huius Hilarij quis & qualis fuerit pleniter meminit, hæc tantùm dixisse sufficiat.

De glor. Confess. c. 44.

Ibid. c. 42.

Quia igitur de sepultura Sanctorum pauca prælibauimus, dicendum

dicendum nobis eſt propter aliquorum præſumptuoſam calumniam, quomodò antiquitus cimiterium habitatorum huius oppidi conſtiterit.

Cimeterium Diuionenſe.

Eccleſia fuit conſtructa ab ipſis primordiis inceptæ Chriſtianitatis; quam Eccleſiam ferunt à ſancto Benigno ſacratam in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ Ioannis. Quod & aliosqui ex diſcipulatu eiuſdem Apoſtoli fuerunt, in cæteris vrbibus quibus prædicauerunt cognoſcimus feciſſe. Quæ Eccleſia ad hoc eſt Deo dicata, quatenus ibidem per ſacri baptiſmatis regenerationem plebes credentium tranſirent in filiorum Dei adoptionem, & quorum animas afferret Deo, eorum corpora ſuo reciperet gremio. Quapropter in tantum ſublimata fuit, vt ſanctimonialium ibi ſiſteretur congregatio, & plurimi ciuitatis Lingonicæ præſules hîc ſua corpora iuſſerint tumulari, videlicet ob deuotionem ſancti Martyris Benigni, vt quem ſequebantur ordine ſacerdotij, eadem quâ ille humo cuperent ſepeliri. Vnde & ſanctus *Vrbanus*, vnus ex eorum primus Pontificibus, ibi iacuiſſe noſcitur. Sanctus quoque *Gregorius* Epiſcopus, cui ſanctus Benignus dignatus eſt ſe primùm manifeſtare, maiorum ſuorum ſequens exemplum in hac Eccleſia ſe petiit tumulari; & iuxta eum dextrâ leuâque iacent Pontifices bini. Sanctus verò Tetricus ſucceſſor eius, ad dexteram partem ipſius Baſilicæ eſt poſitus.

Inibi ſanctimonialium congregatio.

Plures epiſcopi Lingonenſes illo in cimeterio ſepulti.

Claruit ergo per multos annos ille locus, ita vt eſſet nobilis Abbatia, nullius ſubiacens dominatui, niſi ſolummodò Lingonum Pontifici. Sepultura itaque omnium in Diuion caſtro intra extráque commorantium fuit antiquitùs, ab alueo torrentis, qui per medium influit burgum, vſque ad locum quo nunc eſt monaſterium: quod teſtatur multitudo vaſorum per illam planiciem longè latéque creberrimè poſitorum. In huius ſepulturæ vltimis finibus ad occidentem versùs corpus ſancti *Benigni* poſt martyrium poſitum fuit à Beata *Leonilla*, ædificata ſuper eũ humili opere crypta, prout permiſit temporis anguſtia. Iuxtáque illam cryptam iacuit ſancta *Paſchaſia*, & ipſa per ignem martyrio conſummata.

S. Gregor. Epiſ. Lingo. Monaſteriũ ædificat.

Sanctus igitur *Gregorius* poſtquàm ſibi diuinitus reuelatum tranſtulit ſancti martyris corpus, condignámque illi eleganti

opere iuſſit ædificari Baſilicam. Omnem hanc terram, de quâ locuti ſumus, dedit ſancto Benigno, conſtituítque, vt hoc ſolùm eſſet generale cimiterium, pertinens ad ius iſtius Monaſterij deinceps & in futurum. Quam conſtitutionem confirmauit Apoſtolica authoritate *Hormiſda*; deinde *Ioannes* qui poſt ſanctum *Gregorium* nonus decimus præfuit Romanæ Eccleſiæ, ſcripto roborauit. *Sergius* quoque poſt hunc tertius, qui præſumpſiſſet hanc tranſgredi ſub anathematis vinculo interdixit. Cuius exemplar Epiſtolæ huic libro non pigebit ſuo loco inſerere. Sed & alij Pontifices ſucceſſores eorum, necnon & Lingonici Præſules huius inſtitutionis tranſgreſſores, & omnes qui aliquam vim vel calumniam intulerint infra præſcriptam terram, vel clauſtrum quod coniacet in circuitu huius loci, vel familiam Sancti & ſeruos afflixerint, excommunicationis vinculo adſtrinxerunt: inter quos præcipuè *Iſaac* & *Geilo* Epiſcopi, terribili imprecatione percuſſerunt omnes malefactores iſtius loci, & Deum, & omnes ſanctos eius, ſanctúmque Benignum, in cuius rebus malè agunt, habeant infenſos & contrarios, niſi reſipuerint, & ad emendationem venerint.

Nunc veniendum eſt nobis ad narrationem rei ob quam maximè cœptus eſt Liber iſte.

Illud ditat.

Poſtquàm, ſicut diximus, ſanctus *Gregorius*, ædificato templo ad honorem Dei & ſancti Martyris eius Benigni, congregationem hîc adunauit Monachorum, vt eis non deeſſent temporalia ſubſidia, ſtuduit ditare hunc locum, terrarum, poſſeſſionumque largâ munificentia. Dedit ergo de rebus propriis, & de rebus Epiſcopi plurima: inter quæ dedit poteſtatem, quę dicitur Saciacus, cum Eccleſia & omnibus appenditiis, ſcilicet villas numero tredecim; quæ ſunt Corlenis, Iſiadus, Rumiliacus, Fraſcinus, Gamberia, Linerolus, Brucialis, Bruciacus, Cernadus Vallis, Bonacurtis, Iuuenadus, Longus-Campus; iſtas villas cum omnibus adiacentiis, ſeu & omni re ſuperpoſita, campis, pratis, ſyluis, pomiferis, paſcuis, acceſſis, aquis aquarumq; decurſibus, & omnes redditus, totum ad integrum, vnà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio eorum, vnà cum accolabus dedit ad ſeruitium Monachorum iure perpetuo ad poſſidendum.*

* Hîc pauca de Hilario Comite, quæ in autographo legi nequunt, deſiderantur.

Digitized by Google

Igitur quoniam in principio huius libri fecimus mentionem Regum, qui illo tempore regnabant in Francia, & Burgundia, proſequenda nobis eorum Chronica, vſque ad Guntrannum Regem, qui hunc locum valde extulit, & deinceps ad Carolum Imperatorem, Ludouici Cæſaris filium, qui penè collapſum reparauit hoc monaſterium. Siquidem ad cognoſcendas Abbatum ſucceſſiones, qui per diuerſa hîc præfuerunt tempora; & quæ ſub vniuſcuiuſque illorum regimine huic loco collocata ſunt fidelium largitione; Epiſcopos quoque Lingonicæ Eccleſiæ qui circa hunc locum munificos ſe exhibuerunt, nominatim ſingulos curabimus oſtendere; & quid ab vnoquoque illorum collatum ſit in augmentatione huius domus Dei, ſigillatim demonſtrare.

Igitur *Childerico* Rege Francorum defuncto, *Clodoueus* filius eius ſuccedit in regnum, vir bellicoſus, & in armis ſtrenuus. Anno quinto regni eius *Siagrius*, filius *Egidij*, patritius Romanorum, qui in Galliis habitabat, in Sueſſionis ciuitate, quam pater eius tenuerat, reſidebat. Super quem *Clodoueus* cum exercitu aduenit, atque deuicit. *Siagrius* fugiens ad *Alaricum* Regem Gothorum, Tholozæ aliquandiu habitauit. Clodoueus legatos ad Alaricum miſit, vt eum redderet, alioquin nouerit ſibi bellum illaturum. At ille metuens, Siagrium vinctum Legatis tradidit; quem Clodoueus cuſtodiæ mancipauit, regnúmque eius acceptum, & omnia quæ illius fuerant, ſuæ poteſtati ſubegit, eúmque gladio trucidari præcipit: atque ex illo die à dominatione imperij ſublata eſt Gallia. Anno decimo regni ſui Clodoueus commoto exercitu ſibi Toringiam prouinciam ſubiugauit: inde *Gundebaudi* Regis Burgundionum neptem, videlicet fratris ſui Chilperici filiam (quem gladio interfecerat) nomine *Crotildem*, pulchram ſatis puellam, & verè Chriſtianiſſimam, interueniente Aureliano Conſiliario ac Legatorio ſuo, in coniugem ſumpſit: nuptiæ Cauilonno præparantur. Venientes cum celeritate Franci Crotichildem à Gundebaudo acceptam leuantes in baſterna cum multis theſauris ad Clodoueum dirigunt. Poſteà penitens Gaudebaudus recordatus quòd Patrem Crotildæ, matrémque ac fratres interfeciſſet, dirigit protinus poſt eam exercitum, qui conſequentes theſauros &

Clodoueus ab imperio Romano Galliam eximit.

Clodildem ducit vxorem.

Digitized by Google

baſternã, cuncta retentant, Chrotildis verò leuata in equum à Francis ad Clodoueum euaſit. Quam regali honore aſſumens, in matrimonium perfecto amore dilexit. Habebat iam tunc *Clodoueus* filium de concubina, nomine *Theodoricum*. Intereà *Godegiſilus* Gundebaudi Regis frater, contra eundem germanum ſuum machinans dolum, per legatos petit auxilium à Clodoueo, cùm eum comperiſſet fortiſſimum in præliis, promittens ſi poſſet eiicere Gaudebaudum à regno per eius adiutorium, tributum ſe illi ſoluere paratum. Gaudebaudus verò ignorans dolum, ab eodem fratre inſtigatus præparat exercitum copioſum ad pugnam. Clodoueus cum Francis aduerſus duos Reges venit, ingenti multitudine vallatus: initum eſt bellum ſuper Oſcaram fluuium, ſecus caſtrum, quod Diuion dicitur: *Godegiſillus Clodoueo* coniungitur, vterque exercitus Gundebaudi populum atterit. At ille ſentiens dolum fratris, terga vertit, Rodani ripam percurrens Auinionem vrbem ingreditur. Et poſteà per Aridium conſiliarium ſuum pacem à Clodoueo expetijt. Clodoueus verò cum præda maxima, & Francorum exercitu, ad propria eſt reuerſus, relictis cum Godegiſillo quinque millia Francis. *Godegeſillus* obtentâ victoriâ promiſſâ Clodoueo ex parte implens, Viennam poſt Gaudebaudum dirigit. Exiens *Gaudebaudus* de Auinione reſumptis viribus, Gaudegiſillum Vienna circumdat per aquę ductum inciuitatem ingrediens. Gaudegiſillum interfecit, Francos aggregatos in vnam turrim ferro trucidauit, nihil poſteá Clodoueo reddere diſponens. Poſteà Clodoueus mittens legatum, nomine * *Paterium*, virum induſtrium, ad *Alaricum* Regem Gothorum, de amicitiæ inter eos conditione mandauit. *Alaricus* verò cum per Paternum vellet Clodoueum decipere, à Paterno exploratis quæ circa eum erant, & theſauris eius ingenio ſubarratis, illuſus eſt. Igitur Clodoueus aduerſus Alaricum arma commouit, & in campania Voglanenſe decimo ab vrbe Pictaua miliario Alaricum interficit, plurimâ manu Gothorum trucidatâ, regnum eius à mari tirrheno ligeréque fluuio, & monte Pyreneo vſque ad oceanum mare, à Clodoueo occupatum eſt. Et theſautos eius à Tholoſa auferens, ſecum Pariſius duxit. Per idem tempus ab *Anaſtaſio* Imperatore Codi-

Gondebaudum deuicit.

al.* Paternum.

Atque etiã Alaricum Gothorum Regem.

Init amicitiam cum Anaſtaſio Imperat.

Digitized by Google

cillos *Clodoueus* Rex pro conſulatu accepit; cum quibus codicillis etiam illi Anaſtaſius coronam auream miſit gemmis decoratam, & tunicam blatteam. Ex illo die Conſul & Auguſtus eſt appellatus. Poſt hæc mortuus eſt Clodoueus Rex in pace, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Petri Apoſtoli, quam ipſe & Regina ſua ædificauerunt Pariſius; quæ hodie ſanctæ Genouefæ templum nuncupatur. Mortuus eſt autem anno quinto, poſtquam cum Alarico Rege Gothorum pugnauit. Regnauit verò annis triginta: fiunt à tranſitu ſancti Martini vſque ad obitum Clodouei anni centum duodecim. Moritur.

Mortuo Clodoueo Rege quatuor filij eius, id eſt *Theodoricus*, *Clodomeris*, *Childebertus*, *Clotarius*, regnum eius æquo ordine inter ſe diuiſerunt. Sortitus eſt ſedem Theodoricus Mettis: Clodomeris Aurelianis: Childebertus Pariſius: & Clotarius Sueſſionas. Theodoricus habebat iam filium, nomine *Theodebertum*, vtilem, & ſtrenuum. *Amalricus* filius Alarici ſororem eorum in matrimonium accepit, Barcinona à Childeberto & Francis occiſus eſt. Dani euectu nauali Gallias appetunt, in regno Theodorici irruunt, à Theodeberto filio Theodorici ſuperantur, omnémque prædam & vitam amiſerunt. Filii regni diuidunt. 511.

Gundebaudi filius *Sigiſmundus* apud Geneuenſem vrbem, villa Quadrunio, iuſſu patris ſublimatur in regno, habens vxorem filiam Theodorici Regis Italiæ: vnde habebat filium nomine *Sigiricum*. Eadem mortuâ aliam duxit vxorem: filium ſuum, quem ex priore coniunge habebat, nouercæ inſidiis iuſſit interfici. Vnde poſteà pœnitentiam agens, Monaſterium ſanctorum Agaunenſium miri operis conſtruxit. Cúmque ibi in orationibus perſiſteret, ieiuniis & eleemoſinis intentus, reuelatum eſt ei ab Angelo, vt ad inſtar cœleſtis militiæ pſallendi choros inſtitueret. Quo diuinitus accepto conſilio, Epiſcopos, & alios Religioſos viros conſuluit, vtrum ſalubriter cogitaret. Quâ interrogatione ſancti Antiſtites inter ſe ventilatâ, licèt inuſitatum opus, tamen Domino annuente vnanimiter corroborauerunt. Quod ſanctum opus ſeruitutis Dei perfectè inſtitutum, & confirmatum, & pari conſenſu omnium. Atque ex tunc laudes Deo omnibus perſoluuntur: aliáque plurima mona- Agaunenſe Monaſterium conſtruit Sigiſmundus.

ſteria præfatus *Sigiſmundus* ædificauit.

Chrotildis aſſiduè filios ammonebat mortem patris matríſque vel fratrum vlciſci. Quam ob cauſam illi Burgundias appetunt *Sigiſmundum*, & Gaudemarem Gundebaudi fratrem in prælio vincunt. *Clodomeris* Sigiſmundum ad Monaſterium ſanctorum dum fugeret, captum, cum vxore & liberis* Aurelianis adducit: *Godemaris* terga vertens latuit. Poſteà reſumptis viribus regnum Burgundiæ tenet. *Clodomeris* iterum aduerſus Godomarem exercitum mouet. Sigiſmundum cum vxore & liberis interfecit. Clodomeri ab *Auito* Abbate prędictum eſt, quod fecerat Sigiſmundo ipſum itidem paſſurum. Cúmque Veſerantia Franci cum Burgundionibus bellum iniſſent, Clodomeris capite truncatus eſt, deceptus ab auxiliis Theodorici, qui filiam Sigiſmundi habebat vxorem. Franci verò in ipſo prælio reſũptis viribus, Burgundionibus ſuperatis, & ad internecionem perductis, patriam eorum deuaſtant. *Clotarius* vxorem Clodomeris, nomine Gundiocam vxorem, ducit. Filios verò eius tres his nominibus *Idoaldum*, *Guntarium*, *Clodoaldum*, *Crothechildis* alebat. *Clotarius* & *Childebertus* fugato Godemare Burgundias occupant. *Theodoricus* filio ſuo Theodeberto cuiuſdam Regis filiam deſponſauit, *Vuiſegardam* nomine. Theodoricus vigeſimo tertio regni ſui anno moritur. Regnum eius Theodebertus aſſumpſit, magnum ſe in omnibus & bonitate præcipuum oſtendit.

al. *Aurelias

Childebertus & Clotarius Hiſpanias depopulantur.

Poſt hæc *Childebertus* & *Clotarius*, vt diximus, Hiſpanias appetunt, eáſque parte maxima depopulati ſunt. *Almaricum* Regem Barcinona interficiunt, ſororémque ſuam auferunt. Cæſar auguſta ciuitas orationibus & ieiuniis liberatur. *Theodericus* Italiæ Rex ſororem Clodouei in matrimonium habuit, ex qua filiam vnam cum matre reliquit. Cùm mater ei Regis filium ſociandum prouideret, à ſeruo, nomine Traquilla, accipitur. Traquilla cum exercitu à matre puellæ capitur, & capite truncatur: acceptam filiam mater diſciplinam ei ingerens ſecum duxit. Filia matrem veneno interfecit. *Theodatus* regnum Theodorici adeptus, filiam, quæ in matre parricida extiterat, balneo vehementer ſuccenſo iuſſit* incendi, ibíque comburitur. Vnde causâ compoſitionis

al. *incjudi.

Digitized by Google

quinquaginta millia ſolidorum Childeberto, Clotario, & Theodeberto, tranſmiſſa ſunt. Quod Childebertus & Theodebertus inter ſe diuidentes, nihil ex inde Clotario dederunt. Theodato defuncto *Totilla* ſucceſſit in regnum, quem *Narſes* patricius interfecit, regnúmque Gothorum in Italia deſtructum eſt. Narſes à Romanis per inuidiam accuſatus apud *Iuſtinum* & coniugem eius *Sophiam*, quòd ſeruitio premeret Italiam; timens ſeceſſit Neapoli Campaniæ, & ſcripſit genti Longobardorum, vt venirent & poſſiderent Italiam. *Theodebertus* Rex cum exercitu Italiam ingreſſus, eam maritimis terminis depopulatus eſt, Narſete patricio in fugam verſo. Poſteà *Bucellinus* Dux iuſſu Theodeberti Siciliam occupauit, totámque Italiam dominatus eſt. Magna fœlicitas in his omnibus fuit.

Clotarius de Ingunde *Guntarium*, *Childericum*, *Aribertum*, *Guntranum*, *Sigibertum*, & *Clodeſindam* filiam habuit: de *Arigunde* ſorore Ingundis, *Chilpericum*, & de *Vnxina* habuit *Chrannum*. *Bucelinus* in Italia apud *Beliſarium* & *Narſetem* Patricios ſæpiùs fortiter dimicans, eos in fugam vertit, eorúmque exercitum proterit. Tandem infirmatus à profluuio ventris, exercitúſque ſuus eà infirmitate attritus, Belſario iam interfecto, à Narſete ſuperatur, & interficitur. *Theodobaldus* filius Theodoberti *Vualderatam* duxit vxorem. Fuit valde iniquus ſuis. Secundo anno regni ſui Theodebaldus obiit, regnúmque eius Clotarius accepit, copulans Vualderatam ſibi vxorem. Eo anno rebellantes Saxones Clotarius commoto exercitu maximam eorum partem * detinuit; Toringiam vaſtãs quòd eis auxiliari præſumpſiſſent. Nec multò pòſt tempore denuò Saxones rebellantes Clotarius mouit exercitum aduerſus eos. Saxones offerentes cuncta emendare quæ malè geſſerant, & dimidiam partem ex omnibus rebus ſuis, exceptis vxoribus & liberis, in compoſitione promittunt dare. Quod Franci accipere deſpicientes, ſed omnes volentes interficere, inito certamine, tanta ſtrages à Saxonibus de Francis facta eſt, vt mirũ fuiſſet. *Childebertus* Rex apud Pariſios obiit, & in Baſilica S. Vincentij, quam ipſe conſtruxerat ſepultus eſt. Cuius theſauros & regnum *Clotharius* accepit. Clotharius pro ſuis peccatis quæ geſſerat, aut ne-

al. *deleuit.

Obiit Childebertus.

Digitized by Google

gligenter egerat, ad limina beati Martini Confessoris properat; exinde Compendio villa veniens, anno quinquagesimo vno regni sui vexatus à febre obiit. *Chilpericus* occupatis thesauris Clotarij patris sui in villa Brennaco, sedem Childeberti Parisius occupauit. Sed mox exinde repellitur. Aribertus, Guntramnus, Chilpericus, & Sigibertus regnum patris diuidunt. Dedit sors Ariberto regnum Childeberti, Parisius sedem habens. *Guntrannus* verò regnum Clodomeris, sedem habens Aureliis. Chilpericus regnum Clotarij, cathedram habens Sueſſionis. Sigibertus quoque regnum Theodorici, sedem habens Mettis. Eodem tempore * Chuni Gallias appetunt, contra quos Sigibertus mouet exercitum, eósque vicit atque fugauit; posteà cum eis pacem iniuit.

561.

* Hunni

Gvntrannvs in Burgundia regnans, fuit Rex bonus, timens Deum, eleemosynam pauperibus largiter tribuens, tantâ prosperitate regnum tenuit, vt omnes etiam vicinæ gentes ad plenitudinem laudes de ipso canerẽt. Accepit primùm concubinam, nomine *Venerandam*, de qua habuit filium nomine *Gundebaudum*. Pòst accepit *Marchitrudem*, filiam Magnacharij: quæ postquam de Gunthranno habuit filium, veneno Gundebaudum, prioris coniugis filium, interfecit. Ipsa iudicio Dei filium quem habebat perdidit, & odium Regis per saginam incurrit. Eâ dimissâ *Austrichildem*, cognomento Bochilane, Gunthrannus vxorem accepit. De qua duos filios habuit, his nominibus, *Clotariũ*, & *Clodomerem*. Guntrannus instituit Celsum patriciũ in locum Auricolanis, virum in verbis paratum, & ad omnia promptissimum. Gens Longobardorum comitante fame & mortalitate omnem inuasit Italiam, ipsámque Romanam vastatrix obsidet vrbem. Quibus tempore illo Rex erat *Albuimus*. Hic Clotarij Regis filiam, nomine Clodosindam habuit vxorem. Mortuo Albuino Longobardi Regem, nomine *Clip*, super se elegerunt. *Haribertus* Rex, frater Gunthranni, accepit vxorem, nomine *Ingobergam*. Quâ relictâ *Merofledam*, Lanarij filiam accepit; & aliam pastoris ouium filiam, Theudichildam, duxit vxorem: ex qua habuit filium, sed protinus moritur.

Porrò *Sigibertus* cùm videret fratres suos viles vxores accipere, *Drogonem* Maiorem domus causâ legationis ad *Anagildum*

gildum Regem direxit, petens vt ei filiam ſuam, *Brunam* nomine, coniugio traderet. Quam Anagildus cum multis theſauris *Sigiberto* ad matrimonium tranſmiſit. Ad nomen eius ornãdum, eſt auctum, vt vocaretur *Brunichildis*. Quam cum multa lætitia & iocunditate Sigibertus accepit vxorem. Quę ipſum Drogonem continuò apud Sigibertum fecit odioſum. Ac pòſt eadem inſtigante interfecit. Tantã mala, & effuſiones ſanguinum, Brunichildis conſilio in Francia factæ ſunt, vt Prophetia Sybillæ impleretur, dicentis: *Venit Bruna de partibus Hiſpaniæ, ante cuius conſpectum gentes peribunt. Hæc verò equitum calcibus diſtrumpetur. Chilpericus Gachiliſindam*, ſororem eius, habuit vxorem; relinquens *Fredegundem*, & alias quas habuerat vxores. Poſteà tranſcendens ſacramentum quod Gothorum Legatis dederat, ne vnquam eam de culmine regni degradaret, ipſam ſugillare fecit. Poſt cuius mortem, Fredegundem denuò accepit vxorem. Habebat Chilpericus de priore Regina Andouera tres-filios, *Theodebertum, Meroueum, & Clodoueum*. Sigibertus præcepit Aruernis ciuibus Arelatem occupare. Iubente Guntranno à Celſo Patricio Aruerni trucidati ſunt. *Anatagildo* Rege Hiſpaniæ defuncto, *Lenna* cum * *Leuildo* fratre regnum adſumunt: moritur Lenna. Leuidus integrum Hiſpaniæ regnum tenet, habens Gadundam matrem Brunichidæ vxorem. * al. Leuido

Eodem tempore defuncto Conſtantinopoli *Iuſtiniano* Imperatore, *Iuſtinus* ambiuit imperium, vir iniquus & cupidus: ad quem *Sigibertus* Legatos *Vuarnacharium*, *Francum*, & *Firminum* Comitem direxit, qui pacem cum Imperatore facerent. Qui ſecundo anno ſunt reuerſi. Defuncto *Areberto* Sigibertus regnum eius obtinuit. Prorumpentibus Longobardis in Galliis Amatus Patricius ab ipſis interficitur. De Burgundionibus multæ ibidem ſtrages factæ ſunt. Poſt Amatum *Mommolus* Patriciatum aſſumpſit. Irruentibus iterum Longobardis in Gallias, Mommolus contra eos fortiter dimicauit, & vſque ad internetionem oppreſſit. Pauci ex eiſdem Italiam repedantur. Saxones, quos Theodebertus in Italiam miſerat, in Gallias prorumpunt, apud Stuplonem caſtra ponentes. Multæ ſtrages per vicina loca ab ipſis perpe- 566.

trantur; qui à Mummolo ſuperantur, & in Italiam fugaciter reuertuntur, amiſſis omnibus quæ prædauerant. Iterum Saxones cum vxoribus & liberis in Gallias properant, vt à Sigiberto Rege recepti in locum vnde exierant redirent. Venientes in territorio Aueinico Mummolus protinus obuiam veniens, eis Rhodanum tranſire non permittebat. Poſteà acceptis muneribus tranſire eos permiſit. Ad Sigibertum pergentes,* vnde priùs egreſſi fuerant, ſunt ſtabiliti. Poſteà defuncto *Clip*, Longobardorum Duces *Chamo*, *Zabau*, & *Rhodanus* Gallias irruperunt. Quibus obuiam Mummolus cum exercitu venit, & hos tres Duces cum exercitu eorum vſque ad internetionem deleuit. In alio anno Mummolus cum exercitu Turonos cum Pictauis, iubente *Guntranno*, de poteſtate *Chilperici* abſtulit, & ad partem Sigiberti reſtituit. Multi ibidem de exercitu Chilperici & ipſi Pictauenſes ſunt gladio trucidati. *Ualoardus* & *Vncio* Duces Longobardorum per Hoſcola in Sedunenſi territorio cum exercitu ſunt ingreſſi, ad monaſterium ſanctorum Agaunenſium vſq; acceſſerunt. Nimia ſtrage Baccis-villa, non procul ab ipſo monaſterio, Duces eorum exercitus à *Violico* & *Theodorico* Ducibus Guntranni ſunt interfecti. Quadraginta tantùm ex illis fugaciter Italiam remearunt.

al. * in loco vbi priùs.

Poſteà *Chilpericus* & *Sigibertus* ineuntes conſilium, ambo mouerunt exercitum, volentes *Guntrannum* interficere, regnúmque eius aſſumere. Sed voluntate Dei mutato conſilio, Sigibertus ſuper Chilpericum irruit, iam eius exercitus ad propria feſtinans longè aberat, cùm hæc cognouiſſet Chilpericus, terga vertens Tornacum peruenit. Sigibertus poſt tergum eius venit Pariſius, ibíque ſanctum ac beatiſſimum Germanum Pariſiorum vrbis Epiſcopum Sigibertus cùm vidiſſet, hæc ab eodem verba Prophetiæ audiuit: *Si germanum tuum ita perſequi cogitas, vt eum interficere diſponas, & regnum eius aufferre; Scriptum eſt, Foueam quam fratri tuo paras, in eandem cades.* Cuius caſtigationem nolens audire, cogitabat cæptaperficere. Cúmque Victuriaco acceſſiſſet, omnes * Nephraſij ſe ſui ditioni ſubiecerunt. *Anſoaldus* * tantùm cum Chilperico remanſit. *Fredegundis* duobus pueris dolo tranſmiſſis, Sigibertum interficiunt, & ipſi interfecti ſunt.

al * Rhetraſij.
al. * tamen.

Digitized by Google

Reſumptis viribus *Chilpericus* ſuum regnum recepit. *Brunichildis* cum filio ſuo *Childeberto* Pariſius ſub cuſtodia tenebatur. Sed factione *Gundoaldi* Ducis, Childebertus in pera poſitus, per feneſtram demiſſus à puero, Metis ſolus exhibitus eſt, ibíque à Gundoaldo vel Auſtraſiis in regno patris ſublimatur. *Brunichildis* iuſſu Chilperici in exilium Rotomago truditur. Sigibertus in Eccleſia ſancti Medardi ſepultus eſt ætate quadragenaria, anno regni ſui decimo quarto.

Eo tempore ſanctus *Germanus* Pariſiorum Epiſcopus tranſiit. Obiit S. Germanus. *Mummolus* Patricius Guntranni, contra Clodoueum & Deſiderium Ducem Chilperici bellum geſſit, eóſque ſuperauit. Chilpericus enim filium ſuum Clodoueum tranſmiſerat, qui & vltra Ligerim ciuitates Childeberti peruaderet. Cæſa ſunt à Mummolo exercitûs *quinquaginta millia, à Deſiderio verò vinginti millia. Chilpericus tres filios iam adultos ab infirmitate diſſentirij vno anno perdidit, quos de Fredegunde habebat. Reſtiterat adhuc Clodoueus filius eius, quem poſteà inſtigante Fredegunde vinctum cuſtodia retruſit; ibíque factione Fredegundis cultro percuſſus obiit. Chilpericus denuò vt filius ſibi naſceretur, iubet omnes carceratos relaxare.

al. * quinque

Gvntrannvs Rex duos *Magnacharij* filios gladio interemit. Inſtigante *Auſtrichilde* Reginâ facultates eorum fiſco redigit. Filij Guntranni duo continuò moriuntur. Guntrannus Childebertum adoptauit in filium. Anno quoque tertio Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntranni ſextus decimus, ſtella in medio lunæ viſa eſt fulgens. *Childebertus* Rex *Ingundem* ſororem ſuam *Erminigildo* Leouigildi Regis Vviſigotorum tradidit filio, qui hortatione *Leandri* Hiſpalenſis Epiſcopi, & ſuæ coniugis, ad fidem Catholicam conuerſus eſt. Anno quinto Childeberti Regis tantæ lues per vniuerſas regiones factæ ſunt, vt omnibus mirum fuiſſet, & vniuerſa flumina terminos quos nunquam *exciderant preterierunt. *Childebertus* Rex Italiam intrauit, & Longobardi ſe eius ditioni commendant. Gloriosè exinde Childebertus reuertitur. Acceperat priùs à Mauricio Imperatore quinquaginta millia ſolidorum auri, vt Longobardos de Italia expugnaret. Sed non ſolùm eis non nocuit, verùm amicitias cum ipſis iniuit.

al. *exceſſiſſent.

Digitized by Google

587. Multa donat Ecclesiis Guntran Rex.

GVNTRANNVS Rex Francorum cùm iam anno vigesimo tertio regnum Burgundiæ fœliciter regeret, videns sibi liberos non supereſſe, cœpit thesauros suos in eleemosynis pauperum distribuere, Monasteria & loca sancta ex ipsis thesauris ditare. Inter quæ Ecclesiam huius patroni nostri, sancti scilicet Martyris *Benigni*, donis optimis extulit. Ipse denique Domnus Guntrannus præexcellentissimus Rex dedit sancto Benigno vicum, qui est in prospectu Monasterij, tunc magnæ amplitudinis, vocatum Elariacum, cum omnibus appenditiis suis, super Oscaram fluuium situm. Et omnia quæ nunc vsque ad possessionem pertinent huius loci, à ponte Diuionis vsque Floriacum villam, contulit memoratus Princeps sancto Martyri Benigno: in * Biciso scilicet, in villa * Colanias dicta. In Plomberias, in * Seliniaco, in Sconsio, in Villari, in Campiniaco, in Lanterinaco, in Girone, in Corcellas, in Flauiniaco, in Prunido, in Iussiaco, in Matriniaco, in Barbiriaco, his & aliis locis mansa, vestita & * absa, cum mancipiis plurimis vtriusque sexus, terris cultis & incultis, vineis, syluis, pratis, & pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, ingreditus, exiis & egressis, omnibus rebus exquisitis & inquirendis, totum ad integrum contulit memoriâ dignus Rex Guntrannus Deo & sancto Benigno, ad victum Monachorum Deo in hoc loco deseruientium, vt pro se ac sequentium Regum salute, & peccatorum remissione, regníque totius statu diuinam exorent clementiam Monachi in isto loco degentes. Insuper etiam instituit, vt ad similitudinem Monasterij sanctorum Agaunensium diu noctúque diuinum in hac Ecclesia persolueretur officium. Vt hæc institutio per succedentia tempora non tepesceret, vel monasticus ordo deperiret, constituit, vt Abbates illius loci, Rectores & Prouisores in hac domo essent, vt vna congregatio, vnúsque vtrobique seruaretur ordo. Similiter instituit de loco sancti Marcelli, vbi ipse Rex corpore quieſcit, quem thesauris & pecuniis, possessionibus etiam multis ditauit, operibus miris & ædificiis decorauit.

al * Bisico
al. * Colonicas
al. * Siliniaco
al. * hapsa

Appollinarem igitur, inter reliquos comperimus sancti Mauricij, atque huius loci, sanctíque Apri apud Tullum, fuisse Abbatem, vt ipsi referunt in antiquis se inuenisse scri-

Digitized by Google

ptis. Sed & ſucceſſores eius deinceps per multa tempora huius loci habuiſſe curam. Quapropter hic Patronus noſter ſanctus Benignus illis in partibus plurima conquiſiuit terrarum prædia per illud tempus, vt in eundo & redeundo Abbates, eorúmque fideles, ad hoſpitandum haberent ſuæ poſſeſſionis loca. Siquidem iuxta vicum, qui nuncupatur Vrba, eſt Eccleſia ſancti Benigni nomine ſacrata, quam ferunt eiuſdem loci incolæ pertinuiſſe quondam ad ius iſtius Eccleſiæ in Burgo, quam vocãt Pontem-Artie, ſuper Dubiam fluuium ſitum, medietas ipſius vici cum Eccleſia dedicata in honore ſancti Benigni, & villa iuxta ipſum Burgum ſita, quæ dicitur Ad Stabulos, olim fuerint poſſeſſio iſtius Abbatiæ. Quæ in præſtariam data, poſſidentium violentiâ, ac Principum iniuſtitiâ, ac temporum variis euentibus ſunt amiſſa. Super Lupam rapaciſſimum fluuium, loco nuncupato Petregio, per quod' Romam petentium quondam fuit iter, & eſt iuxta Burgum Salinas vocatum, homines liberi ibidem commanentes, ſe & ſua commiſerunt patricinio huius ſancti Benigni, annísque ſingulis perſoluebant ad eius altare cenſum à ſemet conſtitutum.

De S. Benigni cœnobio.

Denique cùm per illud tempus ſanctus Martyr Benignus crebris virtutum ſignis clareſceret, & miraculorum inſignia, ſanitatúmque dona omnibus ad eius tumulum venientibus oſtenderentur, & largiſſima Domini bonitas in talibus veneratur, colitur, adoratur, magnificatur, Reges & Principes ob ſancti Martyris meritum cœperunt locum diligere, muneribus & bonis extollere: nobiles quique poſſeſſiones & prædia condonare: deuotus populus plurima conferre; multi etiam eius patrocinio ſe ipſos committere. Tunc honorati quidam homines ex territorio Veſuntienſi, de villa Cuſſiacus vocatâ, aduenientes ad eius Sancti limina, eius patrocinio ſe commendauerunt mente deuota. Permanſerúntque annis multis in huius ſancti Benigni & ei ſeruientium Monachorum famulatione, donec *Alberico* Comiti nuper data in præſtariam eadem villa ab eo iniuſtè collata eſt ſancto Stephano prædictæ vrbis Patrono, pro ſepulturæ ſuæ loco. Tamen vſque hodie poſſeſſionis illius homines ſancti Benigni ſeruos ſe profitentur eſſe.

Multa cõferuntur S. Benigni Monaſter.

Digitized by Google

Igitur Legati Chilperici *Anſoaldus & Domegileſus*, qui ad conſpiciendam dotem in Hiſpania miſſi fuerant, ſunt reuerſi. His diebus Leobildus Rex contra *Erminigildum* filium ſuum in exercitu reſidebat: quem paruo tranſacto tempore interfecit. Eius verò vxor volens reuerti Franciam, vnà cum filio capta, atque Siciliam perducta eſt: ibi vſque ad mortem exulauit. *Chilpericus* * Fredegundam filiam ſuam cum magnis theſauris & multa familia in eius obſequium Hiſpaniam direxit. Quam filius *Leopildi* vxorem accepit. Nec pòſt mora exſtante Chilpericus veniens ad villam Calenſem, quæ diſtat ab vrbe Pariſius quaſi centum ſtadiis, illic venationem exercebat. Quadam verò die regreſſus de venatione iam obſcura nocte, dum de equo ſuſciperetur, & vnam manum ſuper ſcapulam pueri teneret, adueniens quidam nomine *Falco*, qui miſſus à Brunichilde fuerat, cum cultro ſub aſcellam percuſſit, iteratóque ictu ventrem eius perforat; ſtatímque fluente copia ſanguinis tam per os quàm per aditum vulneris, ſpiritum fudit.

al. * & Fredegundis.

Chilperici mors.

589. Cúmque *Guntranno* perlatum fuiſſet, eò quòd frater ſuus *Chilpericus* eſſet interfectus, perexit Pariſius, ibíque Fredegundam cum filio Chilperici Clotario ad ſe venire præcepit. Quem Riolo-villa baptizare iubet, & eum de ſancto lauacro excipiens in regnum patris firmauit. Anno vigeſimo quinto regni ſui exercitus Guntranni Hiſpaniam ingreditur. Sed loci infirmitate grauatus protinus ad propria reuertitur. Anno vigeſimo ſexto eiuſdem regni *Leudiſcus* à Guntranno Patricius partibus Prouinciæ ordinatur. Childeberti Regis filius *Theodebertus* natus fuiſſe nunciatur. Eo anno nimia inundatio fluminum in Burgundia fuit, ita vt ſolitum terminum nimium tranſcenderent. Ipſóque anno *Leupildus* Rex Hiſpaniæ moritur. Et obtinuit regnum *Richaredus* filius eius. Anno vigeſimo ſeptimo regni Domni Guntranni alius filius Childeberti, nomine *Theodoricus*, natus nuntiatur.

Longobardorum gens quemadmodum tributa duodecim millia ſolidorum ditioni Francorum annis ſingulis ſoluebant, referam: vel quo ordine duas ciuitates Auguſta & Suiſio cum territorio ad partem Francorum * caſſauerant, dicam. Defuncto *Clip* Principe Duces Longobardorum duodecim an-

al. * ceſſerát

nos ſine Regibus tranſegerunt: ipſóque tempore (ſicut ſupra ſcriptum legitur) per loca in regnum Francorum proruperunt. Pro hac præſumptione in compoſitione Auguſtam, & Suiſium ciuitates, cum integro illorum territorio & populo partibus Guntranni tradiderunt. Poſt hæc legationem ad Mauricium Imperatorem dirigunt. Hi duodecim Duces ſinguli Legatos dirigunt, pacem & patrocinium imperij petentes. Iidémque & alios Legatores duodecim ad *Guntrannum* & *Childebertum* deſtinant, vt patrocinium Francorum & defenſionem habentes, duodecim millia ſolidos annis ſingulis his duobus Regibus in tributa implerent, vallem, cui nomen Ametegis, partibus Guntranni * caſſantes. His Legatis vbi plus congruebat patrocinium ſibi firmarent. Poſt hæc integrâ deuotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora pòſt permiſſu Guntranni & Childeberti & Clotarij Ducem ſuper ſe Longobardi ſublimant in regnum. Alius *Antharius* itémque Dux cum integro ſuo Ducatu ſe ditioni imperij tradidit, ibique permanſit. *Antharius* verò Rex tributa, quæ ad partem Francorum ſpoponderat, annis ſingulis reddidit. Poſt eius * deceſſum filius eius *Ago* in regnum ſublimatus ſimiliter impleſſe dignoſcitur.

Longobardi tributa Francis ſoluunt.

al. * cedentes.

al. * diſceſſum.

Anno triceſimo ſecundo regni *Guntranni*, ita à mane vſque ad medium diem ſol minoratus eſt, vt tertia pars ex ipſo vix appareret. Anno trigeſimo tertio regni Guntranni, quinto Kalendas Aprilis ipſe Rex moritur, ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Marcelli, in Monaſterio quod ipſe conſtruxerat. Regnum eius *Childebertus* aſſumpſit; quod tenuit annis quatuor. Anno tertio Childeberti regnantis in Burgundia, multa ſigna cœlo oſtenſa ſunt, & ſtella cometes aparuit. Anno quarto, poſtquam Childebertus regnum Guntranni acceperat, defunctus eſt, regnúmque eius filij ſui *Theodebertus* & *Theodericus* aſſumunt. Theodebertus ſortitus eſt Auſtriam, ſedem habens Mettis. Theodericus accepit regnum Guntranni in Burgundia, ſedem habens Aurelianis. Anno quarto regni Theodorici clades glandolaria Maſſiliam & reliquas Prouinciæ ciuitates grauiter vaſtauit. Eo anno aqua calidiſſima in lacu Dunenſe, in quem Arola fluuius influit, ſic validè ebulliuit, vt multitudinem piſcium coxiſſet. Anno quinto

597. Guntrannus vita fungitur.

Digitized by Google

Theoderici regni, iterum ſigna quæ anno ſuperiore viſa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, & ad inſtar * multitudinem haſtarum ignearum ad occaſum apparuerunt. Ipſóq; anno *Theodebertus* & *Theodericus* Reges contra *Clotarium* mouent exercitum, & ſuper fluuium Aroanna, nec procul à Doromello vico prælium confligentes, iunxerunt: ibíque exercitus Clotarij Regis grauiſſimè trucidatus eſt; ipſéque cum ipſis qui remanſerant in fugam verſus: pagos & ciuitates * Sequanæ, qui ſe Clotario tradiderunt, depopulantur & vaſtant. Plurimi captiui ab exercitu Theodeberti & Theoderici adducuntur. Clotarius oppreſſus vellet nollet per pactionis vinculum firmauit, vt inter Sequanam & * Ligeram vſque mare Oceanum & Britannorum limitem Theodericus haberet, & per Sequanam & Iſaram ducatum Denteleni integrum vſque * mare Theodebertus recepit. Duodecim tamen pagi inter Iſaram & Sequanam, & mare Oceanum, Clotario remanſerunt.

al. * multitudinis.

al * in ripa ſequonæ.

al. * ligerim.

al. * Oceanum.

---

602. Anno ſexto regni *Theodorici* natus eſt ei filius de concubina, nomine *Sigibertus*: Eo anno Theodebertus & Theodoricus exercitum contra Vaſcones direxerunt. Ipſóſque, Deo auxiliante, deuictos in ſuam dominationem redigunt, & tributarios faciunt. Eodem anno corpus ſancti Victoris, qui Salodoro cum ſancto Vrſo paſſus fuerat, à beato *Econio* Pontifice Maurienſe inuenitur. Viderat námque in viſu vt ſurgens protinus iret ad Eccleſiam, quam *Sedeleuba* Regina ſub Vrbano * Genanenſe conſtruxerat, & in medio Eccleſiæ deſignatum locum, vbi ſanctum corpus iacebat. Cúmque Geneua perrexiſſet cum beatis *Ruſtico* & *Patricio* Epiſcopis, triduanum ieiunium facientes, lumen per noctem ſplendidum, vbi glorioſum illud corpus erat, apparuit. Quem ſilentio hi tres Pontifices cum lacrymis & orationibus, eleuato lapide, in arca argentea inuenerunt ſepultum. Cuius faciem rubentem quaſi viueret reperiunt. Ibi *Theodericus* Rex præſens aderat, qui multis muneribus Eccleſiam ipſam ditauit, & maximam partem ex facultatibus *Vuarnacarij* ibidem contulit. Eodem anno * *Eucherius* Epiſcopus Lugdunenſis obiit. Ordinatur loco ipſius *Secundinus* Epiſcopus. Eodem anno *Focax* Dux & Patricius Reipublicæ victor à Perſis rediens, *Mauri-*

al. * Maurienenſe.

al. * Geneuenſe.

Melùs Ætherius cui Secundinus proximi ſucceſſit.

cium

Digitized by Google

ſium Imperatorem interfecit, & in loco ipſius imperium aſſumpſit. Anno ſeptimo regni Theoderici de concubina naſcitur ei filius nomine *Childebertus*. Eo anno ſol obſcuratus eſt. Anno quoque octauo regni *Theoderici* naſcitur ei filius de concubina nomine *Corbus*. Eodẽ tempore *Berthoaldus* genere Francus, Maior domus Palatij erat Theoderici, moribus menſuratus, ſapiens & cautus, in prælio fortis, fidem omnibus conſeruans. Defuncto *Vvandalmaro* Duce in pago *Vltramrano & Sentengorum, *Protadius* odinatur Patricius, inſtigatione Brunichildæ, & vt Bertrandus interiret; eum à ripa Sequanæ vſque Occeanum mare per pagos & ciuitates fiſcum inquirendum dirigunt. *Bertoaldus* à *Theoderico* miſſus cum trecentis tantùm viris, illis partibus properauit. Hæc comperiens Clotarius filium ſuum *Meroueum*, & *Laudericum Maiorem* domus cum exercitu, ad opprimendum Bertoaldum direxit. Et maximam partem inter Sequanam & Ligerim pagos, & ciuitates de regno Theoderici præſumpſit, contra pactum præuadens. Cùm *Theodericus* comperiſſet quòd à Clotario pars regni ſui contra ius fuerat prærepta, protinus cum exercitu Stempas ſuper fluuium Loa peruenit, ibíque obuiam Meroueus filius Clotarij Regis cum Lauderico & magno exercitu venit: cùm eſſet arduus tranſitus ille vbi Loa fluuius tranſmeatur, vix tertia pars exercitus Theoderici tranſierat, initum eſt bellum. Ibi *Meroueus* filius Clotarij capitur, *Laudericus* in fugam verſus eſt; nimia multitudo exercitus Clotarij in eo prælio trucidata eſt. Theodericus Rex Victor Pariſius ingreditur. Poſteà pacem Theodericus cum Clotario Compendio villa iniuit. Vtriuſque exercitus redit ad propria.

al. *Vltrauiranno.

Anno decimo regni *Theoderici* cùm Brunichildis auia eius & *Protadius* Maior domus, aſſiduè inſtigarent eum, vt contra *Theodebertum* fratrem ſuum moueret exercitum: Tandem iuſſu Theoderici exercitus coadunatus loco, nomine Caraciaco, caſtra metaſſet, hortabatur à Leudibus ſuis, vt cum Theodeberto pacem inirent. Protadius ſingulos hortabatur vt prælium committerent. Theodebertus non procul exinde cum exercitu reſidebat. Tunc omnis exercitus Theoderici inuentâ occaſione ſupra Protadium irruunt, dicentes

meliùs eſſe vnum hominem mori, quàm totum exercitum in periculum mitti. Interfecto Prothadio Theodericus confuſus & coactus cum Theodeberto pacem iniuit, & illæſus vterque exercitus ad propria receſſit. Anno duodecimo regni ſui Theodericus *Aridium* Epiſcopum Lugdunenſem, *Roconem* & *Eboricum* Comitem ſtabuli, ad *Bethericum* Regem Hiſpaniæ direxit, vt filiam eius *Hermobergam* matrimonio ſibi iungendam adducerent. Qui datis ſacramentis ne vnquam à regno degradaretur, accipientes eam Theoderico Cabilonno præſentant. Quam ille gaudens ſuſcepit. Factione verò auiæ ſuæ Brunichildę non eam cognouit, & in tantum odioſa facta, vt poſt annum expoliata theſauris, Hiſpaniam retranſmitteret. Eo anno Theodericus perſuaſione auiæ ſuæ Brunichildis, & cõſilio Aridij Lugdunenſis Epiſcopi vtens, ſanctum *Deſiderium* Viennenſem de exilio regreſſum lapidare præcepit. Ad ſepulchrum miræ virtutes hactenus fiunt. Per idem tempus præſidebat Lingonenſi Eccleſiæ *Mitius* Epiſcopus, Diuionenſem verò Abbatiam, (quo in loco ſanctus martyr Benignus quieſcit) regebat Abbas Venerabilis, nomine *Gudinus*, cuius diebus, ſcilicet, Anno decimo quarto regni Theodericiregis, quædam nobilis fœmina, vocata *Goyla*, cum conſenſu & laude viri ſui, nomine Boneuaſſi, dedit prædicto ſancto Martyri Benigno in villa Longus-vicus vocata, vel in omnes fines eius, quicquid habere, vel poſſidere videbatur, cũ omnibus adiacentiis, vel appenditiis ſuis, hoc eſt, Fedenniaco, Poſtomniaco, Monaſteriolo, Attegias, medietate Glempono, Curce-buntiana, Ficiaco, Cheuenas, Marcenniaco, de his omnibus rebus hæredem fecit poſt mortem ſuam & prædicti viri ſui, ſanctum Benignum.

al. *Mitio. Epiſcopi Lingonenſes. Abbates S. Benigni.*

Defuncto* *Micetio* Epiſcopo *Dodoaldus* ſucceſſit in Pontificatum. Hic villam vocatam Maſſiacum commutauit ex propriis rebus, cum illo à quo poſſidebatur, dedítque eam ſancto Benigno. Fungebatur tunc in hoc loco *Bobolenus* Abbatis officio; cui ſucceſſit *Richimarus* Abbas, iam* *Betroaldo* Epiſcopatum tenente. De quibus ſi non inuenimus per ſcripturam quid addiderint, tamen collata bene prouidiſſe & fortiter* tenuiſſe ſcimus, precipuè Elariacum vicum, quod à Guntranno Rege collocatum huc ſancto Be-

al.* Bertoaldo

al. retinuiſſe

Digitized by Google

nigno fuerat cum omnibus appenditiis ſuis: & crebris circummanentium vicinorum moleſtiis infeſtabatur: quod vſque hodie ſucceſſores eorum agere non deſinunt. Si quidem patres & anteceſſores eorum ipſum Dei Martyrem occiderunt; iſte verò ſeruientes ei non ceſſat perſequi. In illis temporibus fuerunt & alij Abbates in hoc loco, videlicet *Etherius*, *Vidradus*, *Hugo*, *Odeleus*, *Maurinus*, de quorum geſtis nihil ad nos peruenit, ſolummodò natalitia obitus eorum ſcripta in antiquis martyrologiis inuenimus.

Anno duodecimo regni Theoderici natus eſt ei filius de concubina, nomine *Meroueus*; quem *Clotarius* de ſancto lauacro ſuſcepit. Eo anno mortuo *Betherico*, *Siſebodus* ſucceſſit in regnum Hiſpaniæ, vir ſapiens, & in tota Hiſpania laudabilis valde, pietate plenus. Nam & aduerſus rempublicam formiter dimicauit, & prouinciam Cantabriam Gothorum ditioni ſubegit. Dux *Francio* nomine, qui Cantabriam in tempore Francorum Rex erat, tributa Francorum Regibus multo tempore impleuerat; ſed cùm à Patre imperij fuerat Cantabria reuocata, à Gothis præocupatur, & plures ciuitates ab imperio Romano *Siſebodus* littore maris abſtulit, & vſque fundamenta deſtruxit. Eo tempore fuit *Iſidorus* doctor, Hiſpalenſis Epiſcopus.

Anno decimo tertio regni *Theoderici* habebat *Theodebertus* Rex vxorem, *Belichildem* nomine, quam Brunichildis à negotiatoribus mercauerat: & cùm eſſet Belichildis vtilis & à cunctis Auſtraſis vehementer diligeretur, ſimplicitatem Theudeberti honeſtè comportans, nihilóque ſe minorem à Brunichilde eſſe cerneret, & ſæpiùs Brunichildem per Legatos deſpiceret, dum ab ipſa improperatur quòd ancilla eius fuiſſet: Tandem cum his & aliis verbis, Legatis diſcurrentibus, ab inuicem vexarentur, placitum inter Colerence, & Suentenſe conſiſtitur, vt has duas Reginas pro pace inter Theodericum & Theudebertum coniungerent ad loquendum. Sed Belichildis conſilio Auſtraſionum inibi venire diſtulit. 609.

Eo tempore beatus *Columbanus*, cuius fama ſanctitatis creuerat iam paſſim per vniuerſas Galliæ & Germaniæ Prouincias, erat omnium rumore laudabilis, in omni cultu religio- B. Columbanus multa patitur à Brunichilde.

Digitized by Google

nis venerabilis, in tantum, vt *Theodericus* Rex ad eum ſæpe Luxouium veniret, & orationum ſuarum ſuffragia omni cum humilitate poſceret. Cúmq; ſæpiſſimè ad eum veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulteriis miſceretur, & non potiùs legitimę coniugis ſolamine frueretur, vt regalis proles ex honorabili Regina procederet, & non potiùs ex lupanaribus videretur emergi. Et cùm iam ad viri Dei imperium Rex obtemperaret, & ſe omnibus illicitis ſegregare reſponderet, mentem Brunichildis auiæ, ſecundæ, vt erat, Ieſabelis, antiquus anguis adiit, eámque contra virum Dei ſtimulis ſuperbiæ incitat, quia cerneret viro Dei Theodericum obedire. Verebatur enim nè ſi abiectis concubinis Reginam aulæ præficeret, dignitatis atque honoris ſui modum amputaſſet. Euenit ergo vt quadam die beatus Columbanus ad Brunichildem veniret (erat enim tunc apud Brucariacum villam) eúmque illa cùm in aula cerneret, filios Theoderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cùm vidiſſet ſciſcitatur quid ſibi vellent. Brunichildis ait; *Regis filij ſunt, tu eos benedictionibus robora.* At ille ait; *Nequaquam*, inquit, *iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de lupanaribus emerſerunt.* Illa furens paruulos abire iubet: egrediens vir Dei regiam aulam, dum limittem tranſiret, fragor ſubitò exortus eſt. Qui totam quatiens domum omnibus terrorem incuſſit, nec tamen miſeræ fœminæ furorem compeſcuit. Parátque deinde inſidias molire, hortatur Proceres aulicos, Optimatéſq omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbent. Epiſcopos quoque ſollicitare adgreſſa eſt, vt de eius religione detrahendo ſtatum Regulæ, quam ſuis cuſtodiendam Monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur * Oligeri perſuaſionibus miſeræ Reginæ, Regis animum perturbant, cogentes vt accederet ad locum, ac religionem probaret. Abactus itaque Rex ad virum Luxouiũ venit, conqueſtus cum viro Dei, cur ab prouincialium moribus deſciſceret, & intrà ſepta ſecretiora omnibus Chriſtianis aditus non pateret. Beatus *Columbanus* his & aliis verbis auditis, vt erat audax animo, obiiciens Regi reſpondit: *Si ob hanc cauſam tu in hunc locum veniſti, vt ſeruorum Dei cœnobia deſtruas, & regu-*

al. * Auligeri

larem diſciplinam macules, ſcito tuum regnũ funditus ruiturum, & cum omni propagine regia demerſurũ. Quod poſteà rei probauit euentus (iam temerario conatu rex refectorium ingreſſus fuerat.) His ergo territus dictis foris celer repedat. Duris poſt hæc viri Dei increpationibus Rex vrgebatur : contráque Theodericus ait, Martyrij coronam me tibi illaturum ſperas. Deinde dixit non eſſe tantæ dementiæ ſe, vt hoc tantum facinus patraret, ſed potioris cõſilij ſi ageret, vtilia paraturum, vt qui ab omni more diſciſcat, quò venerat eâ viâ repedare ſtudeat. At quia longum eſt vniuerſa geſta percurrere, quas inſidias Reginæ, quæ exilia, & tribulationes quas pertulit, recitare, ſuccinctè finem rei explicemus. Vir Dei deputatis cuſtodibus à Theoderico, qui quouſque ditionis ſuæ regno pelleretur, non eum relinquerent : nam *Netis vſque perrexit. Moratus ergo ibi paululum, ſciens non placere diuinæ maieſtati, vt patriam rediret, pòſt ad Clotarium Chilperici Regis filium, qui in Auſtraſis Francíſque regnabat extremâ Galliâ ad occeanum poſitis, pergit.

al. *Metis: *al.* Nannetis

Clotarius porrò audierat quantis qualibúſque iniuriis virum Dei *Brunichildis & Theodericus* fatigauerant. Quem cùm vidiſſet, velut cœleſte munus ſuſcepit : tenuit ergo eum Clotarius quantis potuit penes ſe diebus. Erat enim Clotarius pollens in amore ſapientiæ.

S. Columbanus Clotarium Regem adit.

Beato verò *Columbano* morante apud Clotarium lis oritur inter duos fratres Theodebertũ & Theodoricum, diſceptantibus vtriſque de regni terminis. Anno igitur quinto decimo regni ſui vterque ad Clotarium Legatos dirigit: vterque aduerſus parem auxilium poſtulat. Quod Clotarius beato viro inſinuare procurat, conſulens, vt ſi videretur eius conſilij ſe vni conſentiendo, contra alium dimicaret. Ad quem ille repletus ſpiritu prophetico, ait: *Neutri te fore patiturum ſcias conuenire conſiliis; tuáque intra triennij tempus in ditione vtrorumque regna venire.* Videns Clotarius à viro Dei talia ſibi prophetico ore dici, neutri parere voluit, ſcilicet promiſſorum ſibi tempus fideliter expectans potitus eſt triumpho victoriæ.

Eius prophetia.

Anno decimo ſexto regni ſui *Theoderisus* mouet exerci- 612.

tum : & Lingonis de vniuerſis regni ſui prouinciis menſe Maio exercitus adunatur. Dirigénſque per Audalaum Naſio-caſtrum, ſuper Ornam fluuium ſitum, cepit; & inde Tullo ciuitatem perrexit. Ibi Theodebertus cum Auſtraſiorum exercitu obuiam venit: Tullenſi in campania confligunt: *Theodericus* ſuperat *Theodebertum*, eiúſque proſtrauit exercitum. Cæſa eſt eodem prælio nimia multitudo virorum fortium. Theodebertus terga vertens per territorium Mettenſem veniens, tranſita Voſago Coloniam fugaciter peruenit. Theodericus cum exercitu poſt tergum inſequens, Arduinam tranſiens peruenit *Tulliaco. Theodebertus, Saxones, Toringos, vel cæteras gentes trans Rhenum, vel vndique poterat *adiuuare contra Theodoricum, Tulbiaco perrexit; ibíque denuò commiſſum eſt bellum à Francis, cæteríſque gentibus. Tantáque ibi ſtrages ab vtroque exercitu facta eſt (vbi Phanlanges in congreſſu certaminis præliabantur) vt cadauera occiſorum vndique non haberent quâ ruere poſſent, ſed ſtabant mortui, ac ſi viuerent ſtricti inter cæteros. Auxiliante Deo iterum Theodericus Theodebertum ſuperat, & à Tulliaco vſque Coloniam exercitus eius gladio trucidatus, oram terræ cooperuit. Eo in tempore vir Dei *Columbanus* in eremo morabatur, contentus tantùm vnius miniſtri ſolatio. Eâ ergo horâ, quâ apud Tulliacum commiſſum eſt bellum, ſupra querci putrefacti truncum ſedebat, legens librum, quem ſubitus ſopor oppreſſit, & quid inter duos Reges agebatur vidit. Mox excitatus miniſtrũ vocat, cunctámque Regum pugnam indicat, multum humanum ſanguinem fundi ſuſpirat. Perſecutus eſt ergo Theodebertum Theodericus, & ſuorum proditione captum ad auiam Brunichildem Cabillono direxit. Quem illa cùm recepiſſet, quia Theoderici partibus magis fauebat, furens *Theodebertum* fieri Clericum rogauit, ac non multò pòſt impiè nimis perimi iuſſit.

al. *Tulbiaco

al. *adunare

617. Obit Theodoricus Auſtraſiæ & Burgund. Rex.

Anno decimo ſeptimo regni ſui *Theodericus* exercitum de Auſtraſiis & Burgundia moueri præcepit, volens ſuper *Clotarium* irruere. Iámque exercitus aggrediebatur, & Theodericus Mettis ciuitate profluuio ventris inter flagrantis vrbis incendia mortuus eſt. Exercitus protinus redit ad proprias ſedes. Brunichildis filium eius *Sigibertum* in regno patris ſuffi-

Digitized by Google

cit. *Clotarius* collecto exercitu fines regni, qui ſuæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigibertus cum hoſtium cuneis pugnaturus aduenit; quem Clotarius captum fraude ſuorum peremit; furénſque aliàs, fratres quinque Theoderici filios cum Brunichilde proauia eorum cœpit: pueros ſeparatim peremit, *Brunichildem* verò primò ignobiliter camelo impoſitam, hoſtibus gyrando monſtrauit. Pòſtque indomitorum equorum caudis irretitam miſerabiliter vitâ priuauit. Funditus ergo radicitúſque deleta Theoderici ſtirpe, Clotarius potitus eſt trium regnorum monarchiam ſolus.

Brunechildis perimitur.

Anno trigeſimo regni ſui *Clotarius* Burgundiæ & Auſtraſiorum regnum adeptus eſt. Anno trigeſimo quarto regni Clotarius Vualnarium, quem Maiorem domus in Burgundia inſtituerat, cum vniuerſis Pontificibus Burgundiæ, ſeu & Burgundo Faronis, Bonogello-villa ad ſe venire præcepit. Ibíque cunctis illorum iuſtis petitionibus annuens preceptionibus roborauit.

614. Vtroque regno Theodorici potitur Clotarius.

Anno trigeſimo octauo regni Clotarius *Dagobertum* filium ſuum conſortem regni facit; eumque Auſtraſiis Regem inſtituit, retinens ſibi quod Ardenna & Voſagus verſus Neuſtriam & Burgundiam excludebant.

Dagobert. Auſtraſiæ Rex.

Anno quadrageſimo ſecundo regni Clotarij *Dagobertus* cultu regio ex iuſſu patris honeſtè cum Leudibus Cliſpiaco procul Pariſius venit, ibíque germanam Sichildis Reginæ, nomine *Gomatrude*, in coniugium accepit. Tranſactis nuptiis die tertio inter Clotarium & eius filium Dagobertum grauis orta eſt contentio. Eò quòd Dagobertus cuncta quæ ad regnum Auſtraſiorum pertinebant ſuæ ditioni vellet recipere, quod Clotarius vehementer denegabat eidem, nihil ex hoc volens concedere. Electi ſunt ab his duobus Regibus duodecim ex Francis Iudices, vt eorum diſceptatione finiretur contentio: inter quos & Domnus Arnulphus Pontifex Metenſis, inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordia. Tandem à Pontificibus vel ſapientiſſimis viris proceribus pater pacificatur cum filio, reddens ei ſolidatum quod adſpexerat ad regnum Auſtraſiorum: hoc tantum exinde quod citra Ligeris, vel Prouinciæ partibus ſitum erat, ſuæ ditioni retinuit.

Clotarium inter & filiũ contentio.

AS. Arnulpho ſopita.

Digitized by Google

628. Clotarius moritur. In Ecclesia S. Vincentii, nunc S. Germani à pratis sepelitur.

Anno quadragesimo quinto regni sui *Clotarius* moritur, & suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentij sepelitur. *Dagobertus* cernens genitorem suum defunctum, vniuersis Leudibus quos regebat in Austria iubet exercitum promouere; missos in Burgundia & cæteris regni partibus direxit, vt suum regimen eligerent. Cúmque Remis veniſſet, Sueſſionis peraccedens, omnes Pontifices & Leudi de regno Burgundiæ inibi se Dagoberto tradidisse noscuntur: sed & Neustrasij Pontifices & Proceres, plurima pars regnum Dagoberti visi sunt expetisse. Aribertus frater eius nittebatur, si posset regnum assumere; sed eius voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Cúmque regnum omne à Dagoberto fuisset præoccupatum, & thesauri eius ditioni redacti; tandem misericordiâ motus, & sapientium vsus consilio, citra Ligerim & limitem Hispaniæ, & Vasconiæ, seu * & montes, pagos, & ciuitates, fratri suo Ariberto concessit, id est, Tolosam, Caturcinam, Agenensem, Petrogoricum, & Sanctonicum, vel quod ab hiis versus Pireneos montes excluditur. Quod & per pactionis vinculum firmauit. *Aribertus* sedem Tolosanam eligens regnat in partibus Prouinciæ & Aquitaniæ. Post annos tres quàm regnare cœpisset, totam Vasconiam superans largiùs fecit regni sui spatium.

al.* per

633.

Sub eodem ferè tempore, id est quinto anno regni Dagoberti, dedit quidam illustris vir, nomine Ermembertus, & coniux eius * *Hermeneara*, sancto Benigno quasdam villas suæ possessionis, quæ vocatûr his nominibus, Posciacum, & Fontem Lagnis in pago Latiscense; & in Lingonico pago Masiacum, quæ ante acto tempore ab * Edoualdo Episcopo Lingonensi huic loco fuerat attributa, sed violentia prauorum hominum ablata.

al.* Ermenoara

al.* Modoaldo, & E Doaldo

Ob iustitiã commendatur Dagobertus.

Dagobertus anno sexto regni sui Burgundias ingreditur: tanto vero timore Pontifices & Proceres, & cunctos in regno Burgundiæ consistentes aduentus Dagoberti concusserat, vt omnibus esset mirandus præ timore iustitiæ, quam pauperibus faciebat. Veniens ergo ciuitatem Lingonas & & inde Diuion * egressus, ac Latona residens, aliquantis diebus, tantam intentionem iudicandi iustitiam populo regni sui habebat, vt huius benignitatis desiderio nec somnum

al.* adgressus

oculis

Digitized by Google

oculis poſſet capere, nec cibo ſatiabatur, intentiſſimè cogitans, vt omnes cum iuſtitia accepta de conſpectu ſuo remearent. Die quadam cùm à Latona Cabilono properaret, deliberans, & priuſquàm luceſceret balneum ingrediens, *Brunulfum* auunculum fratris ſui *Ariberti* interficere iuſſit: qui ab *Amalgario* & *Ariberto* Ducibus, & *Vvilbaldo* Patricio interfectus eſt. Dagobertus Rex poſt hæc Cabilono pergit iuſtitiæ amore quam cœperat perficiendæ. Pòſt Auguſtiduno, inde Autiſiodoro pergens, dehinc Senona ciuitatem, indéque Pariſius venit, *Gomatrudem* Reginam * Rumiliaco villa, vbi matrimonium acceperat, relinquens, Nantildam vnam ex puellis de miniſterio eius accipiens, Reginam ſublimauit. Anno ſeptimo regni ſui cùm Auſtraſiã regio cultu circuiret, quandam puellam, nomine *Ragnitrudem*, ſtratu ſuo adſciuit, de qua eo anno habuit filiũ nomine *Sigibertum*. Aribertus Aurelianis veniens Sigibertum de ſancto lauacro excepit. Anno octauo Dagoberti * *Aribertus* Rex moritur, relinquens filium paruulum, nomine *Chilpericum*, qui nec poſt moram defunctus eſt: fertur factioni Dagoberti fuiſſe interfectus.

al. * Romuliaco

al * Charibertus

Anno decimo regni Dagoberti cùm ei nuntiatum fuiſſet exercitum Viuidorum Toringam fuiſſe ingreſſum, cum exercitu de regno Auſtraſiorum de Metis vrbe promouens, tranſactâ Ardennâ Maguntiam aggreditur, diſponens Rhenum tranſire, ſcalam de electis viris fortibus de Neuſtria & Burgundia cum Ducibus & Graphionibus ſecum habens. Saxones miſſos ad Dagobertum dirigunt, petentes vt eis tributa quas fiſci ditionibus diſſoluebant, indulgeret; promittentes ſe Vvinidis reſiſtere, & Francorum limitem de illis partibus cuſtodire ſpondentes. Quod *Dagobertus* conſilio Neuſtraſiorum præſtitit. Saxones qui huius poſtulationis Legati fuerant, ſacramentis, vt eorum mos erat, ſuper arma pro vniuerſis Saxonibus firmant. Sed poſtmodùm ſicut in cæteris mendaces apparuerunt. Tamen Saxones tributum quod à Clotario ſeniore cenſiti annis ſingulis quingentas vaccas inferendalis reddere conſueuerant, præceptione Dagoberti, habent indultum. Eo tempore Legati Dagoberti, quos ad *Heraclium* Imperatorem direxerat, his nominibus *Seruatus* & *Paternus*, ſunt reuerſi, nunciantes pacem perpetuam cum Heraclio firmaſſe.

638.

Fœlus cũ Heraclo Imperat. init.

Digitized by Google

al.* 11. Anno * vndecimo regni *Dagoberti* cum Vuinidi fortiter
fæuirent, & fæpe tranſgreſſo eorum limite regnum Franco-
al.* infeſtarent. rum vaſtando Toringiam, & reliquos pagos * inſiſterent, Da-
Sigibertũ & Clodoueum filios Regnis Auſtraſiæ & Burgundiæ donat. gobertus Metis vrbem veniens cum conſilio Pontificum &
Procerum, ſeu & omnibus Primatibus regni ſui conſentien-
tibus, *Sigibertum* filium ſuum in regnum ſublimauit, ſedém-
que Metis ciuitate habere permiſit. Cunibertum Coloniæ
vrbis Pontificem, & * Agalgiſum Ducem, inſtituit gubernare
al.* Anchiſum. Palatium & regnum; theſaurum quod ſufficeret filio tradi-
dit condignè, vt decuit in culmine regni ſublimauit. Et
quodcumque eidem largitus fuerat, ſigillatim præceptioni-
bus roborandum decreuit. Deinceps Auſtraſiorum regnum,
& fines regni Francorum contra Vuinidos vtiliter defenſa-
re noſcuntur. Cúmque anno duodecimo regni Dagoberti ei-
al.* Clodoueus. dem filius nomine * *Clodomeris de Nantilde* Regina natus fuiſ-
ſet, conſilio Neuſtraſiorum, & admonitione Principum
ſuorum, per pactionis vinculum firmaſſe dignoſcitur, vt
al.* Neuſtria. * Neptreco & Burgundia ad regnum Clodouei, poſt Da-
al.* Auſtria. goberti deceſſum, aſpiceret. * Auſtraſia verò eò quòd & po-
pulo & terræ ſpatio coæqualis eſſet, ad regnum Sigiberti
pertinere deberet. Et quicquid ad regnum Auſtraſiorum iam
olim pertinuerat, hoc Sigibertus Rex ſuæ ditioni ſubiiceret,
& perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Dente-
leni quod ab Auſtraſis ſeparatum fuerat, ne iterum ad Neu-
ſtriam iungeretur, & Clodouei regimini ſubderetur. Sed has
pactiones Auſtraſij terrore Dagoberti coacti vellent nol-
lent firmaſſe viſi ſunt. Quod poſt mortem eius filij regnum
adminiſtrantibus diſſolutum fuiſſe conſtat.

In Hiſpaniam proficiſcitur. Eodem tempore quid Hiſpaniæ partibus à Regibus eo-
rum geſtum ſit, dicendum eſt. Defuncto *Siſebodo* Rege cle-
mentiſſimo, *Sentilla* ſucceſſit in regnum vno anno. Cùm eſſet
Sentilla nimium iniquus in ſuos, omnium Principum regni
ſui odium incurrit. Quapropter *Siſenandus* quidam ex Pro-
ceribus cum conſilio cæterorum, *Dagobertum* expetiit vt ei
cum exercitu auxiliaretur, qualiter *Sentilam* pelleret regno.
Huius beneficij recompenſatione miſſorium aureum ex the-
al.* Toſimodus. ſauris Gottorum quem * *Treſmodus* Rex ab Egetio Patricio
ſuſceperat, Dagoberto dare promiſit, penſantem auri libras

quinquaginta. Quo audito Dagobertus, vt erat cupidus, exercitum in auxilium Siſenandi totum regnum Burgundiæ bannire præcepit. Cúmque in Hiſpania diuulgatum fuiſſet, exercitum Francorum auxiliando Siſenando Hiſpaniam ingredi, omnis Gottorum exercitus ditioni eius ſe tradidit: *Abundantius* & *Venerandus* cum exercitu Toloſano tantùm vſque Cæſarauguſtam ciuitatem cum Siſenando acceſſerunt, ibíque omnes Gothi de regno Hiſpaniæ Siſenandum ſublimant in regnum. Duces prædicti cum exercitu remeant ad proprias ſedes, muneribus honorati. Dagobertus Legatos ad Siſenandum Regem *Amalgarium* Ducem & *Venerandum* dirigit, vt miſſorium quem promiſerat eidem dirigeret. Cúmque à Siſenando miſſorius ille Legatariis fuiſſet traditus, à Gothis per viam tollitur, nec eum exinde permiſerunt auferri. Poſteà diſcurrentibus Legatis ducenta millia ſolidorum, quod adpreciatum eſt miſſorium, Dagobertus à Siſenando accepit.

Anno* tridecimo regni Dagoberti cùm Vaſcones fortiter rebellarent, & multas prædas in regno Francorum, quod *Aribertus* tenuerat, facerent, Dagobertus de vniuerſo regno Burgundiæ exercitum promoueri iubet, ſtatuens ei caput exercitus *Adoindum* Referendarium, qui temporibus Theoderici Regis quondam multis prælíis probatus eſt ſtrenuus: cui Duces decem & exercitus eorum adiunxit. Fuerunt autem hi, *Arembertus*, *Amalgarius*, *Leudebertus*, *Vandalmarus*, *Vualdericus*, *Hermendricus*, *Barontus*, *Airardus* ex genere Francorum, *Ramelenus* ex genere Romanorum, *Vuillibadus* Patricius ex genere Burgundionum, * *Aichinus* ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem ſuper ſe non habebant, in Vaſconiam cum exercitum perrexiſſent, & tota Prouincia Vaſconiæ ab exercitu Burgundiæ fuiſſet repleta, Vaſcones de montium latebris egreſſi properant ad bellum. Cumque præliarè cœpiſſent, vt eorum mos eſt, terga vertentes, dum cernerent ſe eſſe ſuperandos, in fauces vallium montis Pirenei latebram dantes, ſe locis tutiſſimis per rupes eiuſdem montis collocãt, exercitus poſt tergũ eorũ inſequens, plurimos interficiunt, multitudinem captiuorum abducunt, omnes domos eorum incendio tradunt,

al. * 14. In Vaſcones perduelles mittit exercitum.

al. * Audonium.

al. * Aighinus.

peculiis & rebus expoliant. Tandem Vaſcones oppreſſi ſeu perdomiti, veniam & pacem petunt, promittentes ſe gloriæ & conſpectui Dagoberti Regis præſentaturos; ſuæ ditioni traditos cuncta ab eo iniuncta impleturos. Exercitus patratâ victoriâ redeunt ad propria ſani. Sed Arembertus Dux poſt agmen cuſtodiam exercitus agens, in valle ſubola à Vaſconibus eſt interfectus, cum principibus & nobilioribus de ſuo exercitu.

Iudicael Britonum Rex.

Dagobertus reſidens Clippiaco mittit nuncios in Britanniã, vt Britones quæ malè geſſerant in fines regni Francorum velociter emendarent, & ſuæ ditioni ſe traderent. Alioquin exercitus Burgundiæ qui in Vaſconia fuerant, de præſenti in Britannias deberent irruere. Quod audiens * *Iudaicale* Rex Brittonum, Clypiaco ad Dagobertum venit cum multis muneribus, cũcta quæ ſui in leudibus Francorum illicitè perpetrauerunt, emendandum ſpondet, & ſemper ſe & regnum Britanniæ ſubiectum ditioni Dagoberti & Francorum Regibus eſſe promiſit: indéque Iudoicale Rex Dagoberta vale dicens in Britanniam repedauit, condignè tamen à Rege muneribus honoratur. Anno quintodecimo regni Dagoberti Vaſcones omnes ſeniores terræ illius cum *Amando* Duce ad Dagobertum Clipiaco venerunt; ibi regio timore perterriti confugerunt in Eccleſiam ſancti Dionyſij: clementiâ Dagoberti vitam habent indultam. Ibi Vaſcones ſacramentis firmiter promittunt Regi Dagoberto, & filiis ſuis, & regno Francorum omni tempore ſe eſſe fideles: ſed ſolito more mentiti ſunt. Permiſſu Dagoberti reuerſi ſunt ad ſuas ſedes.

al. * Iudicael

643. Dagoberti obitus.

Dagobertus Rex eodem anno Spinogello-villa ſuper Sequanam fluuium, non procul à Pariſius, adueniens, profluuio ventris inibi ægrotare cœpit. Exinde ad Baſilicam ſancti Dionyſij à ſuis defertur. Poſt paucos dies Dagobertus emiſit ſpiritum; ſepultúſque eſt in Eccleſia ipſius ſancti Martyris, quam ipſe condignè ædificauerat, atque auro & gemmis, multíſque pretioſiſſimis ſpeciebus ornauerat: tantęque opes ab eodem & villæ, & poſſeſſiones multæ per plurima loca ibidem collatæ ſunt, vt miraretur plurimûm. Pſallentium inibi inſtituere ad inſtar monaſterij ſanctorum Agaunenſium

Ipſius encomia.

Digitized by Google

iuſſerat. Quod ſtudio & induſtria Abbatis *Aigulfi* eſt adimpletum. Multas Eccleſias ſpoliauit, vt hanc ditaret. Omni quippe deuotione ſuâ circa obſequium ſpecialis Patroni intentus erat. Et ideò poſt mortem ſpe ſua fruſtratus non eſt. Qualiter verò per hunc Martyrem auxiliantibus ſanctis Mauricio atque Martino à poteſtate Dæmonum anima eius erepta fuerit, cuidam Solitario diuinitus monſtratum eſt. Quandiu enim vixit, Baſilicas horum ſanctorum ſpecialiùs honorauit: quamuis fuerit cupiditati & amori mulierum intentus, in eleemoſynis tamen pauperum fuit largus.

Poſt Dagoberti diceſſum filius ſuus *Clodoueus* adhuc ſub tenera ætate adſcitur ad regnum. Omnes quippe Leudi de Neuſtria & Burgundia eum Maſollaco villa ſublimant in Regem. Ega verò, quem Dagobertus cuſtodem pueri & regni tutorem reliquerat, cum Nãtilde regina condignè gubernabat Palatium & regnum. Anno ſecundo regni Clodouei apud Conſtantinopolim ſublimatur in imperium *Conſtantinus* filius Conſtantini. Eius tempore grauiſſime à Saracenis vaſtatur imperium. Tempore enim Heraclij Imperatoris Sarracenorum gens de finibus ſuis egreſſa, regna quæ ſub imperij regimine erant irruunt ad deuaſtandum, contra quos *Heraclius* exercitum ad reſiſtendum direxit. Sarraceni milites ſuperant, eóſque gladio grauiter trucidant. Fertur in eo prælio centum quinquaginta milia militum à Saracenis fuiſſe interfecta. Iterum Heraclius congregat multitudinem exercitus: iterum vincitur: ad vltimum infœlix Eutichetis hæreſim ſectans, cultum Chriſti relinquens crudeliter vitam finiuit. Cui ſucceſſit in imperium Conſtantinus filius, cuius tempore à Sarracenis reſpublica nimium vaſtatur. Durauit hæc vaſtitas per annos quadraginta ſeptem, vſque ad tempora Conſtantini ſuperiùs memorati. Tunc eſt Hieroſolyma capta, & cæteræ euerſæ ciuitates. Ægyptus inferior & ſuperior peruaditur; Alexandria capitur & prædatur: Africa tota vaſtatur & à Sarracenis poſſidetur: Aſia & Europa quatiuntur: Omnia regna mari contigua peruagantur. Ad poſtremum ipſe Imperator Conſtantinus conſtrictus atque compulſus, eſt effectus Sarracenorum tributarius, vt Conſtantinopolis cum paucis Prouinciis & inſulis, & vrbs

Saraceno graſſantur imperium.

Digitized by Google

Roma cum ſua patria ſui ditione reſeruaretur. Tribus annis circiter, & fermè adhuc ampliùs, per vnumquemque diem mille ſolidos auri Sarracenorum ærariis ſupplebat. Tandem reſumptis viribus *Conſtans* imperium aliquantisper recuperans, tributa Sarracenis implendum refutat.

Ega moritur. Erchinoaldus Maior domus.

Anno tertio regni *Clodouei Ega*, cui Dagobertus commiſerat regni curam, moritur; & in loco eius *Herchinoaldus* Maior domus conſtituitur. Eo tempore *Sentilla* Rex Hiſpaniæ, quem Siſenandus oppreſſerat, moritur; & in loco eius *Tolga* ipſius filius patris precibus ſubrogatur. Gothorum Principes & Primates videntes deperire ſtatũ regni, eò quòd princeps eſſet inualidus, & minus ſciens, vt pote adoleſcẽtulus: Tandem eligunt vnum ex primatibus, nomine *Chintaſindum*, collectis plurimis ſenatoribus Gothorum cum cætero populo Hiſpaniæ ſublimatur in regnum, *Tolgane degradato, & ad clericatum tonſurato. *Tintaſindus* omnem Hiſpaniam ſuæ redigit ditioni: multos Gothorum interfecit, quos in degradatione Regum priorum vna ſecum nouerat conſcios. Cúmque eſſet plenus dierum, filium ſuum, nomine *Richiſindum* in omne regnum Hiſpaniæ ſublimauit. *Pipinus* defuncto *Anchiſo* patre ſuo Maior domus Sigiberti Regis in regno Auſtraſiorum factus eſt. Fuit namque Pipinus Deum timens, amator iuſtitiæ, conſilio prouidus, fide plenus, cautus in omnibus ſapientiæ ſtudiis, intentus in armis, ſtrenuus, audax animo. Gubernauit regnum quandiu vixit grandi moderatione, nec vllo munere potuit vnquam à iuſtitia auerti.

al. *Tolgâ

Pipinus Maior domus Sigiberti Regis Auſtraſ.

---

648. Anno quarto regni Clodouei *Nantildis* Regina cũ ipſo filio ſuo Rege Aurelianis ciuitatem in regnũ veniens Burgundiæ, ibi omnes ſeniores, Pontifices ſcilicet, Duces, & Primates totius regni ad ſe venire precepit. Nantildis ſigillatim cunctos blanditiis attrahens *Flaucatum ex genere Francorum Maiorẽ domus in regno Burgundiæ electione Pontificum & Principum, laude in hoc gradu honoris ſtabiliuit, neptémque ſuam nomine *Ragnebertam* eidem deſponſauit. Flaucatus regnum Burgundiæ peruagatur, atque cum * Archinoaldo Maiore domus ſe in amicitia obligans, *Vvilbaldum* patricium interficere diſponebat. Eo anno Nantildis regina moritur. Ipſoq; anno Flaucatus cum Clodoueo Rege & *Archinoaldo*

Flaucatus Maior domus.

al. *Erchinoaldo

Nantildis Regina moritur.

Digitized by

maiore domus, & aliquibus Primatibus Neuſtraſiis, de Pariſiaco promouens per Senonas & Antiſiodorũ Auguſtidunum acceſſerunt. Ibiq; Clodoueus Vuilbaldum ad ſe venire præcepit. Vuilbaldus Patricius conſiderans Flaucatum cum cæteris Ducibus de ſuo interitu iniſſe conſilium, colligens ſecum plurimam multitudinem exercitus, etiam Pontifices, ſeu nobiles & fortes, quos congregare potuit, Auguſtidunum iter arripuit. Cui obuiam à Clodoueo Rege & ſuis Ducibus *Hermenricus* domeſticus dirigitur, eo quòd Vuilbaldus trepidabat propiùs accedere; ſed acceptâ ſecuritate ex parte Regis Auguſtidunum acceſſit, Legato regis condignis muneribus priùs honorato. In craſtinum Flaucatus & cæteri duces, qui de interitu eius conſpirauerant, maturiùs ab vrbe promouerunt cum exercitu. Erchinoaldus cum Neuſtraſiis quos ſecum habebat bellum aggreditur: è contra Vuilbaldus tela ſumens, quaſcumque potuit adunare Phalanges, occurrit eis. *Flaucatus*, *Amalgarius*, * *Ermanlenus*, *& Vualbertus* Duces contra Vuilbadum confligunt; ibique Vuilbadus interficitur: plurimi cum ipſo de ſuis gladio trucidantur. His ita geſtis Flaucatus in craſtino de Auguſtiduno promouens, Cabilono perrexit: ingreſſus in vrbem in craſtino ipſa ciuitas incendio concrematur. Flaucatus iudicio Dei percuſſus, vexatus à febre collocatur in ſcapha. Euectu nauale per Ararim fluuium cognomento Sagonna, Latonam properans, in itinere vndecima die poſt Vuilbaldi interitum emiſit ſpiritum. Sepultúſque eſt in Baſilica ſancti Benigni in ſuburbio Diuionenſe.

Vuilbaldus interficitur.

* al. Cramlenus, ſeu Ramelonus

Flacatus febre interiit.

Langobardorum per hæc tempora fuerunt hi Reges poſt *Autharium*. Regnauit *Ago* filius eius, hic miſit Legatos ad Clotarium, offerens triginta quinque millia ſolidorum, vt tributa quæ Longobardi Francorum Regibus ſoluebant, duodecim millia ſolidos caſſaret. Quod Clotarius conceſſit, & pacem perpetuam cum Longobardis Sacramentis & pactis firmauit. Poſt hunc regnauit *Adoaldus* filius eius. quo interfecto veneni poculo ob nimiam crudelitatem ſuam *Charoaldus* Dux Taurinenſis, qui Gundebergam ex genere Francorum habebat vxorem ſublimatur in regnum. *Charoaldus* credens dictis mendacibus Gundebergam Reginam

Digitized by Google

in Caumello caſtro in vnam turrim exilio trudit. Clotarius Rex Legatos ad Charoaldum dirigit quare Reginam parentem Francorum humiliaſſet. Charoaldus Regis Francorum reuerentiam habens Gundebergam reductam poſt tres annos de exilio ſublimat in regno. Poſt hæc Charoaldus Rex moritur. Gundeberga Regina vnum ex Ducibus, *Chrotarium* nomine, de territorio Briſcia, acceptis ab eo ſacramentis vt nunquam ab eo degradaretur de regni culmine, ſumens in coniugium, illum ſtabiliuit in regnum. poſteà Chrotarius aliquantis tranſactis annis oblitus Sacramenta quæ fecerat, Gundebergam de ſolio regni deiectam in vnum cubiculum apud Ticinum in aula palatij retrudit: eámque priuato habitu viuere fecit. Quinque anni ſub ea truſione tranſierunt. Illa cùm eſſet Chriſtiana, benedicebat Deum in hac tribulatione poſita. Tandem placuit Deo vt mitteretur *Aubedo* Legatarius à *Clodoueo* Rege ad Chrotarium Longobardorum Regem: qui veniens Papiam ciuitatem, quæ cognominatur Ticinis, cernenſque Reginam, à qua benignè in Legatione m veniens ſuſceptus fuerat, eſſe retruſam, inter cætera Chrotario Regi ſuggeſſit, quòd Reginam parentem Francorum, per quam etiam regnum adeptus fuerat, non debuiſſet ita humiliare; pro qua re Francorum Reges & omnes Franci ei eſſent ingrati Chrotarius de præſenti ob reuerentiam Francorum Gundebergam de cuſtodia iubet egredi, & per totam ciuitatem & foris regali ordine per loca ſanctorum ad orationem procedere: de villis & opibus fiſci omnia quæ amiſerat ei reſtaurari præcepit. quod vſq; ad diem ſui obitus regio cultu poſt fœliciter tenuit. Aubedo verò à Gundeberga Regina fortiter remuneratus repedauit ad Regem.

Gundeberga Longobardiæ Regina in carcerem detruſa.

Defuncto Sigiberto Auſtraſiorum Francorum Rege, filius eius *Dagobertus* ſuccedit in regnum. Pipinus, vt diximus, poſt Regem totius regni curam gerebat, cuius filius, nomine *Grimoaldus*, ſub imperio patris palatio præerat. Hic confiderans Dagobertum inertem, & ad regni curam minus vtilem, fecit eum tonderi ad Clericatus ordinem.

Sigibertus Auſtraſiæ Rex obit.

660. Clodoueus igitur Rex, qui & Clotarius dictus eſt, octodecim annis in regni adminiſtratione completis defunctus eſt in primęuo flore iuuentutis, relictis tribus filiis, *Clotario*, *Childerico*,

Digitized by Google

derico, & Theoderico, vna cùm matre eorum *Baldechilde* Regina E quibus Clotarius natu maior, regnum Patris ſui Clodouei, Neuſtriæ, & Burgundiæ obtinuit. Childericus verò Auſtriæ & Germaniæ ſedem adeptus eſt. Anno igitur octauo regni ſui Clotarius Rex reſidens Moſollaco palatio ſuo, *Vulfechrannus* Abbas huius loci adiit eius præſentiam, conquerens ſuper quorundam militum eius violentia: *Guntrannus* namque Rex dederat ſancto Benigno Martyri Patrono Diuionenſis loci, Clariacum-villam cum omnibus appenditiis ſuis, de cuius poſſeſſionis terris ſupra ſcriptis calumniatores moleſtias inferebant multas memorato Abbati, Monachíſque huius loci. Rex ergo Clotarius annuens eius precibus, fecit præceptum ſancto Benigno de præſcripto fundo, annulóque ſuo iuſſit inſigniri, vt nullus ſupradictorum calumniantium, aut eorum hæredes, vel ſucceſſores, aut vllus aliquis alius cuiuſcumque honoris ac dignitatis in denominato agro audeat aliquam vim inferre. Erat tunc Maior domus Regis ſupra nominatus *Aubedo*, quem inſcripto eiuſdem præcepti *Audebellum* vocat.

Vulfechrannus Abbas.

Tempore prædicti *Vulfechranni* Venerandę memoriæ Abbatis præſidebat Lingonum Eccleſiæ *Eronus* venerabilis Epiſcopus, qui inter cætera beneficia quę huic contulit loco, à ſummo pontifice, vel veriùs Romanis Pontificibus Ioanne & Sergio oratione Eccleſia petiit fieri decretum: in quo continetur, vt nullus præſumat conſtituere Cymiterium vel ſacrare, præter hunc qui ad iſtam ſancti Benigni Eccleſiam pertinet: & vt nullus audeat vim aliquam inferre in Clauſtro vel in Burgo ad hunc locum pertinente. Cuius exemplar decreti placuit huic libro inferre, vt videntes diſcant quantũ immineat illis periculum, qui non timent obligari anathematis vinculo per Petri Apoſtoli vicarium. Anno Domini DC. XC. VI. ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, præſidebat ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *Sergius* Papa, cuius hæc ſunt verba.

Eronus Lingon. Epiſcop.

796.

Sergius gratiâ Dei Pontifex Romanus Heroni Lingonum Præſuli ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quàm primùm nobis attendendum, chariſſime, ne hoſtis malignus gregem Chriſti perturbet aliqua occaſione. Diuionenſium namque Monachorum Mat-

Literæ Sergij 1. ab Vulfechrãno obtẽtæ.

tiri Benigno *ſub regimine* Vulfechranni *Abbatis deuotè famulantium reclamatio ad nos peruenit, Clericos iam dicti caſtri ad ſe eorum cymiterium transferre conari. Hoc quia prædeceſſoris mei* Ioannis, Benedicti *vtique ſucceſſoris* * *quando decretis authoritate beati Petri & noſtra prohibetur ſub percuſſione anathematis. Nam ſicut* Gregorius *olim prædeceſſor veſter adhortatu præfati Martyris, monaſterij ipsius conſtructor, vtriſque* * *viuis ſanciuit, quos ſanctus Iacet* * *ſalua concordia cymiterium: ita noſtræ authoritatis Litteræ cenſuerunt corroborandum. Quiſquis etiam à torrente, qui vtrumque Burgum diuidit auferre ab eodem Burgo vel clauſtro aliquid, excepto Abbate vel Monachis, præſumpſerit simili ſententia, ſe damnaturum nouerit. Bene valete.* Data per manus *Ioannis* Bibliothecarii tunc ſanctæ Sedis Apoſtolicæ anno pontificatus Domni *Sergij* vniuerſalis papæ decimo in ſacratiſſima ſede beati petri Apoſtoli indictione * ſecunda.

al.* contradicitur authoritate

al. * vnum

*Hic deeſt nonnihil.

679. f.* decima

Defuncto verò *Vulfechranno* Abbate ſucceſſit in locum regiminis *Agilbertus:* poſt quem præfuit *Bobolenus.*

Agilbertus, Bobolenus Abbates.

Clotarius Rex igitur poſtquam aliquot annis tenuit regnum immaturâ præuentus morte reliquit illud ſine hærede. Cuius obitum dolentes Francorum Principes germanum eius *Childericum* Regem Auſtraſiorum (quem audierant ſapienter & prouide regnum diſponere) in omni ſublimant francorum regno. Adeptus verò principatum quicquid aduerſus, leges Regum priorum ac Maiorum principum, quorũ vita quondam laudabilis extiterat, ineptum atque contrarium reperit, ad priſtinum ſtatum prudentiſſimè reuocauit. Eo tempore *Godinus* quidam ex primatibus Burgundiæ vnà cum coniuge ſua, nomine *Lantrude*, dedit ſancto Benigno alodium iuris ſui, cui vocabulum eſt Albiniacus, ſitum in pago Decolatunſe quod nunc generaliter Portuenſis dicitur.

Clotarius vita functus. Cui ſucceſſit Childericus Rex Auſtraſiæ.

Childericus ergo Rex paucis annis quibus regnum francorum obtinuit, à quo moderamine iuſtiſque legibus diſponens ipſum regnum defunctus eſt, & germanus eius *Theodericus* in regno fratris loco ſublimatus. Quod tenuit annis ſexdecim. In diebus eius ſanctus *Leodegarius* eſt interfectus ab *Ebroino* Maiore domus, & ſanctus *Lambertus* Tungrorum Epiſcopus à *Dodone* Comite. Hi vno tempore innocenter occiſi coronam martyrij ſunt adepti. In illo tempore defficientibus iam

Et huic Theodoricus.

S. Leodegarius S. Lambertus.

à priſtino vigore Regibus cura totius regni adminiſtrabatur per Duces & principes domus: inter quos omnes præminebat *Pipinus*, quem ſupra retulimus, vir omni ſapientiâ adornatus: eiuſdemque regni maxima pars erat in manu eius. Pipini laudes.

Hîc deuictâ Phriſiâ, atque ipſius regni fugato Rege, nomine *Ratbodo*, miſit illuc ad prædicandum ſeruos Dei venientes ex Britannia, *Vuillebrodum* & ſocios eius, qui non paruam populi multitudinem ad Chriſtum conuerterunt. *Theoderico* Rege defuncto *Childebertus* filius eius ſucceſſit in regnum. S. Vuillebrodus in Friſiam miſſus.

Anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo nono, *Pipinus* perrexit in Suuauos contra *Vuillarium*. Item anno ſequenti commouit exercitum ſuper prædictum tyrannum. Anno tertio aquæ vehementer inundauerunt. Et Childebertus Rex mortuus eſt; & exercitus Francorum in Suuauos. Anno quarto iterum exercitus Francorum in Suuauos contra Vuilarium perrexit: & *Eribertus* Rex Langobardorum mortuus eſt. 709.

Anno ſeptingenteſimo quarto decimo *Pipinus* mortuus eſt in menſe Decembris: & *Grimoaldus* filius eius ſimiliter mortuus eſt: & Carolus ſucceſſit in locum patris. 714. Moritur Pipinus.

Eo tempore *Aſtoricus* Epiſcopus erat Lingonum; & * *Bobolenus* regebat iſtud Cœnobium: Tunc dedit *Ermenoara* Domino ſacrata ſancto Benigno quicquid habebat in villa Ruffiaco, ſcilicet manſa cum ædificiis de ſuper poſitis, omnibuſque adiacentiis. *al.* * Babolenus Abbas S. Benigni.

Anno ſeptingenteſimo quinto decimo *Dagobertus* Rex mortuus eſt, & Saxones deuaſtauerũt terram Bagoariorum. Anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo bellum fuit in Vinciaco inter *Carolum* & *Ragofredum* Maiorem domus: fugítque Ragofredus & exercitus eius cæſus eſt plagâ magnâ vſque ad fluuium Vuiſera. Anno ſequenti Carolus intrauit Saxoniam vaſtauítque eam. Anno ſeptingenteſimo viceſimo primo expugnauit *Eudo* Saracenos de terra ſua. Anno quarto poſt hunc, expugnauit Carolus Andegauos; quia rebellabant aduerſus eum. *Theodericus* filius Dagoberti Iunioris regio tunc ſublimatus erat in ſolio. Cui ſucceſſit *Clotarius*, & Clotario *Childebertus*, Childeberto *Childericus*, in quo defecit generatio Clodouei Regis, qui vſque tunc regnauerat. Dagobertus 2. moritur. Carolus Mettallus.

725. Carolus ſtrenue multa gerit.

Anno ſeptingenteſimo viceſimo quinto ſubiecit ſibi Bagorios; & Sarraceni irruerunt in Galliam. Anno ab hinc ſexto *Carolus* perrexit in Suuauos contra *Laufredum*. Sequenti anno Carolus fuit in Vaſconia contra *Eudonem*; & *Ragofredus* tyrannus mortuus eſt. Anno ſequenti Carolus pugnauit contra Sarracenos in menſe Octobris, die ſabbati, iuxta ciuitatem Pictauis. Iterum anno ſeptingenteſimo trigeſimo

737. Sarracenos expugnauit.

ſeptimo innumera multitudo Sarracenorum coadiuuata, quæ duodecim Reges habebat ſuper ſe, quorum primus & maximus erat, *Abdirama* Rex Cordubæ ciuitatis. Occupauerunt Gothiam, obſiderúntque Narbonam ciuitatem. Quod audiens Carolus congregauit exercitum copioſum, inſuper & *Lindebrandum* Longobardorum Regem conuocauit in auxilium: conſertóque cum Sarracenis prælio, ita eos contriuit, vt de tanta multitudine vix aliquis potuerit euadere: ſed & vſque hodie gens illa truculenta Francorum formidat arma. Anno DCC. XXXIX. *Carolus* intrauit in Pro-

739. Quare Malleus appellatus.

uinciam vſque Maſſiliam: inuaſit Vaſconiam, vaſtauit Friſiam, expugnauit Saxoniam, contriuit Alamaniam atque Bagoariam. Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo primo *Carolus Tudites* mortuus eſt, qui propterea appellatus eſt Tudites, quod eſt Malleus fabri, quia ſicut Malleo vniuerſa tunduntur ferramenta, ita Carolus omnia regna ſibi vicina attriuit. Defuncto Carolo filij eius *Carlomanus* & *Pipinus* ſuſceperunt curam regni. Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo Carolus perrexit Vaſconiam. Anno ſequenti vaſtauit Alamaniam. Anno quarto Carlomanus & Pipinus inuaſerunt Saxoniam. Anno ſeptimo Carlomanus relictâ curâ regni Pipino fratri Romam perrexit, atque in monte* Sa-

Carlomanus & Pipinus.

al.* Soracti. Carlomanus fit Monachus.

repti Monachus habitationem inſtituit. Poſteà non ferens moleſtiam crebrò ſe viſitantium eorum qui de Francia pergebant ad limina Apoſtolorum, ad ſanctum Benedictum in montem Caſſini commigrauit.

752. Pipinus Rex inauguratur.

Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo Domnus *Pipinus* Rex ſacratus eſt per manus *Stephani* Papæ, & duo filii eius *Carlomanus*, & *Carolus* qui magnus dictus eſt. Anno quarto Pipinus Rex intrauit Longobardiam: & Stephanus Papa reuerſus eſt Romam. Eodem tempore ſanctus *Bonifa-*

Digitized by

eius, genti * Freloonum prædicans ſuſcepit martyrium. Anno ſexto iterum Pipinus Rex perrexit Longobardiam, & Haiſtulfus Rex mortuus eſt. Anno ſequenti delata ſunt organa de Grecia miſſa ab Imperatore cum certis muneribus Domno Pipino Regi. Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo Pipinus Rex perrexit Vaſconiam contra * Vuaffarium. Iterum anno ſequenti cum filiis Carolo & Carlomano perrexit Aquitaniam & adquiſiuit ciuitatem Byturicas. Pipini Regis anno nono quidam homo, *Rocolenus* nomine, dedit ſancto Benigno allodium ſuum villare vocatum, ſitum in pago Belnenſi in fine * Milliacenſi, cum omnibus ſuis appenditiis. Eodem tempore quidam Clericus nomine Bago, dedit ſancto Benigno hæreditatem ſuam omnem quam habebat in Aſiriaco & Iſtodoro atque ſalas, quicquid in prædictis villis poſſidere videbatur, tam manſis quàm quæ in aliis terris ad eadem manſa pertinentibus.

al. * Friſonum

S. Bonifacius Martyr occubuit.

al. * Vuaifarum

al. * Malliacenſi

Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo iterum *Pipinus* Rex cum exercitu perrexit Aquitaniam vnà cum Carlomano; captóque omni pago Aluernico ciuitatem Claromontem & Burbonis caſtrum igne cremauit. Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto Pipinus Rex placitum magnum habuit cum Francis apud villam Cariſiacum. Eodem anno fuit hyems grauiſſima, & tenuit gelu à decimo nono Kalendas Ianuarii, vſque ſexto Kalendas Aprilis. Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo iterum Pipinus Rex intrauit Aquitaniam, & conquiſiuit Lemouigas ciuitatem. Et *Bertha* Regina vxor eius apud Byturicas hyemauit. Eodem anno ſequenti, anno videlicet ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo *Pipinus* Rex obiit octauo Kalendas Octobris, apud Pariſios ciuitatem, morbo intercutis aquæ: & *Vuaffarius* fuit interfectus.

762. In Aquitaniam pergit Pipinus.

768. Pipinus ab humanis exceſſit.

Eodem anno Domnus Rex *Carolus* & *Carlomanus* vncti fuerunt in Reges ſeptimo idus Octobris. Franci ſiquidem facto ſolemniter generali conuentu ambos ſibi Reges conſtituunt, eâ conditione præmiſsâ, vt totum regni corpus ex æquo partirentur, & Carolus eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat, Carlomanus verò eam partem, cui patruus eorum Carlomanus præfuerat, regendi gratiâ ſuſci-

Carolus & Carlomanus inaugurati.

peret. Suſceptæ ſunt vtrinque conditiones, & pars regni diuiſi iuxta modum ſibi propoſitum ab vtroque recepta eſt. Manſitque iſta quamuis cum ſumma difficultate concordia, multis exparte Carlomani ſocietatem ſeparare molientibus, adeò vt quidam * rerum bella committere ſint meditati. Sed in hoc plus ſuſpicionis quàm periculi fuiſſe ipſe eorum exitus approbauit. Defuncto Carlomano vxor eius cum filiis & quibuſdam, qui ex optimatum eius numero Primores erant, Italiam fugâ petiit; & nullis exiſtentibus cauſis ſpreto mariti fratre, ſub *Desiderij* Regis Langobardorum Patrocinium ſe cum ſuis liberis contulit. Et Carlomanus quidem poſt adminiſtratum communiter quadriennio regnum deceſſit. Carolus autem fratre defuncto conſtituitur rex ſolus omnium Francorum.

al. * eorum

* Obit Carloman.

Anno igitur ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, ſui verò regni ſecundo, omnium bellorum quæ geſſit* primò Aquitanicum, à Patre inchoatum, ſed nondum finitum, quia citò peragi poſſe videbatur, fratre adhuc viuo etiam & auxilium ferre rogato, ſuſcepit. Et licet eum * fratre promiſſo fruſtraſſet auxilio, ſuſceptam tamen expeditionem ſtrenuiſſimè exequutus, non priùs ab incœpto deſiſtere voluit, quàm hoc quod efficere moliebatur perfecto fine concluderet. Nam vt *Himaldum*, qui poſt Vaifarij mortem Aquitaniam occupauerat, bellúmque iam penè peractum reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere & Vaſconiam petere cogit. Quem tamen ibi conſiſtere non ſuſtinens, tranſmiſſo amne Garonna, Lupo Vaſconũ Duci mandat, vt perfugam reddat: quod niſi feſtinatò faciat, bellosè eum expugnaturũ. Lupus ſaniori vſus conſilio non ſolum fugitiuum reddidit, ſed etiam ſeipſum cum Prouincia, cui præerat, eius poteſtati commiſit.

al. * primũ

al. * frater

Ducem Aquitan. deuincit Carol. Mag.

Adriani PP. rogatu bellum in Longobardos ſuſcepit.

Compoſitis igitur rebus in Aquitania eóquebello finito, regni quoque ſocio iam rebus humanis exempto, precibus Adriani Romanæ vrbis Epiſcopi exoratus, bellum contra Langobardos ſuſcepit.

772.

Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo *Carolus* Rex intrauit Italiam, & concitato bello, quod priùs quidem & à patre eius, Stephano Papa ſupplicante, cum magna difficultate ſuſceptum eſt. Quia quidam ex primoribus Francorum,

Digitized by Google

cum quibus conſultare ſolebat, adeò voluntati eius reniſi ſunt, vt ſe Regem deſerturos domumque redituros, libera voce proclamarent. Captum tamen eſt tunc contra *Haiſtulfum* Regem, & celerrimè completum. Sed licet ſibi & patri belli ſuſcipiendi ſimul, ac potiùs eadem cauſa ſubeſſe videretur, haud ſimili tamen labore certatum ac fine conſtat eſſe completum. Pipinus ſiquidem Haiſtulfum Regem paucorum dierũ obſidione apud Ticinum & obſides dare, & erepta Romanis reſtituere atque vt reddita non repeterentur ſacramento fidem facere. *Carolus* verò poſt inchoatum à ſe bellum non priùs deſtitit, quàm & *Deſiderium* Regem, quem longa obſidione fatigauerat, in deditionem ſuſciperet. Filium eius ad Aligiſum, in quem ſpes omnium inclinatæ videbantur, non ſolùm regno, ſed etiam Italiâ excedere cogeret, omnia Romanis erepta reſtitueret. *Chrodogauſum* Foroiulij ducatus Præfectum res nouas molientem opprimeret & *Habilinum* ſocerum eius Taruiſa ciuitate obſeſſum caperet, totámque Italiam ſubiugaret, ſubactæque filium ſuum *Pipinum* Regem præficeret. Finis huius belli fuit ſubacta Italia. Et Rex Deſiderius perpetuo deputatus exilio in Francia, filius eius *Adalgius* Italiâ pulſus, & res à Langobardorum Regibus ereptæ *Adriano* Romanæ Eccleſiæ Rectori reſtitutæ Italiam intranti, quàm difficilis Alpium tranſitus fuerit, quanto labore Francorum in via, montium iuga & eminentes in cœlum ſcopuli, atque aſperæ cautes ſuperatę, longum eſt enarrare.

Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Rex *Carolus* vt audiuit quòd Saxones iterum rebellaſſent contra Francos, commouit exercitum aduerſus eos, bellúmque, quod quaſi intermiſſum videbatur, repetitum eſt. Saxones ſiquidem ſicut omnes fere gentes Germaniam incolentes, & naturâ feroces & cultui dæmonum dediti, noſtræque religioni contrarij, neque diuina neq; humana iura verentur tranſgredi. Suberant & cauſæ quæ quotidie pacem turbare poterant, termini videlicet vtrorumque vtique in plano poſiti, in quibus cædes & rapinæ, & incendia viciſſim fieri non ceſſabant. Ob quam rem ædificauerunt Franci in finibus Saxonum ciuitatem, quam vocauerunt Caroli vrbem; ſuceptum

Bellum contra Saxones.

Caroli vrbs.

verò aduerſus eos bellum, quod magnâ vtrinque animoſitate, maiore tamen Saxonum, quàm Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Videntes Saxones quia non potuerant Francis reſiſtere, venerunt maiores natu ad Domnum Regem Carolum poſtulantes pacem: & baptizata eſt multitudo populi ipſorum.

777. Deuicti Saxones à Carolo Rege.

Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo glorioſus Rex *Carolus* venit Saxoniam, loco qui vocatur patris Brunna; & ibi habuit placitum magnum, & ibi conuenerunt Saxones ad baptiſmum Catholicum; ædificauerúntque ibi Eccleſiam Franci, multáque millia populorum ibi baptizata ſunt, ea conditione à Rege propoſitâ, & ab illis ſuſceptâ, vt abiecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei Sacramenta ſuſceperunt; & Francis adunati vnus cum eis populus efficerentur. Hoc bello licet per multum temporis ſpatium traheretur, ipſe non ampliùs cum hoſte quàm bis in acie conlixit, ſemel iuxta montem, qui Oſneggi dicitur, in loco Theotinelli nominato. Et iterum apud Aiſa fluuium, & hoc vno men ſe paucis quoque interpoſitis diebus. His duobus prælis hoſtes adeò profligauit, ac deuicti ſunt, vt vlteriùs Regem neque prouocare, neque venienti reſiſtere auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi ſummis honoribus viri, conſumpti ſunt. Rex itaque omnium qui ſua ætate gentibus dominabantur & prudentiâ maximus, & animi magnitudine præſtantiſſimus: nihil in his quæ vel ſuſcipienda erant, vel exequenda, vel propter laborem detrectauit, aut propter periculum exhorruit.

In Hiſpaniam proficiſcitur.

Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octauo *Carolus* Rex aſſiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello decertans, diſpoſitis per congrua confiniorum eorum loca præſidiis, Hiſpaniam aggreditur, quàm maximo belli apparatu poterat, ſaltúque Pirenei ſuperato, omnibus quæ adiit opidis atque Caſtellis in deditionem acceptis, ſcilicet Pampilona, Oſca, Barſilona, atque Gerunda. Deinde acceptis obſidibus ſaluo & incolumi exercitu, reuertitur. Præter quod in ipſo Pyrenei iugo Vaſconiam perfidiam parumper in redeundo expertus eſt. Nam cùm agmine longo, vt loci & angu-

ſtiarum

ſtiarum ſitus permittebat, porrectus iret exercitus, Vuaſcones in ſummi montis vertice poſitis inſidiis (eſt enim locus ex opacitate ſyluarum, quarum ibi maxima eſt copia, inſidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partẽ, & eos qui nouiſſimi agminis incedẽtes ſubſidio præcedentes tuebantur, deſuper incurſantes in ſubiectã vallem deiiciunt; conſertóque cum eis prælio vſque ad vnum omnes interficiunt. Ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ iam inſtabat, protecti, ſumma cum celeritate in diuerſa diſperguntur: adiuuabat in hoc facto Vaſcones & leuitas armorum, & loci in quo res gerebatur, ſitus. E contra Francos & armorum grauitas, & loci iniquitas, per omnia Vaſconibus reddidit impares. In quo prælio *Egichardus* regiæ menſæ Præpoſitus; *Anſelmus* Comes Palatij, & *Ruolandus* Britannici limitis Præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præſens iudicari poterat, quia hoſtis eo perpetrato ita diſperſus eſt, vt ne fama quidem remaneret vbi nam gentium quæri potuiſſet. Domuit & Britones qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ ſuper littus Oceani reſidentes, dicto audientes non erant; miſsâ in eos expeditione, quâ & obſides dare, & quæ iungebantur ſe facturos polliceri coacti ſunt.

Vaſcones in Gallos irruunt, ac non multos affligũt.

Carolus Italiam petit.

Iterum *Carolus* Rex Italiam ingreſſus cum exercitu, ac per Romam iter agens Capuam, Campaniæ vrbem acceſſit: atque ibi poſitis caſtris bellum Beneuentanis ni dederentur comminatus eſt. Præuenit hoc Dux gentis *Aragiſus* filios ſuos *Rimoldum*, & *Grimoldum*, cum magna pecunia obuiam Regi mittens, rogat vt filios obſides ſuſcipiat, ſéque cum gente imperata facturum pollicetur. Præter hoc ſolum ſe ipſe ad conſpectum Regis venire non cogeretur. Rex vtilitate gentis magis quàm animi eius obſtinatione conſideratâ, & oblatos ſibi obſides ſuſcepit, & quæ petenbatur conceſſit, vnóq; ex filiis eius obſidatûs gratiâ retento, Legatis ob ſacramenta à Beneuentanis exigenda, atque ſuſcipienda cum Aragiſo dimiſſis, Romam rediit, indéq; Galliam reuertitur.

Anno ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo Baioaricum bellum & repente ortum, & celeri fine completum eſt, quod ſuperbia *Taſſilonis* Ducis excitauit. Qui hortatu vxoris, quæ

787. Item in Baioariam

filia *Deſiderij* Regis erat, ac patris exilium permaritum vlciſci poſſe putabat, iuncto fœdere cum Hunnis, qui Baioariis ſunt ab oriente contermini, non ſolùm imperata non facere, ſed etiam bello Regem prouocare tentabat. Cuius contumaciam animo ſitas Regis ferre nequiuit, ac proinde contractis vndique copiis Baioariam petiturus, ad *Lethum amnem cum maximo venit exercitu (is fluuius Baioarios ab Alamannis diuidit) cuius in ripa caſtris collocatis animum Ducis per Legatos ſtatuit experiri. Ille non pertinaciter agere, vel ſibi vel genti vtile ratus, ſupplex ſe Regi permiſit, obſides dedit; inter quos & *Theudonem* filium ſuum. Data inſuper fide cum iuramento, quòd ab illius poteſtate ad deffectionem nemini ſuadenti aſſentiri deberet. Sícque bello, quod quaſi maximum futurum videbatur, celerrimus eſt finis impoſitus. Anno ſequenti *Thaſſilo* Dux ad Regem euocatus, eò quòd pactum violare conatus ſit, non eſt redire permiſſus, neque prouinciam quam tenebat vlteriùs Duci, ſed Comitibus ad regendum eſt commiſſa. Anno quintodecimo regni Caroli Regis obiit *Hildegardis* Regina, coniux prædicti Principis, & Bertrada mater ipſius eodem anno defuncta.

al. * Lechũ

Obiere Hildegardis Regina, & mater Bertha.

789. Anno ſeptingenteſimo octuageſimo nono bellum illatum eſt Sclauis, qui noſtra conſuetudine Vuilei, id eſt, Vuinidi, ſuâ locutione Vuelitabi dicuntur. In quo & Saxones velut * auidiores inter cæteras nationes, quæ magis * ſigna iuſſæ loquebãtur, quanquam ficta & minùs deuotâ obedientiâ militabant. Cauſa belli erat, quòd Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, aſſiduâ incurſione laceſſebant, nec iuſſionibus coërceri poterant. Sinus quidam ab Occidentali Oceano Orientem verſus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, cùm in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ circumſedent nationes. Dani ſiquidem & Sueui, quos Nordmannos vocamus, & ſeptentrionale littus, & omnes in eo inſulas tenent. Ad littus auſtrale Sclaui & Agiſti & aliæ diuerſæ incolunt nationes. Inter quos vel prȩcipui ſunt, quibus tunc à Rege bellum inferebatur, Vuentelabi, quos ille vnâ tantùm & quam per ſe geſſerat expeditione, ita * contulit ac domuit, vt vlteriùs imperata facere minimè renuerent.

Bellum in Vuinidos.

al. * auxiliatores

al * ſigna Regis

f. * contriuit

Anno ſeptingenteſimo nonageſimo primo, Rex *Carolus* commoto magno exercitu bellum Hunis intulit, quod maximum omnium quæ ab illo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, fuit, quod ille & animoſiùs quàm cætera, & longè maiori apparatu adminiſtrauit. Vnã tamen per ſe expeditionem in Pannoniam, quam prouinciam ea gens incolebat, tunc fecit, cętera filio ſuo Pipino ac præfectis prouinciarum Comitibus etiam perficienda atque Legatis commiſit. Quod cùm ab his ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratum, octauo tandem anno completum eſt. Quot prælia in eo geſta, quantũ ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Cagreni erat ita deſertus, vt ne veſtigium in eo quidem humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congeſti ex longo theſauri direpti ſunt, neque vllum bellum contra Francos exortum humana poteſt memoria recordari, quo illi magis dilatati & opibus aucti ſunt, tantũ auri & argenti in regia repertum, tot ſpolia precioſa in prælijs ſublata, vt meritò credi poſſit hoc Francos Hunnis iuſtè eripuiſſe, quod illi ceteris gentibus iniuſte abſtulerant. Duo tantùm ex Proceribus Francorum eo bello interierunt: Hericus Dux Foroiulij, & Hierulus Baioariæ præfectus. Cæterùm incruentum pènè Francis hoc bellum fuit & proſperum exitum habuit, tametſi diutiùs ſui magnitudine traheretur. Poſt quod & Saxonicum ſuæ prolixitati conuenientem finem accepit. Boemanicum quoque & Linonicum quæ poſteà exorta ſunt diu durare non potuerunt. Quorum vtrumque ductu Caroli filij ſui, quem Burgundię regno præfecerat, celeri fine completum eſt.

791. Bellum infert Hunnis.

Tempore illo quo prænominatus Rex magnus *Carolus* accepit regni curam, Abbas nomine *Vualdricus* regebat hanc Abbatiam: cuius tempore quidam vir *Anſegaudus* nomine, partem ſuæ hæreditatis quam poſſidebat in villa Salonis vocata; nec non & alia villa, vocabulo Bargis, contulit Eccleſiæ S. Benigni Martyris. Similiter quidam *Leotadus* nomine, non contemnendam partem ſuæ poſſeſſionis in prædictis villis tradidit præfato Martyri Prouiſori Diuionenſis loci, cuius rei donationem fecit per chartæ conſcriptionem; in quo

Vualdricus Abbas S. Benigni.

Pontifex nominatus.

ſcripto vocatur Pontifex idem *Vualdricus*: cuius ſeries ita ſe habet: *Domino ſacro-ſanctæ Baſilicæ ſancti Benigni Martyris, ſub opido Diuionenſi conſtructæ, vbi venerabilis vir Domnus* Vualdricus *præeſſe videtur Pontifex, &* Dauid *Præsbyter*, & cætera quæ ſequuntur. Idem verò *Dauid* Præpoſiti fungebatur officio. Ipſe emit de quodam propinquo ſuo, Aldeberto vocato, manſum vnum cum omni terra ad eum pertinente, in villa Aſſiriaco. Per idem tempus quidam vocabulo *Egremarus*, & *Eua* vxor eius, in villa Noruia dicta, quandam partem ſuarum rerum dedit ad præfatum locum ſancti Benigni.

Aridius Abbas.

Defuncto Vualdrico Abbate ſucceſſit in regimine paſtoralis officij *Aridius*. Cuius tempore adoleſcens quidam ex nobili ortus progenie, nomine *Dodo*, veniens ad conuerſionem in hoc Diuionenſe monaſteriũ, Deo & ſancto Benigno cupiens militare, tradidit, prædicto Abbati Aridio, & Monachis huius loci, quicquid poſſidere videbatur in villa Salonis, & in Bargis, totum ad integrum, & in villa, Monfarulfi vocata, dimidiam quæ ad ſe pertinebat, cum omnibus appenditijs, & mancipiis de ſuper commanentibus. Et conſtituit, vt ipſi ſerui annis ſingulis vno die ad menſam fratrum darent frumenti modium vnum; in pane, vini modium vnum, ceruiſiæ modia duo; & pretium vnde poſſint præparari duo pulmentaria ſecundum quod præcipit Regula Monachorum.

Hildebrannus Abbas.

Memorato Abbate Aridio diem obeunte, *Hildebrannus* accepit curam regiminis. In cuius diebus quidam, *Frodo* nomine, dedit ad memoratam Eccleſiam ſancti Benigni terram quandam iuris ſui, ſitam in pago Belnenſi, in fine Conſimactenſe, in loco vocato Varnedo. Facta eſt hæc donatio anno primo imperij Caroli magni Regis. Peractis aliquot annis Hildebrannus in paſtorali cura defunctus eſt. Cui ſucceſſit Herlegaudus Abbas nobilibus huius prouinciæ natalibus ortus. Is omne patrimonium, quod ſibi ab anteceſſoribus relictum poſſidebat, vel quod à parentibus ſuis emere potuit, huic Eccleſiæ quam regebat totum contradidit. Sub eius tempore quidam *Vuiniterius* vocabulo, de terra proprietatis ſuæ in Aſſiriaco villa duos campos dedit ſancto Martyri Benigno. Iam eo tempore feruor monaſticæ Religionis tepuerat: iam vnuſquiſque in bonis parentum ſuorum hæres fieri

Hildebrãni mors.

Herlegandus ſucceſſit.

Digitized by Google

quærebat: vnde quidam eorum quod ſibi acquiſierant, in ſeruitium fratrum & communem vtilitatem loci publicè contradebant. Dederunt igitur *Dodo*, *Amalbaldus*, *Heraclius* res quas poſſidebant in Salonis villa, atque Bargis. Similiter Vuitgerius Preſbyter quicquid in prædictis villis à parentibus ſuis acquirere potuit, ſancto Benigno Martyri contradidit. Quidam quoque * *Lebranldus* Clericus, Preſbyter ordine, gradu ex parentela eiuſdem Abbatis Erlegaudi exiſtens, intra caſtrum Diuion manſum vnum, & foris muros terras quæ pertinebant ad præſcriptum manſum quæ emerat à quodam *Adalrao* germano *Farulfi*, qui erant parentes ſui, & præfati Abbatis, contulit ſancto Martyri Patrono huius loci. Vixit autem prędictus Abbas & perdurauit in regimine monaſterij vſque ad tempora Ludouici filij ſæpiùs dicti Caroli Magni.

al. *Leotaldus

Præfatus igitur Rex *Carolus* vltimum bellum egit contra Normannos, qui Dani vocantur: primò quidem piraticam exercentes, deinde maiori claſſe aggregata littora Galliæ atque Germaniæ vaſtabant. quorum Rex *Godefridus* adeò vanâ ſpe inflatus erat, vt ſibi totius Germaniæ poteſtatem promitteret, Frifiam quoq; atque Saxoniam haud aliter atq; ſuas Prouincias æſtimabat. Iam autem Abroditos vicinos ſuos in ſuam ditionem redegerat: iam vectigales fecerat. Iactabat etiam ſe breui Aquiſgranni, vbi Regis comitatus erat, cum maximis copiis aduenturum: nec dictis eius fides abnuebatur, quin potiùs verba ſequeretur effectus operis, niſi feſtinatâ fuiſſet morte præuentus. Nam à ſuo ſatellite interfectus, belli à ſe inchoati celerem finem impoſuit. Hæc ſunt bella quæ Rex potentiſſimus per annos quadraginta & ſeptem (tot annis regnauit) in diuerſis terrarum partibus ſummâ prudentiâ atque fœlicitate geſſit, quibus regnum Francorum, quod poſt patrem Pipinum magnum quidem & forte ſuſceperat, ita nobiliter ampliauit, vt penè duplum illi adiecerit. Nam cùm priùs non ampliùs quàm ea pars Galliæ, quæ inter Renum & Ligerim Oceanúmq; ac mare Balearicum iacet; & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium Renúmque ac Salam fluuium, qui Thuringos & Sarabos diuidit, poſita, à Francis, qui Orientales dicuntur, inco-

Vltimum Caroli Magni bellũ. De Normãnis ſeu Danis.

quæ regno Franciæ acquiſiuit Carolus Mag. enumerantur.

Digitized by Google

litur: Et præter hæc Alamani atque Baioarij ad regnum Francorum pertinerent. Ipſe per bella memorata primò Aquitaniam & Vaſconiam, totúmque Pyrenei montis iugum, & vſq; ad Hibernum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertoſæ ciuitatis mœnia Balearico mari miſcetur. Deinde Italiam totámque ab Auguſta Prętoria vſque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneuentanorum conſtat eſſe confinia, decies centum & eo ampliùs paſſuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & eius quæ à Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cùm in longitudine poſſit eſſe conſimilis. Poſtquàm vtramque Pannoniam & ad poſitam ex altera parte Danubij Daciam, Hiſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam & iunctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit. Deinde omnes Barbaras, ac feras nationes quæ inter Rhenum ac Viſulam fluuios, Oceanúmque ac Danubium poſitæ, linguâ quidem pœnè ſimiles, moribus verò atque habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias efficeret: inter quas ferè præcipuè ſunt Vueletabi, Sorabi, Abroditi, Boemſani: cum his namque bello conflixit cæteras, quarum multò maior eſt numerus, in deditionem accepit.

Auxit etiam gloriam regni ſui quibuſdam Regibus ac gentibus, per amicitiam ſibi conciliatis: adeò namque *Adefonſum* Galliciæ atque Aſturicæ Regem ſibi ſocietate deuinxit, vt his cùm ad eum litteras vel Legatos mitteret, non aliter illum, quàm proprium Dominum ſuum appellari iuberet. Scotorum quoque Reges ſic habuit ad ſuam voluntatem per munificentiam inclinatos, vt eum nunquam aliter niſi Dominum, ſéque ſubditos & ſeruos eius pronunciarent. Cum Aaron Rege Perſarum, qui exceptâ Indiâ totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium qui in toto orbe terrarum erant Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ſolúmque illum honore ac munificentia ſibi colẽdum iudicaret. Imperatores etiam Conſtantinopolitani * *Nichoforus*, *Michaël & Leo* vl-

al. *Nicephorus*

trò amicitiam & ſocietatem eius expetentes, etiam complures ad eum misêre Legatos ; cum quibus tamen propter ſuſceptum à ſe Imperatoris nomen, & ob hoc quaſi imperium eis eripere vellet, valde ſuſpectus, fœdus firmiſſimum ſtatuit, vt nulla inter partes cuiuſlibet ſcandali remaneret occaſio : erat omnis ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia.

Vxores & progenies Caroli Mag.

Habuit vxorem nomine *Hildegardam* de gente Sueuorum, præcipuæ nobilitatis fœminam : de qua tres filios, *Carolum* ſcilicet *Pipinum*, & *Ludouicum*; totídemque filias * *Hernodridem* & *Berritem* & *Giſlam* genuit. Defunctâ Hildegardâ *Faſteradam* duxit vxorem ; de qua habuit duas filias, *Theoderadam*, & *Hildrudem* : quæ de orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente erat. Quâ obeunte *Leudegandam* Alemanam duxit. Poſt cuius mortem tres tantùm habuit concubinas, *Gerſuindam*, *Adalindam*, & *Reginam*, quæ ei *Drogonem* & * *Hugum* genuit. Ex his omnibus duos tantùm filios, & vnam filiam, priuſquam moreretur, *Carolum*, & *Pipinum*, quem Italiæ Regem præfecerat, *Ruotrudem* quæ filiarum eius primogenita & Conſtantino Græcorum Imperatori deſponſata erat. Erat ei filius, nomine *Pipinus*, ex concubina editus ; facie quidem pulcher, ſed gibbo deformis. Is cùm pater bello contra Hunos ſuſcepto in Bauaria hiemaret, ægritudine ſimulata cum quibuſdam ex Primoribus Francorum, qui eum vana regni promiſſione illexerant, aduerſus patrem coniurauit. Quem poſt fraudem detectam, & coniuratorum damnationem, detentum in Cœnobio Pruina religiosè iámque volentem vacare permiſit. Facta eſt & alia priùs contra eum valida coniuratio in Germania ; cuius authores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen exilio deportati ſunt ; neque vllus ex eis interfectus eſt, niſi tres tantùm, qui cùm ſe, ne comprehenderentur, ſtrictis gladiis deffenderent, aliquos etiam occidiſſent, quia aliter eos coërcere non poterant, interempti ſunt. Harum tamen coniurationum *Faſtradæ* Reginæ crudelitas cauſa & origo extitiſſe creditur. Et idcircò in ambabus contra Regem conſpiratum eſt, quia vxoris crudelitati conſentiens, à naturæ ſuæ benignitate ac ſolitâ manſuetudine immaniter exorbitaſſe videbatur.

al. * Hruotrudem & Beretham

Concubinæ.

al. * Hugonem

Coniurationes in eum.

Digitized

Colebat præ cæteris ſacris & venerabilibus locis apud vrbem Romam beati Petri Apoſtoli Eccleſiam, in cuius donaria, magna vis pecuniæ tam in auro quàm argento, nec non in gemmis, ab illo congeſta eſt. Multa & innumera Pontificibus munera miſſa. Neque ille toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma ſuo labore, veteri pollens authoritate, & Eccleſia ſancti Petri per illum non ſolùm tuta ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſiis eſſet ornata atque ditata. Quam cùm tanti penderet, tamen intra quadraginta ſeptem annorum ſpatium, quibus regnauit, quater tantùm illò votorum ſoluendorum ac ſupplicandi causâ profectus eſt: vltimi aduentus ſui non ſolùm hæ fuere cauſæ, verùm etiam quòd Romani *Leonem* Pontificem multis affectum iniuriis, erutis ſcilicet oculis linguáque amputatâ, fidem Regis implorare compulerunt. Idcircò Romam veniens propter reparandum qui nimis conturbatus erat, Eccleſię ſtatum, ibi totum hyemis tempus extraxit, quo tempore Imperatoris & Auguſti nomen accepit.

Quare Romã quartò petierit.

Extremo vitæ tempore cùm iam & morbo & ſenectute premeretur, euocatum ad ſe *Ludouicum* filium, Aquitaniæ Regem, qui ſolus filiorum Hildegardæ ſupererat: congregatis ſolemniter de toto regno Francorum Primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni & imperialis nominis hæredem conſtituit. Impoſitóque capiti diademate Imperatorem & Auguſtum iuſſit appellari. Suſceptum eſt hoc eius conſilium ab omnibus qui aderant magno cum fauore. Nam diuinitus & propter regni vtilitatem videbatur inſpiratum: auxítque maieſtatem eius hoc factum, & cæteris nationibus non minimum terrorem incuſſit. Deceſſit anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo quintodecimo, ætatis verò ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, & ex quo regnare cœperat quadrageſimo quinto, ſeptimo Kalendas Februarij. Appropinquantis finis complura fuere prodigia, vt non ſolùm alij, ſed etiam ipſe hoc minitari ſentiret. Per tres namque continuos vitæque termino proximos annos, & ſolis & lunæ creberrima defectio. Et in ſole macula quædam atri coloris ſeptem dierum ſpatio viſa. Ipſe quoq; cùm vltimam

Ludouicus Rex & Imperator proclamatur à patre.

Moritur Carolus Imp.

815 *ſeu* 814.

in

Digitized by Google

in Saxonia expeditionem contra Godefridum Regem Danorum ageret, quadam die cùm ante ſolis ortum caſtris egreſſus iter agere cœpiſſet, vidit repentè delapſam cœlitus facem cum ingenti lumine à dextra in ſiniſtram per ſerenum aërem tranſcurrere: cunctíſque hoc ſignum quid portenderet admirantibus, ſubitò equus quem ſedebat capite deorſum merſo cecidit, eúmque tam grauiter ad terram eliſit, vt fibula ſagi ruptâ, balteóque gladij diſſipato, à feſtinantibus qui aderant miniſtris exarmatus, & ſine adminiculo leuaretur, iaculum etiam quod tum fortè tenebat manu, ita elapſum eſt, vt viginti vel eò ampliùs pedum ſpacio longè iaceret. Sepultus eſt in Baſilica quam ipſe *Aquiſgrani* palatij ædificauerat propter amorem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ob honorem ſanctæ & perpetuæ Virginis genitricis eius Mariæ. In hac ſepultus eſt eadem quâ defunctus eſt die. Arcúſque ſupra tumulum deauratus extructus eſt, cum imagine & titulo hoc modo deſcripto: *Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli Magni atque Orthodoxi Imperatoris; qui regnum Francorum nobiliter ampliauit, & per annos quadraginta ſeptem fœliciter rexit.* *Sepultus Aquiſgran.*

Poſt cuius exceſſum *Ludouicus*, cognomento Pius, adeptus ſedem imperij, magno moderamine per annos * viginti-quinque Francorum regnum diſpoſuit. Et fines regni quos pater eius pugnando longè latéque dilatauit, hic ſapienter præuidendo vndique ab hoſtibus cuſtodiuit. Nam & Græcorum calliditates & cauillationes prudenti conſilio deuitauit, & Sarracenorum perfidiam, qui ab Hiſpaniæ partibus erumpere cupiebant, fortiter compeſcuit, & Danorum audaciam potenti virtute terruit. Habuit filios tres, ſcilicet *Lotharium*, *Ludouicum*, atque *Pipinum*. Defunctâ coniuge priore, duxit aliam, *Iudit* nomine: ex qua ſuſcepit *Carolum*. Diuiſiones verò regni inter liberos ita fecit, vt *Lotharius*, qui maior natu erat (cui & imperij conceſſit inſignia) poſt ſe regnum Italiæ obtineret, & partem Franciæ quam Moſa & Renus flumina inter ſe includunt, partémque Burgundiæ: *Ludouicus* verò Germaniam, hoc eſt, Bauariam & Saxoniam, & reliqua regna quæ Carolus Magnus pater ſuus bellando ſubegerat; id eſt, Pannoniam, Daciam, Iſtriam, Liburniam, atque Dal- *Alii* 26. Imperium Ludouicus prudenter adminiſtrat. Diuidit inter filios.

maciam; Barbaras quoque gentes, quas tributarias fecerat, qui ſunt Veletabi, Sorabi, Abodriti, Boemani, & reliqui, quos longum eſt enumerare. Has omnes gentes memoratus Auguſtus *Ludouicus* omni tempore vitæ ſuæ habuit ſubiectas. Pipino etiam conceſſit regnum Aquitaniæ cum Vaſconia, & omnem terram vſque Hiſpaniam quam Carolus ſubiugauerat.

Carolus, qui minimus erat natu, adeptus eſt Franciam, atque Burgundiam, & Neuſtriam: de qua re indignati ſunt fratres ſui, vel quia ex alia matre natum nolebant eum ſibi æquari, vel quòd principalis & melior pars regni ei collata fuiſſet à patre. Vnde poſt mortem Auguſti graue exortum eſt bellum inter eos; ſed quamuis in hac pugna vires exercituum Francorum contulerint, & exteris occaſionem rebellandi contulerint, tamen quod à patre eorum factum fuerat immutare non valuerunt. Ad extremum Carolus regnum etiam Aquitaniæ obtinuit. Pipino ſiquidem ante patrem defuncto remanſit filius, Pipinus & ipſe vocatus. Quem minus vtilem ad regnum gubernandum videntes Primates ſui & Principes ad Carolum ſe contulerunt. Huius Principis præſentiam adiens *Herlegandus* (quem ſupra retulimus huius loci Abbatem fuiſſe) ſuggeſſit auribus ſerenitatis eius Baſilicam ſancti Benigni Martyris eſſe dirutam, nec ſe habere qualiter eam reſtauraret. Vnde Auguſtus commonitus pia ſolicitudine ſcripſit Principibus & Magnatibus ſuis ita.

Helegaudus Abbas S. Benign.

In nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Ludocus *diuina ordinante Prouidentia Imperator Auguſtus*, Amadeo *Comiti*, Heliæ, & Vualdo, Iſembardo & Barberto *Vaſſis noſtris.*

Diploma Caroli Calui ad inſtaurandã S. Benign. Eccleſiam.

Notum ſit vobis, quia volumus vt adiutorium faciatis Herlegaudo Diacono ad reſtaurandam & recooperiendam Eccleſiæ ſancti Benigni Martyris Chriſti: propter illam ſcilicet rationem, quia compertum nobis eſt, quòd vos de ratione eiuſdem Eccleſiæ beneficia habeatis, & nonas & decimas in omnibus dare faciatis, quia iuſtum eſt. Propterea conſtituimus vobis, vt ad reſtaurandam illam Eccleſiam, & cooperiendam, adiutorium præſtetis. Videte vt omninò impleatis, atque expreſſum vobis demandamus, vt nullam exinde habeatis negligentiam, ſi gratiam noſtram vultis habere. Et vt certiùs cognoſceatis, hanc noſtram eſſe iuſſionem de annulo noſtro iuſſimus ſigillari.

Digitized by Google

Eo tempore præſidebat Lingonicæ Eccleſiæ Domnus *Albericus* Pontifex. Defuncto prænominato Abbate Herlegaudo, iam pene dilapſo monaſtico ordine, in hoc loco ſuſcepit curam regiminis memoratus Epiſcopus Albericus, dans Paſtorem congregationi hîc commanenti Helebertum ſub eo Coepiſcopum. Quo tempore factæ ſunt plurimæ commutationes vel coemptiones terrarum, tam ab ipſo Pontifice, quàm à Rectoribus loci iſtius: inter quæ facta eſt commutatio à *Seraphim* Abbate Beſuenſis loci, cum ipſo Herleberto coepiſcopo. Dedit Herlebertus in villis Luco & Verona quicquid erat iuris ſancti Benigni, & Seraphim è contra tradidit terras ſancti Petri quæ erant in Diuione, & in fine Domni Petri, & Longo Vico, & in Canauis, & in Arzilarias, & Tremoledo, & Fontanis, & Prouiſo & Diſto. Item *Albericus* Epiſcopus & *Fulchrius* * concaminauerunt terras. Dedit Fulchrius in fine Saciacenſi campos tres, & Albericus Epiſcopus dedit ei in Iſizodoro campum vnum, & vnum pratum. Item cum *Alderanno* fecit prędictus Epiſcopus * concamium. Dedit Adalrannus infra caſtrum Diuion manſum vnum, & foras muros campos tres in loco qui dicitur Petrafícta. Et Albericus Epiſcopus dedit è contra in Diuion vico peciolam de terra, & in fine Tremolenſi campum vnum. Item *Baldo* Præpoſitus, & cæteri cum eo Clerici, cum *Leotaldo* Preſbytero commutauerunt terram. Dedit Leotaldus peciolas duas de terra; vna eſt iuxta Diuion caſtrum, alia in loco qui dicitur Petrafícta: Fratres dederunt Leotaldo Præſbytero terram in fine Tremolenſi.

Albericus Lingon. Epiſcop. diſciplinã monaſticã Heleberto coepiſcopo Abbatiam gerente reſarcit.

al. * concãbierunt

* concãbiũ

Ludouico Pio terreni inſignia regni Anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quadrageſimo, perpetua fœlicitate commutanti, filij eius graui pernicie in ſemet diſſidentes, vnitum priùs pulcherimâ de diuerſis nationibus compage Francorum regnum fœdâ ſectione ſciderunt. quâ de re contigit, vt dum Optimates aulæ vniuſcuiuſque filiorum Regis aduerſus alterutrum affectare ſe ſimulant gratiam, quicquid vtile ſibi fore exiſtimaſſent, expetere non dubitarent. At regij adoleſcentes dum ſibi quiſque conſulit, & ne alter ei præferatur, cauet, iniuſtis aliquando petitionibus, inuito nihilominus aliquotiens animo, fauere cogebantur. Vnde

840.

Mortuo Ludouico Pio diſſidẽt filij.

Digitized by Google

factum eſt, vt locus iſte graue diſpendium pateretur poſſeſſionum, quæ vſque tunc temporis habuiſſe viſus eſt, id eſt, Maſciacum in pago Lingonico, Poſciacum & * Fontem-Laguis in pago Laticenſi, Viſernacum in pago Ternodorenſi, Vulnonem in pago Senonico, amiſit.

al.* Fontē-Lagnis

Exortâ, vt diximus, diſcordiâ inter fratres, tunc demum inter regni Primores conglobantur horribilia bella veluti inteſtina: deſeritur cuſtodia littorum oceani maris: augeſcit numerus hoſtium, creſcit innumerabilis multitudo Nortmanorum, Danorum, atque Britonum. Fiunt paſſim Chriſtianorum ſtrages, depręda tiones, vaſtationes, incenſiones. Capiuntur quaſcunque adeunt ciuitates nemine reſiſtente. Capitur Burdegala, Petragorium Xantonum, Lemouigas, Engoliſma, atque Tholoſa, Andegauorum, Turonenſium, perinde & Aurelianenſium ciuitates peſſundantur. Ad vltimum videntes Reges suâ diſcordiâ addi vires extraneis, & damna ciuium eſſe lucra hoſtium, pacificantur inter ſe primùm; tum deinde cum hoſtibus, qui regno eos expellere non potuerant, pactum cum eis ineunt; & quod armis tueri debuiſſent, pecuniis redimunt.

Lotharius Imperator.

Lotharius igitur obtinens imperij ſceptra, contentus fuit parte regni cum Italia atque vrbe Roma. Eo tempore Sarraceni inuadentes vrbem Romanam, ſpoliauerunt ſepulchra Apoſtolorum, & cætera ſanctorum loca. Anno qui fuit ab Incarnatione Domini octingenteſimus quadrageſimus quartus, *Lotharius* habuit filium nomine *Ludouicum*, quem cupiens ſibi ſucceſſorem fieri, vt coronam imperij ſumeret, miſit Romam, & cum eo *Drogonem* Metenſem Archiepiſcopum, ſuum ſcilicet auunculum, & reliquos Principes regni ſui. Qui venientes Romam nimis auſterè egerunt cum Romanis, vnde animos eorum ad rancorem concitauerunt. Accepto imperio domum reuerſus; non longè pòſt deceſſit: ſcriptum in geſtis Pontificum Romanorum.

844.

Ludouicus Romæ creato Imperatore paulò poſt moritur.

Ingelrannus Diuionenſ. Cœnobii curam gerit.

Per idem tempus defuncto *Herleberto* Coepiſcopo qui vices Paſtoris in hoc loco tenuerat, ſucceſſit ad regimen animarum *Ingelrannus* idem in Eccleſiaſticis gerens officium. Hic fecit commutationem de terra in Marcenniaco cum *Madalgerio* quodam, dans ipſe de terra ſancti Benigni cam-

Digitized by Google

pum habentem in Longum perticas viginti quinque, & recipiens ab illo duplum. Obeunte itidem Alberico Epiſcopo Lingonum, *Theutbaldus* Epiſcopus adeptus eſt cathedram. Hic ſicut predeceſſor ſuus ſtudioſus huius loci cultor, fecit commutationes terrarum in aliquibus locis cum quibuſdam hominibus. Cum *Adalſauo* commutauit terram in Fontanas ſubteriores, cum *Alberto* in Plomberias, cum *Vuldegerio* in fine Domiſo. In diebus eius dedit *Leotaldus* Preſbyter, vnus ex Clericis hîc commanentibus, in iſto Burgo, & in fine Tremolenſe partem hæreditatis ſuæ: & alter Clericus, nomine *Oliſius*, vendidit habitantibus iſthîc de ſua hæreditate in Longo-vico, & in Ficiaco. Sed & *Geraldus* Preſbyter commutauit cum *Vſuardo* terram in Longo-vico, recipiens procamium in Ilariaco, quod vtrumque eſt iuris ſancti Benigni. Ipſo tempore quidam, *Balduinus* nomine, dedit ad hunc locum in Fontanis-villa terram hæreditatis ſuæ. Similiter *Odolberga* & filij eius dederunt in Diuion manſum vnũ: ſed & *Vuarnerius* cum vxore ſua in * Merneolo dedit iornales quatuor. In pago quoque Cabilonenſi Villa-Rubiliaco dedit *Conſtantinus* quidam manſum vnum. *Hainardus* etiam Preſbyter vendidit Rectoribus huius loci res ſuas, ſitas in Villa-noruia. Alter quoque Preſbyter, *Hirſonnus* nomine, in villa Fontanas vineam ſuam tradidit. Adalranus quidam in eadem villa campum vnum ſimiliter precio diſtraxit. Nec non & *Ebbo* cum vxore ſua & filio, in pago Alſenſe in villa Sermatię & in Vitriaco manſum, cum omnibus quæ ad ipſum aſpiciunt, dedit. Cum *Samſone* verò commutauit prædictus Pontifex *Theutbaldus* terram in Villa-Alberici, Curtis vocata. Sed & vbicumque potuit res huius loci immeliorare curauit.

al. * Merueolo

Iſaac Lingon. Epiſc.

Abbatiam Diuionenſem reſtaurat.

Poſt cuius obitum Domnus *Iſaac* ſuſcepit Præſulatum. Hic prædeceſſorum bonum ſequens exemplum, nec vlli eorum paſſus eſſe inferior, hunc locum non ſolùm excoluit, verùm etiam in duplum, quàm anteà fuiſſet, ſtatum eius augmentauit. Baſilicam ſancti Benigni iam penè diruram in priſtinum ſtatum reſtaurauit: Monachicum ordinem reſtituit, poſſeſſiones ad victum eorumdem monachorum addidit. Hæc autem omnia, adhortante pariter & adiuuante præcelſo Rege *Carolo*, perfecit.

Digitized by Google

871. Carolus Caluus Imperator.

Idem verò inclytus Rex *Carolus*, anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo primo regens Francorum regnum, erga cultum Eccleſiæ Dei fuit ſtudioſiſſimus. Qua propter multa euicit pericula, & regni eius ſemper augmentabatur gloriâ. Defuncto ſiquidem vt iam dictũ eſt, *Pipino* fratre ſuo Rege Aquitaniæ, filióq; eius in regno ſubrogato, moderationem regni non ſtrenuè agens, à ſuis derelictus ac deiectus eſt, & Monachus in monaſterio S. Medardi factus. Carolus verò à cunctis Principibus expetitus Aquitaniæ regnũ eſt adeptus. Poſt non multos etiam annos mortuo *Lothario* Imperatore fratre eius, Carolus ſuſcepit Imperium. Sed Ludouicus alter frater cupiens iungere monarchiam regni; iterum contra Carolum bellum concitat, Normannos cæteráſque gentes in regnum Caroli euocat. Auxiliante autem Domino Carolus fratrem de finibus ſuis expulit, & Normannos intra Neuſtriam compreſſit. Hæc fuit ſecunda eruptio Normannorum in Franciam. Aliquantis tranſactis annis *Ludouicus* defunctus eſt, relinquens tres filios, *Ludouicum*, *Carlomanum*, *& Carolum.*

Secunda Normannorum in Galliam irruptio.

Caroli pietas.

Carolus igitur imperium adeptus Eccleſiarum Dei cultor deuotus, niſu quo potuit ſtudebat in cultu religionis deprauata corrigere, deſtructa reædificare, collapſa erigere. Vnde inter cætera comperiens locum hunc penè in nihilum redactum, commouit ex hoc venerabilem *Iſaac* Epiſcopum, quatinus reparari poſſet in priſtinum ſtatum, promittens ſe in omnibus adiuturum. Dedit igitur iſdem inclytus Rex Carolus ad hunc locum reſtaurandum, & in vſus ac ſtipendia Monachorum in hoc loco Deo famulantium, in ſuburbio Diuionis caſtri terram indominicatam, vbi ſeminantur modia *centum quinquaginta: vineas vbi colliguntur vini modia quingenta: prata vbi ſecantur carra fœni quinquaginta: ſyluam vbi ſaginantur porci ſexcenti: foreſtem piſcium à Ponto Diuionis vſque ad villam Floriacum: farinarios ſex; colonicas decem: mercatum pariter & Burgum ſimul & diſtrictũ colonicas ſex, & quinq; & in Lariaco colonicas decem; in Biciſo colonicas ſex & *ſemis, in villa Colonicas dicta; in Siliniaco colonicãvnam; in Dicmenſi colonicas ſemis; in Sconſio colonicas ſex, in Villari collonicas tres, farinarios duos: in Lentennaco colonicam vnam & *ſemis, in Girone colonicas

Multa cõ ferit S. Benigno.

al. *150.

al. *quinq; f. *dictas

al. *quinq;

duas, inter Corcellas & Flauiniacum colonicam vnam ; in Prouiſo colonicam ſemis, in Camboio colonicam ſemis : inter Patriniacum & Marcenniacum colonicam vnam · in quitiniaco colonicas duas , in Sacunino colonicam vnam ; in Cromaco colonicas duas ; in Aguliaco capellam habentem manſum vnum & Semis ; in Ruffiaco colonicam ſemis, & medietatem de Scoriaco-villa : in Caſnedo* colonicam ſemis ; in Bargis colonicam vnam ; in Miſſiniaco colonicas tres ; in Norgia colonicam vnam. Item in aliis Corcellis* colonicam ſemis, in Aziriaco-villa quicquid ſanctus Benignus habere videtur, ſcilicet Capellam cum colonica vna, & aliis colonicis ſex & ſemis, & farinario, & terrâ indominicatâ, vbi poſſunt ſeminari modia centum, & prata vbi poſſunt colligi fœni carra centum & quinquaginta. In villa Carle manſum indominicatum cum capella, & quicquid ibi videtur accipere : in Prunido manſum indominicatum, & quicquid ad ipſum manſum attinet, cum omnibus appenditiis, rebus & mancipiis ſuis. In Iuſiaco colonicas duas ; in Campaniaco colonicam vnam ; in Ateis colonicas duas. Has res omnes cum mancipiis deſuper commanentibus vtriuſque ſexus, dedit memoratus Carolus ſeruis Dei Monachis, in iſto loco Domino ſeruientibus, & futuris temporibus permanentibus, vt pro ſe & coniuge, nec non & liberis, atque totius regni ſtatu Domini implorent clementiam : idque præcepti ſui firmauit authoritate, vt nullus poſterorum de eiſdem rebus quicquam diſtrahere audeat, aut minuere, aut in alios vſus retorquere.

al *colonicas quinque.

al. *colon. ſ.

Iſaac igitur venerabilis Epiſcopus congregauit in hoc loco Monachos ſub Coepiſcopo & Abbate, nomine Berthilone ; qui regulariter viuerent, & Deo in perpetuum deſeruirent, & de omnibus quæ inclytus Princeps per præcepti ſui munificentiam contulerat, priuilegium eidem concordans Epiſcopalis Authoritatis edidit. In quo priuilegio in primis habere propriam electionem ſucciduis temporibus ex ipſis ſecundum Regulam ſancti *Benedicti* Abbatem eligere Monachis iſtius loci conceſſit. Eum verò qui electioni fratrum contradicere, ſeu eidem congregationi aliquam vim inferre, vel familiam affligere, aut aliquid ab eodem monaſterio auf-

Berthilo Coepiſcopus & Abbas S. Benigni.

Iſaac ius eligendi Abbatis concedit.

Digitized by Google

ferre, seu de rebus præscriptis beneficiare alicui præsumpserit, sua ac Coepiscoporum authoritate excommunicatum æternæ damnationis maledictione multandum, ac sancti Benigni, cui præiudicium inferre* voluerit, vltione damnandum, insuper anathema maranata est imprecatus. Huic excommunicationi Archiepiscopi quinque, & Episcopi decem numero subscripserunt: ac deinde omnes qui post eum fuerunt Ecclesiæ Lingonensis Episcopi.

al.* videtur

Anno vicesimo* sexto Domni *Caroli* Regis, qui est ab Incarnatione Domini octingentesimus sexagesimus sextus, residens *Isaac* Episcopus & *Odo* Comes, vel cęteri Missi Dominici in Luco villa in mallo publico ad res audiendas vel iudicandas, venit Alcaudus Aduocatus sancti Mammetis sanctíque Benigni, & sancti Stephani, vel ipsius Domni Isaac Episcopi, mallauit quendam* *Hildebrannum*, quòd ipse & sui Franci, suique serui in fine Saciacensi, Bruciacensi, & Gonliacensi in terra vel in sylua sancti Benigni quercum vnum truncassent: & quia tunc res non fuit definita, in sequenti anno, in ipso mallo, & eodem loco, iterum prædictus Aduocatus eundem hominem repetiit, eandem querimoniam ingerendo. In tertio verò anno in curte Arnonis ipso Domno *Isaac* Episcopo, *Odone* Comite,* *Hildeberto* Abbate, Bertranno atque cæteris missis Dominicis mallum gerentibus, iterum *Alcaudus* interpellauit prædictum Hildebernum, quòd res sancti Benigni, prædictam scilicet Saciacum-villam cum appenditiis suis iniustè retineret. Tunc iudicatum est à prædictis Scabineis, vt aut legem de malè perpetratis faceret & reuadiaret, aut quod iniustè tenebat legaliter redderet. Quod & fecit, & sancto Benigno vi ablata restituit. Hanc autē notitiam ideò huic operi interuimus, vt ostenderemus supra scriptam proprietatem Saciacensem ab antiquis temporibus iuris huius loci fuisse, quamuis multociens & ante hæc tempora, & posteà, fuerit sublata. Villam etiam quæ Longus-Vicus dicitur, quæ similiter fuerat ablata à dominatione huius loci, reddidit nobis præcellentissimus Imperator *Carolus*, cognominatus Caluus, cum Ecclesiis & omnibus rebus ad eandem villam pertinentibus. Similiter Albiniacum in pago Portuensi: ipsam videlicet potestatem cum

al.* quinto Multa ablata S. Benigno restituuntur.

al.* Hildebernum

al.* Hildebaldo

Ecclesiis

Digitized by Google

Eccleſiis & terris. Inſuper conſtituit per Præceptum regalis * poteſtatis, vt nullus deinceps audeat præripere vel auf- al * authoritatis
ferre memoratas res à ſubiectione huius Deo dicatæ Baſilicæ.

Bertillo igitur Coepiſcopus & Abbas in hoc loco conſtitutus cœpit erga curam officij ſibi commiſſi ſatagere, & poſſeſſiones vel dono vel precio datas, aut commutatione terrarum factas ſtuduit augmentare. Emit igitur à *Fulcardo* Præpoſito Eccleſiæ Lingonicæ, dato ſeptem librarum precio, in Aziriaco-villa manſum vnum, & terram arabilem in nouem campos diuiſam: dedit & Fulcardus Preſbyter in eodem loco campum vnum Deo & ſancto Benigno. Vendidit *Eldeiarnus* in eadem villa terram vbi poſſunt ſeminari modia ſex. Alter quidam *Eleardus* vocatus, vendidit quatuor manſa cum ędificiis & ſuprapoſitis in eadem villa. Alius quidam *Mummius* vocatus, veniens ad conuerſionem in hoc monaſterio dedit manſa quatuor cum appenditiis ſuis in eadem villa. Commutauit prædictus Abbas Bertillo cum ſupra nominato Fulcardo manſum vnum in eadem villa Aziriaco. Cum alio quodam viro, Bernoart vocato, commutauit terram in fine Longo-vici villa Corcellis, recipiens ab eo ſcamium in eadem villa, loco Caſſanias vocato.

Conſiderans Domnus *Iſaac* Epiſcopus *Bertillonem* Coepiſcopum & Abbatem ad vtrumque officium non poſſe ſufficere, quoniam tunc temporis res Eccleſiaſticæ ſimul & publicæ in magno erant diſcrimine ob infeſtationem paganorum, perturbato regni ſtatu, *Saronem* Abbatem conſtituit Saro Abbas.
ei ſocium ad regimen & curam animarum; vt dum iſte adiuncto cœtu fratrum diuinis ſtudet intender theeoriis, ille liberiùs Eccleſiaſticis inſeruiret miniſteriis. Dederunt per idem tempus aliqui de rebus ſuis ad ſtipendia fratrum augmentanda, prout vnicuique eorum diuina ipſpirauit clementia. Dedit* *Lodouicus* quidam Preſbyter in Aziriaco campum vnum al.*Lodinus
& pratum, atque ſeruum colonum. Dedit *Vindricus* in patriniaco vineam vnam; & Moyſes in Cangiaco, in Arſis caſale vnum, vineam vnã, de terra arabili iornales quatuordecim. al.*Bretam
Bertha Comitiſſa pro remedio animæ viri ſui *Vnfridi* Comitis dedit in pago Duſmenſe villa, Colonicas vocata, manſa tria

Digitized by Google

cum ſeruis & ancillis deſuper commanentibus. Dedit *Richardus* quidam de nobilibus in pago Belnenſi, in villis Sentilliaco, Mammiaco, Cuſſiniaco, & in pago Magnimontenſi, in villa, Alba terra vocata, hæreditatem ſuam. Dedit *Teudfredus* Preſbyter ad conuerſionem veniens, in Bargis manſum vnum, terras ei ſubiunctas, & in Diuion vico manſum ſemiſque, & terras arabiles. Dedit* *Giſlebertus* Eccleſiam in Sauiniaco ſitam, & manſum cum atrio, & ſepultura, & hortum cum ædificiis circumpoſitis, & terris, & mancipiis, & ſyluam, vbi poſſunt ſaginari porci quadraginta.

al * Gallubertus

Sed & terras, quæ nuper ablatæ fuerant ab huius loci dominatione, in Bargis, in Eſcoriaco, in Siliciaco, repetierunt tunc *Iſaac* Epiſcopus, & *Bertillo* Coepiſcopus & Abbas, ab hiis qui eas inuaſerant. Commutauit idem Domnus Iſaac Epiſcopus cum *Eppleno* quodam ex nobilibus in Diuion caſtro commanentibus, terras ipſo Milite poſtulante. Dedit igitur Epplenus de ſuo alodio proprio Iſaac Epiſcopo ac Monachis huius loci in villa Corcellis, in Cauiniaco, in quintiniaco, in Criciaco, Briſcono, Tremoledo. E contra Domnus Iſaac dedit Eppleno in Villa Caſnedo manſum vnum cum omnibus appenditiis ſuis.

al * Expleno

Iſaaci Epiſcopi liber Canonum.

Idem Venerabilis Iſaac Epiſcopus fecit & alia multa vtilia in Epiſcopatu ſuo, monaſteria corrigendo, Eccleſias releuando. Compoſuit & librum qui dicitur, *Canones Iſaac*: Eò quòd ex libris Canonum vtiliora quæque eligendo in vnum volumen coartauerit. Peractis in Epiſcopatu annis viginti-quinque, obiit Catalaunis, ſepultúſque eſt Remis; inde poſt aliquot annos Argrinni Epiſcopi ſtudio & Regis Caroli, ſimplicis vocati, dono tranſlatus iacet in hac Baſilica condigno honore tumulatus. Cui ſucceſſit *Geilo* in Epiſcopatum, & ipſe inter præcipuos egregius.

Mors: ſepultura. Succeſſit Geilo.

Vita functus Carolus Rex.

Carolus Imperator ſecundò ire Romam diſponens, Italiam ingreditur. E contra *Carlomanus* Ludouici Regis fratris eius filius, per aliam viam eandem terram ingreſſus, cum immenſo exercitu fit ei obuius. Carolus verò Galliam reuerſus atq; fines Lugdunenſium pertingens, ibidem vita defunctus eſt. Atq; in Monaſterio Apoſtolorũ Petri & Pauli conditus, loco qui dicitur Nantoide à multitudine aquarũ ibi cõfluen-

Digitized by Google

tium. Poſtmodum per admonitionem Angelicam inde tranſlatus, Pariſius in Eccleſia ſancti Dionyſij regali ſepultura eſt tumulatus. Succeſſit Patris in ſolio *Ludouicus*, biennio vix regio nomine functus. Huius in diebus *Ioannes* Papa Romanus Franciam venit, & apud Trecas ciuitatem cum eodem Rege conlocutus, paruo tempore ibidem moratus, ſicque Romam eſt reuerſus. His diebus effera Danorum natio tertiam Neuſtraſiis inflictura cladem aduenit. Intuliſſétque maiorem ſuperioribus, ni Hugo per Gallias Abbatis honore præditus eorum temerarios compeſcuiſſet auſus. Auxiliante namque Deo parua manu tantas hoſtium phalanges fudit, vt vix ſupereſſet qui nuntiare potuiſſet. Quâ plagâ humiliati Dani Gallias per aliquod ſpatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello præfuit *Ludouicus* Rex. At Hugone vltimos vitæ ſuæ claudente ſoles, Ludouicóque Principe poſt adminiſtratum, vt diximus, biennio regnum, diem obeunte, *Carolus*, qui poſteà *Simplex* eſt dictus, in cunis æuũ agens, patre orbatus remanſit. Supererant duo filij *Roberti* Andegauorum Comitis, fratres *Hugonis* Abbatis. Senior Odo dicebatur, Robertus alter patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Odonem Franci tutorem pueri, regníque elegêre gubernatorem; quia recidiui Normannorum excurſus imminebant. In partibus verò regni, quæ *Lotharius* & *Ludouicus* tenuerant, filij eiuſdem Ludouici regnabant. Nam *Lotharius* ſine filiis obierat. Ex his tribus fratribus vnus patris nomine vocatus, alter *Carlomanus*, tertius *Carolus* eſt dictus. Sed duobus intra quinquennium defunctis ad iuniorem Carolum rerum ſumma peruenit. Póſtque imperij monarchiam eſt adeptus. Ad hunc accedens dominus *Geilo* Reuerendus Antiſtes petiit, vt de quibuſdam rebus ab hoc loco ſubtractis, & à ſe reſtitutis, Præceptum regalis authoritatis fieri iuberet. Quod ipſe Rex libenter annuit, & per Præceptum conſtituit, vt duodecim manſa in villa Homberias ad luminaria Eccleſiæ ſancti Benigni delegata, nullus in poſterum ab hac domo alienare vel ab ipſo miniſterio auferre præſumeret. Quod ſcriptum factum eſt anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo octuageſimo quinto, Imperij verò ipſius Caroli in Italiaq uinto, in orientali Fran-

Ludouicus Balbus Rex

879.

Dani tertiò in Gallias irruunt, ſed ab Hugone Abbate expelluntur.

Conſona hiſ habet Chron. Beſuenſe.

Carolus Rex.

885.

cia quarto, in Gallia primo, post obitum Caroli Calui decimo.

Refert quidam scriptor in eo opere, quod metrico stilo composuit de excidio Parisiacæ vrbis, quo per septem annos à Normannis obsessa, atque vastata est; hunc *Carolum* congregato immenso exercitu expugnare Nortmannos voluisse. Quod illi audientes Legatos mittunt ad Carolum, promittunt se ei subiici, cuncta ab eo imperata facere, ad quod voluisset paratos fore, tantùm si permittantur intra regnum consistere & pacificè Francis cohabitare. Quibus promissionibus delusus Rex, credens vera esse quæ dicebantur, intermisit bellum. Nec multò pòst Carolus moritur. Nortmanni verò resumptâ audaciâ inuadunt ciuitates Beluacensium atque Meldorum, nec non & Milidunum deuastant castellum. Capitur Carnotis ac reliquæ secus vndique ciuitates: nam in primo suo aduentu Rotomagum, Ebroas, Baiocas & cæteras Neustriæ ciuitates depopulati fuerant. Gallias insuper peruagantur: Hispanias adeunt; Rhodanum intrant fluuium. Italiam populantur & totum Christianorum pessundatur regnum. Intereà congregati Francię Principes consilium ineunt de magnis rebus; *Odonem* licet reluctantem constituunt Regem. Qui mente benignus, & Reipublicæ hostes arcendo strenuè præfuit. Et Carolo post quam adoleuit sua repetenti patienter regna refudit. A quo parte regni redonatus quoad vixit tempore hostibus terribilis extitit. His temporibus Incarnationis Christi octingentesimus nonagesimus primus voluebatur annus.

Carolus moritur. Normanni per Galliã grassantur.

Odo Rex constituitur.

Eo tempore defuncto *Geilone* Episcopo, *Teudbaldus* Lingonicam regebat Ecclesiam: Abbatum verò huius loci series paululùm intermissa nunc est replicanda. *Bertilone*, & *Saro-ne* Abbatibus ad æternam vitam translatis, successit *Hingo*. Saro siquidem in Pultariensi loco sibi commisso quieuit. *Bertilo* autem moriens in hoc loco inter sepulchra sanctorum tumulari meruit. Ad cuius tumbam si fides petentium exigat, febricitantium crebræ sanitates fiunt. Anno denique Dominicæ Incarnationis M. XLV. *Halinardo* Abbate hunc locum regente, decimo quinto ipsius anno, cùm transferretur, quia sepulchrum eius impediebat introitum cryptæ sancti Benigni, à parte meridiana effosso tumulo, &

Theobaldus Ling. Episcop. Abbates S. Benigni recẽsentur.

ed by Google

ad pedes eius aliâ foſsâ preparatâ, quâ remoueri deberet; Monachis adſtantibus cum crucibus & thimiamateriis, & luminaribus ; multis ingerentibus manus ad mouendum, quoniam immenſum erat ſarcofagum , ſubitò omnes ad terram corruunt: ſurgentes verò inueniunt ſarcofagum in præparato loco decenter compoſitum ; & accedentes vt viderent qualiter locatus eſſet in tumulo, aperto opertorio fragrantiam miri odoris ſenſerunt omnes qui adfuerunt. Et ecce corpus eius monachili habitu indutum, ſtolâ ſacerdotali auro texta erat ornatum. Caput verò eius, quod ei fuit abſciſſum, corpori adiunctum; & circa idem ſanguis erat coagulatus in ſepulchro. *Hingo* igitur Abbas ordinatus, licet paruo tempore, id eſt, triennio, agri dominici cultor fuit deuotus. Nam prout potuit terrena & exteriora augmentauit; diuinum verò cultum in nullo tepeſcere permiſit. Quæ autem in diebus eiuſdem vel empta ſeu comutata ſunt in poſſeſſione agrorum, ſcribere non pigebit.

Vualtemus Preſbyter quidam in Rufiaco, in Patriniaco, in Gironno dedit partem ſuæ hæreditatis. *Salamannus* in Aziriaco. *Flothbertus* in Marcēniaco. *Attila* in Patriniaco. *Richulphus* in villa Aſinarias. *Deodatus* quidam de nobilibus veniens ad Conuerſionem in villa Attegias dedit manſum cum ſupra poſito, & Mancipiis ibi commanentibus. *Biuinus* dedit in villa Noruia capellam in honore ſancti Valerij dicatam: manſum indominicatum cum terris & omnibus appenditiis ſuis. *Vuarnerius* dedit in pago Belnenſi in villa, Bononicurte vocata, campum vnum. *Hugo* quidam dedit in caſtello Diuion cultillum vel aream vnam, & foris terram ibi aſpicientem in ipſa fine, atque vineam *Bettho* quoque Preſbyter ſancti Stephani, Canonicorum Præpoſitus , dedit manſum vnum cum ſuprapoſito, atque ædificiis; in villa Curte Mulniſæ in pago Diuionenſi *Fulchradus* vendidit ipſi Abbati in Aziriaco campum vnum. *Teudegerius* alterum. Accepit in commutatione à quodam *Huberto* in Canauis terram & vineam iuxta ſitam, dans ei in Salonis-villa campum vnum. Similiter fecit cum *Euurardo* dans in Aguliaco caſale cum vinea, & campos duos de terra arabili, & recepit ab eo in villa Bargis manſum vnum cum ſuprapoſito, omniáque in ipſa villa vel

in Noruia ad ipſum manſum aſpicientia.

Defuncto *Hingone* ſucceſſit *Hildebrannus* in regimine. Et hic paucis annis tranſactis ad cœleſtia regna migrauit. Hi ambo ſub Geilone Epiſcopo præfuerunt in hoc Monaſterio. Poſt Hildebrannum Abbatis officium ſuſcepit *Godefridus* tempore Teudebaldi Epiſcopi. Sed poſt aliquantos annos, & iſto migrante, ſuſcepit *Vualo* curam regiminis. Horum vterque præfuit tempore *Odonis* Regis. Eo tempore *Richardus* Dux Burgundiæ reddidit ſancto Benigno manſum vnum, cum vineis & terris aliis iuxta ipſum poſitis, & ad ipſum aſpicientibus, ſitum in proximo pago Belnenſe, & in villa Giuriaco. Huic rei interfuit *Theudebaldus* Epiſcopus, *Girbaldus*, *Vuido* ac *Radulfus* Comites, *Madelgaudus* Oſcarenſium Vicecomes, *Guntrardus* ſancti Benigni huius rei teſtis & Aduocatus. Actum Longo-vico in mallo publico.

893. Anno Incarnati Verbi octingenteſimo nonageſimo tertio, *Odone* regnante in Francia, *Arnulfo* in Italia atque Saxonia, *Carolus* iam inuenis regni repetiit ſceptra, atque memoratus Arnulphus imperij inuaſit Monarchiam. Tunc primùm à Francorum Regibus ad extraneos tranſlatum eſt imperium. Principibus regni vilipendentibus Carolum ob mentis tardum ingenium, Odone Rege duodecimo anno regni ſui defuncto: qui quoad vixit hoſtes fortiter compreſſit, reciprocati Normanorum & Danorum inſurgunt fluctus. Hungari ab Aquilone, Sarraceni à meridie ac finibus Hiſpaniæ prorumpentes, in interitum confluunt Galliæ: per omnia ſæuit gladius, cuncta dantur incendio, ſanctorum loca traduntur exterminio.

Ablatum Frãcis imperium.

Galliæ regnum in ſummo diſcrimine.

His vndique ſæuientibus malis, contigit corpus ſancti Benigni ad ciuitatem deferri Lingonis: præſidebat tum illi Eccleſiæ Domnus *Argrinus*, Paſtor in cura huius loci valde ſolicitus. Monachorum verò habitantium in iſto loco Abbas erat nomine *Lanterius*, ad ipſum officiũ valde ſtudioſus. Burgundia tunc vaſtata eſt à Normannis, quibus occurrens præfatus Dux *Richardus* in loco, vocato Argentoilo, commiſſo cum eis prælio cæſa eſt eorum quàm plurima multitudo: ſicque Dani humiliati retro redire ſunt coacti. Iterum apud Carnotum, ſocio *Roberto* Duce, *Odonis* Regis fratre, Richar-

al. * Algrinus

Vaſtata Burgundia.

Richardi Ducis filii.

Digitized by Google

dus cum Normannis dimicauit, & eorum innumeram multitudinem occidit. Habuit iſdem Richardus filium, nomine *Rodulphum*, qui fuit Rex Francorum. Alter filius vocatus eſt *Boſo*, qui Burgundiæ ſuperioris, quæ Gallia comata dicitur, accepit regnum. Tertius filius dictus eſt Hugo, cognomento Capito, qui fuit Dux inferioris Burgundiæ. Exortâ diſcordiâ inter Carolum & regni principes, lites & bella, rapinæ, & incendia, innumera vndique ſæuiunt mala. Tandem Rex facti penitens Principes ad concordiam commonet, pacem exoptatam cum eis firmat.

Hic *Carolus* Rex petente Richardo Duce, & Manaſſe Comite, fecit nobis Præceptum de Abbatia ſancti Ioannis, & cunctis ad eam pertinentibus rebus. Extitit eo tempore *Ademarus* quidam illuſtris vir ex Senatoribus, multas habens poſſeſſiones tam in Diuionenſi pago, quàm in aliis regionibus, ſcilicet pago Turonenſi, Aurelianenſi, Senonico, Antiſidiorenſi, Tornodorenſi. Ipſe Ademarus & coniux eius, *Lampaia* nomine, dederunt ſancto Benigno manſum vnum indominicatum cum ſuprapoſito, terriſque ad eum pertinentibus ac ſylua; qui manſus eſt in villa Ruffiaco; & aſpiciunt ad ipſum manſum, exceptis indominicatis terris, colonicę & manſa veſtita ſeptem, & quinque * abſi. Dedit & mancipia vtriuſq; ſexus numero quadraginta octo. Dedit Eccleſiam ſancti Gregorij nomine ſacratam, in Eſcoriaco villa poſitam; & quicquid ad ipſam aſpicit cum omnibus quæ poſſidebat in prædicta villa Eſcoriaco. Dedit & Capellam ſuam mobilem & ſpecialem cum Reliquiis ſanctorum, ſcilicet ſancti Saluatoris, & ſanctæ Mariæ, aliorumque ſanctorum; crucibúſque tam aureis quàm argenteis; & capſis, veſtimentiſque, & omnia ornamenta ipſarum Reliquiarum. Poſt mortem verò ipſius *Ademari*, *Lampaia* vxor eius dedit ad altare ſanctæ Mariæ in hoc loco conſtitutum, quod Caput Eccleſię dicebatur ab antiquis, in comitatu Tarnodorenſi Stoliuicum, & manſum indominicatum prope Stoliuicum, in loco qui vocatur Sairocurte, cum omnibus appenditiis ſuis & mancipiis vtriuſque ſexus deſuper manentibus.

Abbatia S. Ioan. datur S. Benign. Monachis.

* f. hapſi

Argrinus igitur laude dignus Epiſcopus, in augmentatione rerum huius loci feruentiſſimus, donauit ad communem

conferuntur plurima S. Benigno.

vtilitatem Fratrum Abbatiam ſancti Ioannis, quam quidam *Fulberius* Monachus beneficiario iure tenebat: conceſſit & mercatum annuale ad veſtimenta Fratrum emenda, medietatem quæ ad ſe pertinebat. In Aziriaco etiam villa decimas, & * Paratam, & omnes reditus ipſius Eccleſiæ, quæ tunc cella erat Monachorum huius loci, ſupplicante Lanterio Abbate, ad vſus eorumdem Monachorum perdonauit. Similiter fecit de Eccleſia quæ eſt in Longouico; & de Capella, quæ eſt in Prunido, quam deputauit ad ſeruitium infirmorum; & Eccleſiam ſupra ſcriptam ſancti Ioannis ad ſeruitium hoſpitũ. Reddidit inſuper manſa nouem decim in diuerſis locis quæ tempore *Teubaldi* Epiſcopi anteceſſoris eius ablata fuerant, & in beneficium data cuidam *Vuidoni*. De his omnibus quæ præmiſimus fecit priuilegia Epiſcopali authoritate, conteſtans & monens ſuccedentes Pontifices, vt hanc à ſe factam eleemoſynam paterno affectu inlibatam cuſtodiant, quatenus orationes & vota famulorum Dei in hac domo conſiſtentium, tàm ipſis quàm cæteris fidelibus viuis atque defunctis ſint proficuæ ante Deum. qui verò de his aliquid ſubtrahere, aut beneficiare, vel quocumque modo auferre conatus fuerit, Anathematis gladio percuſſit, niſi reſipuerit. Fecit idem Domnus *Argrinus* Epiſcopus cum Abbate *Lanterio* commutationem terræ infra caſtrum Diuion. Dedit Epiſcopus iuxta murum caſtelli aream habentem in longo perticas ancingales nouem, & per latum perticas octo. E contra dedit Lanterius Abbas & Monachi areas duas, habentes vtraque perticas ſex in longo, & per tranſuerſum vna area perticas quatuor, alia perticas quinq;. Ex omni parte terra ſancti Stephani. Eo tempore dedit *Manaſſes* Comes ſancto Benigno manſum indominicatum in Longo-vico, cum mancipiis vtriuſque ſexus deſuper commanentibus, & terris ad ipſum manſum pertinentibus, tam in ipſa fine, quàm in aliis villis poſitis. Ea conditione, vt in vita ſua retento ſibi fructu, ſingulis annis feſtiuitate ſancti Mauricij congruam refectionem exhiberet Monachis. Poſt mortem verò ipſius in eius anniuerſario die ſimiliter decens refectio de ipſo manſo exhibeatur fratribus, quod ſuperfuerit eorum vtilitatibus profuturum. Huius doni laudatores & teſtes fuerunt *Vualo* filius

al. *Peratatam

Digitized by Google

filius eius, & *Manaſſes* Comes iunior.

Dedit & *Richardus* ſupra memoratus Dux ad Eccleſiam ſancti Antonij in Ficiato ſitam, quæ eſt iuris ſancti Benigni, manſum vnum: in Rouira cum ſeruis & ancillis ſupermanentibus: & hoc laudauerunt *Adeleia* vxor eius, & *Rodulphus* filius ipſius, & Comites *Hugo*, *Boſo*, *Manaſſes*, *Gillebertus*. Dedit *Milo* in Sauiniaco de terra iornales ſexaginta, & ſyluam vbi poſſunt ſaginari porci quadraginta. Tantumdem dedit pater eius *Giſlebertus* tempore Iſaac Epiſcopi, ſcilicet terræ arabilis iornales ſexaginta, & ad porcos quadraginta ſaginandos ſyluam, cum capella ſancti Geruaſij nomine dicatam. Sed & *Atila* Comitiſſa pro requie animæ viri ſui Milonis Comitis, dedit ſancto Benigno in Dumiſo-villa manſum indominicatũ cum caſalibus ſuper extructis, & aliis terris ad ipſum aſpicientibus. Actum Dominicæ Incarnationis. Anno * DCCCC. II. Caroli Regis anno quarto. Laudatores fuerunt *Girbardus* Comes, & *Reintrudis* vxor eius, filia ipſius Atilæ. Dedit & Vuinebaldus quidam de nobilibus in ſuis villis, Marcenniaco ſcilicet atque Dumiſo, & in finibus earum quicquid poſſidere videbatur, terras videlicet cum mancipiis deſuper commanentibus.

vel 901

Lanterio Abbate hoc monaſterium regente venit ad conuerſionem quidam honorabilis homo, nomine *Berengerius*, qui dedit de rebus ſuis in villa Longo-prato dicta, manſum indominicatum vnum cum fonte in eo naſcente, & molendino iuxta poſito, & Eccleſiam dimidiam, quæ eſt in Miſſiniaco, & vineis, aliiſque manſis ad ipſum manſum aſpicientibus, qui ſunt veſtiti ſeptem* abſi, tredecim mancipia vtriuſq; ſexus, numero quinquaginta. Dedit & in pago Belnenſi, Villa Sentennaco, colonicam vnam. Similiter *Hildemodus* Canonicus, & *Arico* Preſbyter venientes ad monachilẽ conuerſationem dederunt in Siliciaco-villa omnem hęreditatem ſuã. *Adalreus* etiam quidam ſimili deuotione hũc expetens locũ, dedit in Bargis-villa quicquid habuit. *Gotzelinus* Canonicus & Abbas ſanctę Lingonenſis Eccleſię infra muros eiuſdem ciuitatis dedit manſum vnum iuxta Eccleſiam ſancti Deſiderij. Fecit commutationem Lanterius Abbas in villa-Carli cum quodam *Rohardo*, in Corcellis ſuperiori cum *Iſoardo*. Lante-

f. * hapſi

Digitized by Google

rio Abbate post diuturnos labores ad cœleste brauium properanti, succeſſit *Fulbertus*, & hic multorum dierum miles emeritus. Qui poſt annum deponens onus ſuſceptæ obedientiæ Godrado commiſit curam regiminis, anno decimo ſeptimo Caroli Regis. Hic Godradus emit in Aziriaco ab *Heldierio* & vxore ſua *Natalia*, pratum vnum habens in longum perticas * ancingales ſexaginta quinque, & in latum perticas triginta duas. Domnus igitur Argrinus relicto Epiſcopatus honore Monachus eſt effectus in hoc monaſterio, ac poſt biennium defunctus, honorificè traditus eſt ſepulturæ intra ſepta huius Eccleſiæ.

Fulbertus & Godradus Abbat.

919.

al. * andecingales, ab andecinga, hoc eſt, perticâ, 10 pedes habentem, 4 in transuerſo & 40 in longo.

Succeſſit ei denique in cura paſtorali domnus *Vuarnerius* Epiſcopus, & ipſe augmentator bonorum huius loci deuotus. Hic primo anno ſuæ ordinationis nongenteſimo duodecimo, videlicet Incarnati Verbi, indictione quindecima, reſidens in ſynodo in gremio matris Eccleſiæ ſancti Mammetis coram Archidiaconibus & Abbatibus, atque omni Clero, interpellatus eſt à *Godrado* Abbate & Monachis Patroni noſtri ſancti Benigni, de quadam Eccleſia infra muros caſtri Diuion ſitâ, ſancti Vincentij honore ac nomine ſacrata; quam Domnus *Geilo* Epiſcopus ad locum refugij & cuſtodiam corporis ſæpiùs dicti ſancti Benigni perpetualiter eis habendam conceſſerat. Et de qua cùm longo tempore ea vſi fuiſſent, repulſi erant à *Ratherio* Archidiacono & Abbate canonico ſancti Mammetis, ac Præpoſito Abbatiæ ſancti Stephani. Conſiderans ergo memoratus Epiſcopus cauſas periculorum, quæ tunc frequentes imminebant Nortmannorum incurſionibus, cum conſilio & laude ipſius *Ratherij* ac totius Synodi reddidit ipſi Abbati *Godrado* & Monachis prædictam Eccleſiam ſancti Vincentij, cum habitaculis ad ipſam Eccleſiam atrij loco pertinentibus, quas ipſi Monachi olim ibi ad refugij locum conſtruxerant. De qua Eccleſia fecit eis priuilegium Epiſcopali authoritate, vt nullus ſuccedentium deinceps aliquam vim aut calumniam ſancto Benigno & Monachis eidem ſeruientibus inferret.

Vuarnerius Epiſc. Lingo. & Godradus Ab. S. Benig.

912.

Annis ſeptem in Paſtorali regimine fœliciter expletis *Godradus* Abbas migrauit ad Chriſtum. Poſt quem ordinatus eſt Abbas nomine *Gozuinus*. Quo poſt biennium defuncto,

Gozuinus Panto, & Suanus Abbates S. Benigni.

Digitized by Google

ſucceſſit in locum eius Abbas, *Panto* nomine. Et hic in regimine expletis quatuor annis obiit. Cui ſucceſſit Abbas, nomine *Suauus*. Vuarnerius igitur Epiſcopus appropinquante obitus ſui die petiit ſe tumulari in Eccleſia ſancti Patroni ſui Benigni: vocatóque ad ſe Suauo Abbate, dedit ei vice ſancti Benigni pratum vnum in Aziriaco, vbi poſſunt ſecari fœni carra centum quinquaginta. Ideò verò, exceptis aliis rebus quæ mente benigna contulerat, hoc pratum dedit, vt anniuerſaria dies obitus eius celebriter agatur à fratribus & refectio congrua eis præparetur ab Abbate, aut ab illo cui obedientiam illam prouidendam commiſerit. Obiens autem ſepultus eſt in hac Baſilica ante altare S. Benigni. Cui ſucceſſit Domnus *Gotzelinus* in Epiſcopatus honore, Anno decimo regni Roberti: de quo quia mentio facta eſt, oportet dicere quomodò regnum acceperit.

Odone Rege defuncto, *Robertus* frater ipſius ſperans & cupiens eam regni partem, quam ipſe tenuerat, adipiſci, quia à Carolo qui totius regni erat Dominus, non reddebatur, palam tyranidem inuaſit. Et hoc poſt mortem Richardi Ducis, qui ab executione iuſtitiæ cognomẽ accepit. Ipſe námq; quãdiu vixit Carolo Regi ſemper fidelis extitit. *Rotbertus* igitur affectatæ tyrannidis potentiam palam exercere cupiens, à quibuſdam Epiſcopis diademate ſe regio coronari, ac ſceptro regni inſigniri, partim blanditiis, partim minis extorſit. Sed nequaquam huius præſumptionis lætos habuit exitus. Deniq; poſt quàm vno regnauit anno Sueſſonicis in campis bello à Ducibus Caroli exceptus, vitáque ſpoliatus, licet exercitus eius victoriam obtinuerit, ipſe tamen nefarię temeritatis pretium luit. Nec tamen ſocij defectionis interitu eius territi perfidiæ deſeruêre contumaciam. Quin potiùs Herbertus Comes Vermandenſis infando ſcelere Dominum ſuum Regemque totius Franciæ Carolum dolo captum, vinculíſque irretitum Peronnæ direxit tenebroſo domicilio recludendum. Et quia regni ſtatus ſine Principe agebatur in incertum, maximè cùm *Hugoni*, Rotberti filio, qui pòſt probis actibus magni nomen promeruit, puerilis obſiſteret ætas, quominus regias aſſumeret infulas, & Herberti cunctos haberet odium, maximè eos quos humanitatis reſpectu ad mi-

Robertus regnum occupat.

Carolus ab Herberto carceri mãcipatur.

sericordiam ærumna Principis permouebat. Tandem *Rodulphus* Burgundiâ oriundus, Richardi Ducis filius, regendæ præficitur Francorum patriæ. qui adeptus regni solium & in malefactoribus fuit vltor seuerus, & in coercendis hostibus ac tuendo regno sagaciſſimus. Eius in diebus Danorum atque Nortmanorum iterum adueniunt Phalanges, & non solùm Franciam, sed etiam totam percurrunt Burgundiam. Contra quos Rodulphus sumptis armis ita proteruos eorum compescuit incursus, vt vsque nunc Gallias ab eorum inuasione faciat manere quietas. Contigit tunc corpus huius patroni nostri sancti Benigni deferri intra muros Diuionis castri, ibique seruari in Ecclesia sancti Vincentij.

Rodulphus Franciæ Rector Normãnos expellit.

Nota authoris ætatem.

Gotzelinus tunc Episcopus regebat Lingonensem Ecclesiam. Hic adiens Rodulphi Regis palatium deprecatus est vna cum *Manasse* Comite eius clementiam, vt præcepto regali statueret de quibusdam rebus ab hoc loco ablatis, sed à suis prædecessoribus, Argrino scilicet & Vuarnerio, nuper sancto Benigno redditis. Quod Rex annuens ipsas res suâ regali munificentiâ S. Benigno restituit, Saciacum scilicet villã cum Ecclesia, & aliis villis ibidem pertinentibus, & omnibus rebus quæcumque potestas Episcopalis ibidem tenuerat. Abbatiolam etiam sancti Ioannis. Mercatum quoque die sabbati, quod est in burgo omnibus septimanis: & medietatem annalis, quod est festiuitate sancti Benigni: pratum etiam in Aziriaco-villa, quod Vuarnerius Antistes in fine mortis suæ concessit inibi. Mansa octo in comitatu Alsensi, in villa Nermedis cum mancipiis vtriusque sexus. In Gibriaco-villa in comitatu Belnensi mansum vnum, fauente & deprecante Manasse Comite. Hæc omnia præfatus Rodulphus Rex concessit Deo & sancto Benigno; Anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo vigesimo quinto, indictione tredecima, regni verò sui quarto.

Rodulphus Rex fauet Monachis S. Benign.

925.

Idem *Rodulphus* Rex, mortuo Hugone Duce fratre suo, Burgundiam adiit, residénsque castro Diuion mense Aprili, cùm causas suas teneret *Robertus* Comes Palatij & *Gisleber-tus* Comes Burgundiæ, aliique plures tam Comites, quàm nobiles viri, interpellatus est Robertus Vicecomes à Vizone Aduocato sancti Benigni de quibusdam seruis, qui quam-

Diuione resident Rodulphus.

Digitized by Google

uis ex illius ſeruo, tamen ex ancilla ſancti Benigni, & ex poteſtate & fiſco Longiuici nati fuiſſent, magíſque ſancto Benigno, quàm ipſi Rotberto ſeruire deberent. Tunc in ipſo Placito in præſentia Principum eoſdem ſeruos * vuirpiuit, & S. Benigno reddidit Promittẽs deinceps ſi aliquis parentum aut hæredum illius eos repeterẽ vel calumniare voluiſſet, ſe teſtem & deffenſorem ſancti Benigni contra eoſdem fore.

* *al.* guerpiuit. *Gal.* deguerpir, *hoc eſt*, ſeſe re aliqua exuere & alium inueſtire.

Eo tempore dedit quidam *Boſo* nomine, & vxor eius *Plectrudis*, in Aziriaco villa, loco Vuora vocato, ſancto Benigno partem vnius Condominæ, alteram partem emit ab ipſis *Suauus* Abbas ſolidis centum. Annis decem Suauus Abbas in regimine tranſactis defunctus eſt. Cuius loco Albericus ordinatus eſt Abbas à Domno *Gotzelino* Epiſcopo. Ipſe verò Domnus Epiſcopus aliquantis annis in Epiſcopatu perdurans, obiit, qui quoad vixit tempore, huic loco ſtuduit prodeſſe pro ſuo poſſe. Quod ſucceſſores eius vtinam feciſſent taliter, ſucceſſit autem ei in Epiſcopatus honore *Letericus* Epiſcopus. Poſt hunc *Ericus*: deinde *Achardus*, atque pòſt *Vuidricus*. Tranſierunt ſub his pontificibus anni ferme quadraginta & ampliùs, in quibus ſemper in deterius proceſſit huius loci ſtatus, Epiſcopis & Abbatibus alia magis quàm id curantibus.

Albericus Abbas. Letricus, Ericus, Achardus, Vidricus Epiſcop. Lingon.

Rodulfo Rege defuncto abſque liberis (nam filius eius, *Ludouicus* nomine, quem habuit ex *Emma* Regina coniuge ſua, defunctus eſt ante obitum patris.) Et Carolus ergaſtulo-clauſus animam non corpus cuſtodia exemit; qui dum viueret ſimplex ductus eſt ob benignitatem animi: ſanctus nunc rectè poteſt vocari, quoniam iniuſtè ab infidelibus ſuis & periuris longâ cuſtodiâ carceris afflictus, vitæ ſupernæ eſt tranſmiſſus. Hic reliquit filium *Ludouicum* ex *Eadgiua* Anglorum Regis filia ſuſceptum. Qui calamitatis paternæ procellis ſemet inuolui metuens, ad Anglos Saxones maternæ affinitatis inuitatus gratiâ ſe contulit. Poſt exceſſum verò Rodulphi Regis ab *Hugone* Magno reuocatus ſpecie tenus regno redditus eſt patrio, anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo trigeſimo octauo, indictione vndecima. Cuius regni adminiſtratio ius dominationis exercere cupienti laborioſa illi fuit, tam ſui à *Tetbaldo* Carnotenſium Comite ca-

Rodulphus abſque liberis moritur.

Carolus in carcere obit.

Ludouicus Tranſmarinus.

938.

ptione, quàm poſt regni recuperationem, vario inſtabilis fortunæ prouentu Huius regni anno ſecundo *Fulcherius* Abbas eſt ordinatus: quod officium tenuit annis quindecim, & nihil boni in hac domo geſſit. Quo migrante ſucceſſit *Manaſſes* Abbas nomine, & ipſe peior priore.

Fulcherius & Manaſſes Abbat.

Ludouicus Rex moriens duos ſuperſtites dimiſit liberos, *Lotharium* atque *Carolum*, quos genuerat ei *Gerberga* ſoror *Ottonis* Romanorum poſteà Imperatoris. *Carolus* æuo iunior priuatis in ædibus ſenuit: in hæreditatem omnem Lotharius ſucceſſit. Qui poteſtate regiâ functus eſt per triginta & eo ampliùs annos. Illo tempore Manaſſe vices Abbatis agente, Hugo Comes Diuionenſis veniens ad obitum, petiit ſe tumulari in atrio ſancti Benigni. Pro cuius requie animæ, & loco ſepulturæ, dedit *Adalburgis* Comitiſſa vxor eius, cum laude filiorum ipſius, *Gibuini* ſcilicet Catalaunenſis Epiſcopi, & *Richardi* qui poſt eum hunc tenuit comitatum, & *Hugonis* Attoariorum Comitis: prædicta coniux ipſius dedit manſum vnum in Patriniaco villa, & quicquid ad ipſum manſum aſpicit. Dedit ipſo tempore *Erimarus* quidam in villa Curte Arnono vocata manſa ſex, cum Eccleſia inibi conſtructa, & mancipiis deſuper commanentibus vtriuſque ſexus nouemdecim. Inſuper quicquid habuit inter duos fluuios Tilam & Baſmonum dedit Deo & ſancto Benigno. *Eurardus* etiam pro Reſtantio fratre ſuo, huius loci monacho, dedit in villa Corcellis manſum indominicatum vnum, & omnia, quæ ad ipſum manſum aſpiciunt. *Ado* Sacerdos factus Monachus dedit in Belnenſi pago in villa Cuſſiniaco manſum vnum, & terram arabilem, & pratum: ſimiliter in Flauiniaco dedit manſum vnum; & quicquid ibi vel vbicunque habuit in terris & mancipiis, ſancto Benigno tradidit. Supra ſcriptus Gibuinus Epiſcopus, & fratres ſui *Richardus*, & *Hugo* poſt obitum matris, pro requie animæ eius atque patris ſui, dederunt hæreditatem quam habebant in villa Miſſiniaco, quam terram dedit Manaſſes Abbas in præſtariam, cuidã nobili fœminæ *Retrudi*, & filius eius *Goteſcalco*, & *Vuillerio*. Similiter in Villa Bargis dicta dedit vinginti ſeptem iornales de terra eidem Retrudi in præſtariam. *Retrudis* altera dedit S. Benigno iuxta Diuionem ſuper Oſcaram fluuium molẽdi-

Mortuo Ludouico ſuperſtites duo filij. Lotharius Rex.

Digitized by Google

num, vnum & octo iornales de terra arabili in eodem loco.

Anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo octogeſimo, indictione octaua, regni Lotharij Regis* vigeſimo quinto anno, dedit idē Rex *Brunoni* Remenſis Eccleſiæ Clerico, ſuo verò parenti propinquitate conſanguinitatis exiſtenti, Lingonicæ ciuitatis Epiſcopatum. Ordinatus eſt autem idem Bruno Epiſcopus per manus *Burchardi* Lugdunenſis Archiepiſcopi in Eccleſia ſancti Stephani, viginti quatuor annos gerens ætatis: & eodem anno ſuſceptus eſt à Clero Lingonicæ vrbis; ab Incarnatione videlicet Chriſti nongenteſimo octuageſimo primo. Is aſſecutus Epiſcopatum omni quo potuit niſi ſequi ſtuduit exemplum boni Paſtoris. Monaſteria igitur ipſius ad diœceſim pertinentia in ſpiritualibus religione, in temporibus neceſſaria penè adnullata, gubernatione conſiderans, cœpit quærere quatenus Dei diſpanſante nutu ſuum in ſtatum ea quiviſſet reparare. Amouens ergo Manaſſem Abbatem huius loci à dominatione, quâ non bene vtebantur, inſtituit in locum eius Abbatem quendam ex Monaſterio Deruenſi, *Azozem* nomine. Erat is Aquitanicus, genere ornatus bonis moribus & religioſa conuerſione. Hic duobus annis in regimine peractis repedauit ad ſuum monaſterium, dimiſſa huius loci gubernatione, atque iterum Manaſſes Abbas ſuum recepit officium.

980. *ſeu* 27. Bruno Ling. epiſc.

981. Diœceſis deformata ad priſtinū ſplendorē reuocare ſtudet.

Azo Abbas.

Videns igitur Domnus Epiſcopus *Bruno* ſtatum loci in ambiguo poſitum, ſuplex adiit domnum *Mayolum* Cluniacenſis monaſterij Abbatem, multáque prece popoſcit quatenus eius auxilio quiviſſet reparare in melius, interiùs religionem, & exteriùs poſſeſſiones. Cuius precibus flexus Reuerendus Abbas Mayolus dedit ei duodecim Monachos ex omni congregatione electos, diſciplinis ſanctæ religionis inſtructos, diuinâ & humanâ ſapientiâ doctos, nobilitate carnali claros. Quibus aduenientibus ita ordinauit domnus Epiſcopus, vt die Tranſlationis ſancti Benigni Monachis cum ſibi ſubiectis Clericis, ante ſepulchrum ſæpefati Martyris in crypta nocturnale officium peragentibus, ipſi in ſuperiori choro ante principale ſancti Mauricij altare matutinalem inciperent ſynaxim. Quod vtique conuenienter actum eſt, vt qui lumen religionis oſtendere veniebant, intrarent luce

Monachicum inſtituturum ope S. Maioli reſarcit in Diuion. Cœnobio.

Digitized by Google

diei appropinquante. Proinde illis hac vel illac pergentibus, isti in loco degentes cœperunt sancta conuersatione resplendere, & locus qui anteà prauis actibus & ineffabili negligentia à cunctis videbatur confusus, nunc fœlici exercitatione virtutum omnium videretur esse floridus. Verùm quia prædicti Patris industriâ locis aliis intenta erat, & hic locus sine Abbate esse non poterat; iterum Domni Brunonis Præsulis pulsatus precibus, quemdam fratrem feruentissimum sui Ordinis executorem, & totius nobilitatis lampade præfulgidum, atque in vera humilitate & fraternæ dilectionis caritate, nec non summæ discretionis (quæ virtutum omnium mater esse dignoscitur) honestate, laudabiliter radicatum & fundatum, nomine *Vuillelmum*, huius monasterij gregi præfecit, & patrem spiritalem sibi poscentibus filiis instituit. Hic Italiâ extitit oriundus, alto satis germine, & nobili prosapia editus. Quem supradictus Domnus Mayolus Româ veniens inuenit in Monasterio Lauceio dicto, vbi à puero educatus fuerat. Assumensque eum ipso deprecante, secum adduxit Cluniacum, ætate iuuenili florentem.

S. Guillel. Abbas S. Benign.

Ordinatus anno 990.

Ordinatus est igitur Abbas à Domno Brunone Episcopo, Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo, indictione tertia. Officio verò Abbatis accepto diuinis seipsum cœpit exercere virtutibus. Erat enim corpore castus, mente deuotus, affabilis alloquio, prudentiâ præditus, temperantiâ clarus, internâ fortitudine firmus, censurâ iusticiæ stabilis, longaminitate assiduus, patientiâ robustus, humilitate mansuetus, bonorum operum gratiâ plenus, charitatis equidem affluens visceribus. Pro pauperibus semper erat sollicitus, Christum verò diligens totis visceribus, dum sicut Martha corporaliter non valebat, in egenis illum quotidie reficiebat. Omnibus hospitij perlargum præbuit vsum: nemo est exceptus, perpessus nemo repulsam: Diuinorum præceptorum delectabatur eloquiis, quia ex his & suos mores componere, & sibi commissos instruebatur docere & corrigere. Cunctis seipsum præbebat bene viuendi exemplum. Et sicut in ordine ita primus studebat vt esset in opere, iuxta illud Euangelistæ: *Cœpit Iesus facere & docere.* Peccantes verò

Sanctæ eius vitæ actus describuntur.

Act. 1.

zelo

zelo pij amoris coram omnibus arguebat, vt cæteri timorem haberent. Sed & verba quæ ſub increpatione proferebat, vt reprehendenda reprehenderet, quaſi ſtimuli dura videbantur & aſpera, vt penè timerentur pluſquàm verbera, iuxta illud, *Verba ſapientis, quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* *Eccl. 12. 11.* Alios quidem blandimentis, alios admonitionibus, alios terroribus, & ita iuxta Apoſtolum, prædicans verbum inſtabat oportunè, importunè arguens, obſecrans, increpans, in omni patientia, & doctrina. Miſerorum verò haud ſecus ac ſi pateretur ipſe, afficiebatur calamitatibus. Os eius ita replebatur ex cordis abundantia, vt in eodem ore penè nihil aliud niſi lex reſonaret diuina; & quia ſcriptura dicit: *Qui audit, dicat veni*; ideò quoſcunque poterat à ſæculi nequitia ſuadendo ſubtrahebat. Et ſicut cœleſte per deſiderium totis ipſe viribus ad ſupernum regnum anhelabat, ita ſecum pergere omnes homines, ſi fieri poſſet, exoptabat. Sed nullatenus eſt fraudatus à deſiderio, quod in ſe conceperat vera dilectio. Ille enim qui caritas eſt, qui ſe timentium complet voluntatem, viri Dei feruentem affectum perduxit ad effectum. Ad eius quippe monita multi quæ poſſederant relinquentes, regulari ſe diſciplinæ ſubdiderunt, & beati Benedicti ſequentes veſtigia, ſemetipſos abnegantes, vero Regi totis viribus militauerunt. Partibus namque ex diuerſis ad eius cœnobium multitudo confluxit innumerabilis. Sed nationibus licet diuerſi, mente tamen erant vniti, vt illud ad litteram in eis impletum videretur, quod de initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolorum Actibus legitur: *Erat illis cor vnum, & anima vna.* *Apoc. 22. 17.* *Act. 4. 32.*

Bruno Epiſcop. Monachis religiosè viuentibus prouidet temporalia.

Creſcente autem interiùs religionis ſtudio, exterioris ſubſtantiæ ſupplementum cœpit abundare non modicè; prout Dominus promiſit ſuis in Euangelio: *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Domnus namque Epiſcopus *Bruno* nimium exhilaratus corde eorum bonâ conuerſatione, omni ſtudio eorum vſui neceſſaria curabat ſubminiſtrare. Reddidit igitur ſancto Benigno & eius Monachis Eccleſiam in Saciaco ſitam, vnà cum ipſa poteſtate & villis ad eam pertinentibus totam ex integro, ſicuti eam poſſederat ab antiquis temporibus. Sed poſteà multis vicibus *Matt. 6. 33.*

* ius honorificum.

distracta & direpta à malignis hominibus:* saluamentumverò ipsius villæ *Otto* Comes, cognomento *Vuillelmus*, successor Henrici Ducis & hæres, computato non modicæ quantitatis pecuniæ debito, *Gazfredo* Malliacensis castri Domino, pro animæ suæ remedio reddidit sancto Benigno. Nec non & Ecclesiam sancti Appollinaris reddidit Domnus Bruno Episcopus, & terram concessit iuxta hoc monasterium, vt plantaretur viridarium; ac secus vndique ad vinearum opera, iugera multa in Lariaco, in Biciso, in Surdiliaco, Patriniaco, Fœdeniaco, campo Salomonis, in Marcenniaco: quæ quamuis Monachorum ædificarentur studio & opere, tamen Brunonis Episcopi fiebat adhortatione. Vbique ergo inuestigans ablata restituebat, & de suo iure quodcunque necessarium & vtile eis foret, libenti animo tribuebat. Vtrisque verò, domno scilicet Præsule Brunone, atque venerando Abbate Vuillelmo, in restauratione huius loci studiosè decertantibus, cœpit crescere, & quasi denuò reflorere.

Hugo & Robertus Reges Franciæ.

Tempore quo hæc gerebantur *Hugo* Rex Hugonis Magni filius, cum *Rotberto* filio Francorum potiebatur regno. *Lothario* námque Regi cœleste, vt credimus, pro terreno commutanti *Ludouicus* filius successit. Qui immaturâ adolescens præuentus morte, destitutum proprio hærede Francorum dereliquit regnum. Sanè patruus eius *Carolus* conabatur, si posset, à sui generis authoribus diu possessum sibi vendicare regnum, sed eius voluntas nullum sortitur effectum. Nam Franci Primates eo relicto ad Hugonem, qui ducatum Franciæ strenuè tunc gubernabat, Magni illius Hugonis filium (cuius iam mentio facta est) se conferentes, Nouiomo ciuitate solio sublimant regio. Is eodem anno Rotbertum filium sibi consortem regni eligit. Cœpit regnare anno nongentesimo nonagesimo primo ab Incarnatione Christi; & regnauit decem annis. Post cuius mortem Rotbertus solus obtinuit regnum. Hugonis Regis fuerunt fratres duo, *Otto & Henricus* filij Hugonis Magni Ducis Francorum. Post mortem patris accepit Hugo Ducatum Franciæ, & Otto Burgundiæ. Habuit vxorem filiam Gisleberti, qui post Hugonem, fratrem Rodulphi Regis, ducatum Burgundiæ tenuit. Sed eo in adolescentia absque liberis defun-

987.

991. Filii Hugonis Magni.

&to, *Henricus* ſuſcepit frater ſuus: hic fuit comptus bonis moribus, præcipuè manſuetudine, vir Eccleſiaſticus.

Ipſe denique *Henricus* Dux, auditâ fama religionis eximij patris *Vuillelmi*, commiſit ei Abbatiam * Verziacenſem penè ad nihilum redactam, vt ab ipſo reſtitueretur in priſtinũ ſtatum: quod & fecit, auxiliante Deo. Domnus autem Epiſcopus *Bruno* conſiderans Patrem Vuillelmum ita feruentem in religione, ac monaſtica inſtitutione, & loca ei commiſſa de die in diem in melius proficere, omnia in ſuo epiſcopio monaſteria ipſius delegauit prouidentiæ. Abbatiam ſcilicet Beſuenſem, Apoſtolorum Petri & Pauli honore dicatam: Monaſterium ſancti Ioannis, quod Reomaus dicitur: locum ſancti Michaëlis Archangeli, iuxta caſtrum Tarnodorum: Abbatiam Molundenſem vbi ſanctus Valerius Archidiaconus & Martyr quieſcit; quas omnes ita ſtrenuè gubernauit, vt poſt eum ſingulæ ſingulis Abbatibus diſtributæ, ſtatui illius temporis, quo ab eo regebantur, non quierint æquari.

al. * Vezeliacenſem. Vezeliacẽſe & alia multa cœnobia Guillelmus Abbas inſtaurat.

Anno ſexto ſuæ ordinationis *Vuillelmus* Abbas Romam perrexit ad Apoſtolorum limina, eorum patrocinia expoſcens prece deuota; indéque ad ſanctum Angelum montem petiuit Garganum. Sed Beneuentum veniens grauiſſimæ infirmitatis adſtrictus eſt compede. Cuius infirmitatis diuturno afflictus languore, cùm iam à ſuis deſperaretur poſſe euadere, quadam nocte raptus in ſpiritu tribunali metuendi iudicis ſiſtitur: vbi cùm pro aliquibus increparetur exceſſibus, & maximè pro indiſcreta ſeueritate, pro his culpis metueret damnari æternis gehennæ ſuppliciis, vt ſibi viſum eſt, ſanctus Papa Gregorius in ſua eum ſuſcepit fide, diligentiori deinceps victurum ſolicitudine, & priora errata pietatis & miſericordiæ operibus expianda correcturum fore. Poſt viſionem in ſemet reuerſus, & ab infirmitate eadem cœpit conualeſcere die, & priorem auſteritatem permutauit in maximam pietatem. Sícque poſteà omni vitæ ſuæ tempore ſanctum Gregorium ſpeciali coluit dilectione. Cœperunt denique ex ſua patria, hoc eſt, Italia multi ad eum conuenire. Aliqui litteris bene eruditi; alij diuerſorum operum magiſterio docti; alij agriculturæ ſcientia præditi. Quorum ars & ingenium huic loco profuit plurimùm. Creſcebat ergo

De geſtis eiuſdem ſancti.

Digitized by Google

quotidie multitudo Monachorum ſub eius magiſterio degentium, vt (exceptis his qui per alia erant monaſteria) in hac congregatione quotidie fratres eſſent ſeptuaginta, aut octoginta.

Quanta Bruno Epiſcopus contulit bona.

Inter cætera quæ Domnus *Bruno* Epiſcopus in hoc loco egit bona, longum eſt enim enumerare ſingula eius geſta, ſed hoc breuiter poſſumus dicere; cuncta ab antiquis huic loco collata, poſteáque à malignis direpta, vel à prauis Rectoribus diſpertita, à Brunone Epiſcopo ſunt reſtituta: & licet illi non amittant mercedem ſuæ eleemoſynæ, hic tamen non inferiori dignus eſt gratiarum actione: de emortuis enim cineribus in excellentiorem, quàm vnquam ante fuerat ſtatum, per eum ſublimatus eſt hic locus.

Fundator ac benefactores breuiter recẽſentur.

A ſancto igitur *Gregorio* Lingonienſi Epiſcopo fundata hæc Abbatia, à Guntranno Rege ſtabilita & ditata, à *Carolo* Imperatore cognomento Caluo, & domno *Iſaac* Epiſcopo reſtaurata. Ab honorando Præſule *Brunone*, & *Vuillelmo* venerabili Abbate, non ſolummodò in aliis rebus, verùm etiam in noua Eccleſiæ fabrica eſt renouata; in cuius Baſilicæ miro opere Domnus Præſul expenſas tribuendo, ac columnas marmoreas ac lapideas vndecumque adducendo, & Reuerendus Abbas magiſtros conducendo, & ipſum opus dictando, inſudantes, dignum diuino cultui templum conſtruxerunt. Cuius artificioſi operis forma & ſubtilitas non inaniter quibuſque minùs edoctis oſtenditur per litteras; quoniam in eo multa videntur myſtico ſenſu facta, quæ magis diuinæ inſpirationi, quàm alicuius deputari debent peritiæ magiſtri.

Sequitur forma Eccleſiæ antiquæ huius monaſterij Diui Benigni.

FVNDATVM eſt autem hoc templum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo primo, indictione decima quarta, decimo ſexto Calendas Martij. Cuius longitudo ducentorum fermè cubitorum, latitudo autem quinquaginta trium extitit. Altitudo verò in ſequentibus oportunè dicetur. Inferior itaque domus orationis, in qua ſacratiſſimum

Digitized by Google

corpus ſancti Benigni Martyris veneratur, eundem penè modum habens quantitatis, fulcitur centum quatuor columnis. Hæc in figuram T. litteræ facta, quatuor ordines columnarum duodeno diſpoſitarum numero: æquali extenditur in longitudine & latitudine: decem verò cubitis erigitur in altitudine; ſecreta ex vtraque parte habens veſtibula: quinque ſanè in ea continentur altaria; primum in honorem ipſius ſancti Benigni eſt conſecratum; ſecundum in memoriam ſancti Nicolai & omnium Confeſſorum; tertium in veneration̄em ſanctæ Paſcaſiæ Virginis, quæ ibidem quieſcit, & omnium Virginum; quartum in ſancti Irenæi & omnium Martyrum; quintum ſub nominibus ſanctorum Confeſſorum & Abbatum SS. *Ioannis & Sequani*, atque ſancti *Euſtadij* Preſbyteri ibidem quieſcentis. In hac ergo corpora ſanctorum quieſcentia ſæpedicti teſtis Chriſti beata ambiunt membra; quorum in principio huius libri nomina ſunt adnotata. Sanctorum verò Confeſſorum & Epiſcoporum *Vrbani* & *Gregorij* corpora in Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ primitus fuerunt tumulata, poſt longa verò tempora inde eleuata: ſancti quidem Gregorij medietas corporis in Eccleſia ſancti Benigni eſt recondita, tempore quo propter metum paganorum eiuſdem ſancti Martyris effoſſum corpus delatum fuit ad ciuitatem Lingonas; & tunc alia medietas corporis præfati Confeſſoris illic eſt retenta. Sancti denique Vrbani corpus leuatum, & in loculo poſitum, multis miraculorum ſignis per eum Dominus lætificauit corda famulorum ſuorum in hoc loco degentium. Venerabilis verò *Iſaac* Antiſtitis corpus cùm exigente templi ędificio transferretur aliò à quibuſdam ſacerdotibus, maxima ex parte integrum ſimul cum capite Clericalem adhuc præferente habitum fertur inuentum. Similiter & Domni *Aigrini* Pontificis ac Monachi ſacerdotalia cum cucullo, nec non interiore cilicio, veſtimenta, in teſtimonium ipſius ſanctimoniæ incorrupta ſunt reperta. Ad hoc haud longè reperta eſt ſancta *Radegundis*, habens ad caput titulum ſui nominis in lamina plombea: cuius oſſa cerato inuoluta linteo ſunt inuenta in capſa lignea in terra recondita. Cæterorum prætereа ſanctorum, quorum corpora hîc noſcuntur tumulata,

Corpora ſanctorum huius Eccleſiæ.

S. Radegundis.

Lib. 1. mirac. c. 51. 52. Et lib. de glor. Confess. c. 42. 43. & 44.

beatus Gregorius Turonorum Episcopus mentionem facit, eorum describens quædam miracula: *Benigni* videlicet Martyris, nostri specialis Patroni; *Tranquilli* quoque Confessoris; nec non *Hilarij* Senatoris, & eius coniugis sanctæ *Floridæ* sanctimonialis; atque *Pascasiæ* Virginis & Martyris. Hæc à sancto Benigno edocta & baptizata, post eius martyrium sæuitiâ paganorum rapta est ad supplicium. Cúmque immobilis in fide Christi persisteret, primò carceris afflicta squalore; posteà pro confessione Deitatis sententiâ fuit multata capitali; vt quædam vitrea antiquitus facta, & vsque ad nostra perdurans tempora eleganti præmonstrabat picturâ. Tantorum ergo venerandis corporibus sanctorum honorabiliter hæc de qua modò agitur Ecclesia, non mediocriter est ditata, exceptis aliorum reliquiis sanctorum, quos enumerare superfluum videtur.

Huic paulò superiùs descriptæ inferiori cryptæ coniungitur Oratorium ad solis ortum, rotundo scemate factum, senarúmque illustratum splendore fenestrarum, triginta septem cubitos habens in diametro, decem in alto. Hoc sanè Oratorium terno columnarum ordine in semet regyrato, quadraginta videlicet atque octo, geometricali dispositione ambitur; huius desuper culmen celso erectum fastigio viginti quatuor columnarum, ac triginta duorum arcuum, tripertita comparis numeri machina, diuisione, eleganti transuolutum est opere. Hoc sanè Oratorium sancti *Ioannis Baptistæ* sacratum est honore; cuius altare illustratur trium fenestrarum lumine. Ab hac Ecclesia sunt per cocleam dextrâ lęuáque triginta septem gradus, crebris sufficienter illustrati fenestris, per quos inoffenso ascenditur tramite ad Basilicam sanctæ Dei Genitricis *Mariæ*. Ipsa verò Ecclesia sexaginta octo subnixa est columnis, eundem ferè habens modum & formam in diametro, siue in altitudine, quem & inferior, vndenísque irradiatur vitreis. Ad altare autem eiusdem perpetuæ Virginis marmoreum per quatuor tripertitos ascenditur gradus, iuxta quos hinc & inde sunt altaria; ad dextram quidem Ioannis Euangelistæ ac Iacobi fratris eius, sanctíque Thomæ Apostoli: ad læuam verò sancti Matthæi, Iacobi, & Philippi Apostolorum.

Digitized by Google

Huic iterum concordantes, & ſatis lucidi, vtrinque per cocleam ad Eccleſiam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis triginta gradus continuatim præſtant aſcenſum. Hæc in modum coronæ conſtructa, triginta quoque & ſex innixa columnis, feneſtris vndique, ac deſuper patulo cœlo lumen infundentibus, micat eximia claritate, amplitudine inferiori domui conſimilis, ſed viginti cubitorum altitudinis. Altare ſanctæ Trinitatis ita eſt poſitum, vt vndecumque ingredientibus, ac vbicumque per Eccleſiam conſiſtentibus, ſit perſpicuum. Inde per quadrigeminas ſcalas, altrinſecus factas, ad ſuprema patet aſcenſus : quarum duæ æquali modo poſitæ per quindecim gradus vſque ad ſancti Michaëlis protenduntur Oratorium, habens in longitudine cubitos triginta tres, in altitudine decem, vili facta ſcemate: feneſtras habet ſeptem. Aliç verò duæ per quinquaginta gradus ſurſum dirigũt greſſum: ad ima autem harum ſcalarum bina ſuper murum deambulatoria ſunt facta, quæ æquali ſpatio ab orientali parte vſq; ad occidentalem, & infra templum, per arcus deambulatorios, & ſupra tectum domus muro altitudinis trium fermè cubitorum circumquaque pergentium, à ruina protegũt inceſſum. Hæc tamen ad dexteram ſiniſtrámue partem templi incipientes, interiùs & ſubtus alas eius greſſum per quoſdam occultos aditus ad ſuprema tecti dirigentes plano, vt dictum eſt, calle deducunt introrſus vndique, donec ſuperliminare occidentalium portarum attingentes, per pariles ſcalas viginti graduum in porticus Eccleſiæ maioris deponunt. Quæ ad inſtar crucis ædificata habet in longitudine cubitos centum viginti octo, in latitudine, ſicut præſcriptum eſt, qninquaginta tres, in altitudine quaqua verſum per maximos triginta & vnum cubitos; in medio autem quadraginta, illuminatur ſeptuaginta vitreis, fulciturq; centum viginti & vnâ columnis, quarum nonnullæ iuxta capita fortiſſimarum, quæ ſunt quadraginta pillarum quadrangulatim ſtatutæ, vnâ quaſi ſimul coronari videtur coronâ, quamuis non vnius ſit magnitudinis omnium forma. Habet hinc & inde geminas porticus dupliciter tranſuolutas, in quibus bis bina continẽtur altaria. A parte quidem Aquilonis vnum in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Andreæ; alterum in hono-

rem ſancti Bartholomæi, & Simonis, atque Thadæi Apoſtolorum. Sancti verò Pauli altare eſt in ſuperiori Eccleſia, ante aram ſanctæ Trinitatis, eò quòd ipſe raptus ad tertium cœlum vidit ſecreta Dei. A meridie ſunt altaria, vnum in honorem ſanctorum Apoſtolorum Matthæi, & Barnabæ, ac Lucę Euangeliſtæ: Aliud in hònorem ſanctorum Martyrum Stephani, Laurentij, atque Vincentij. Eſt aliud altare ad occidentalem plagam Eccleſiæ, in eodem latere meridiano, in honorem ſanctorum Mammetis, Deſiderij, Leodegarij, Sebaſtiani, Gengulphi Martyrum. Et ex parte altera ſanctorum Martyrum Polycarpi, Andochij, Thyrſi, Andeoli, Symphoriani, Georgij, Chryſtophori, & ſanctorum Confeſſorum Vrbani, & Gregorij, quorum corporibus adornatur præſens domus. Principale altare eſt ſacratum in honorem ſanctorum Mauricij atque Benigni: ſimúlque omnium ſanctorum altare ad dexteram eius in honorem S. Raphaëlis Archangeli, & omnium beatorum ſpirituum. Ad lęuam verò in honorem S. Marci Euangeliſtæ; atq; in medio ipſius Eccleſiæ altare ſanctæ crucis, omniúmque ſanctorum. Ante hoc altare triplex conſtat introitus cryptæ, in quindecim gradibus aſcenditur ab ipſa ad ſuperiorem Eccleſiam.

Sepulchrum verò ſancti & glorioſi Martyris ita eſt conſtructum. Eſt tumba ex quadris ædificata lapidibus, quæ octo cubitos in longum, quinque autem tenet in latum, cuius cacumen lapideum quatuor ſuſtinetur ſuffragio columnarum: deſuper autem quatuor columnæ marmoreæ locatæ erant antiquitus. Olim ſuper lapideos arcus, qui continebant abſidam, ferebant ligneam ſex cubitorum longitudinis, & trium latitudinis, ſeptémque ac ſemis altitudinis, quæ vndique auro & argento veſtita, hiſtoriam Dominicæ Natiuitatis & paſſionis præmonſtrabat analglypho prominente opere pictura ſatis optima. Verùm hoc decentiſſimum de quo loquimur ornamentum, ob recreationem pauperum tempore famis fuit diſſipatum à Domno Abbate *Vuillelmo*. Et cum capſa aurea mirificè gemmis exornata, paritérque tribus tabulis ac duobus thuribulis argenteis, crucibúſq; ac omne ornamentum in auro & argento venundatum eſt. Ante hæc verò tempora, inſignia ornamenta, videlicet gemmę, pallia

Nota.

Digitized by Google

pallia pretioſa, capſæ, tabulæ, coronæ, vaſa quoque Eccleſiaſtica, ſeu candelabra, ex auri argentíque metallo fabricata, cum imagine Saluatoris Domini noſtri ex auro, fuſili opere facta, latronum fraude, in ipſius Sancti feſtiuitate, occiſis cuſtodibus, furto fuerunt aſportata. Hæc ornamenta à Guntranno & cæteris Regibus huic loco pro veneratione & honore Dei, ſanctíque Benigni Martyris antiquitus collata, ſed priſcis temporibus ſacrilegâ peſſimorum manu ſublata, nullus poſteâ extitit Principum, qui tantum potuiſſet recuperare theſaurum. Hæc ad notificandam Diuionenſis loci antiquitatem & gloriam paucis dicta ſunt. Illud in fine notificandum eſt, in templi iſtius ædificio eſſe columnas trecentas ſeptuaginta & vnam, exceptis illis quæ in turribus & altaribus ſunt. Feneſtrę clauſę vel claudendę vitro centum viginti. Turres octo : portę tres : oſtia viginti quatuor.

Iterum de S. Guillel. Abbate.

Nunc ad ea quæ omiſeramus patris *Vuillelmi* explicanda geſta ſtilum vertamus. Auguſtorum ſeu Regum Palatia cùm adiit, in eis non quæſiuit quæ ſua ſunt, ſed quæ *Ieſu Chriſti*; vt ex eorum ſcilicet familiari conlocutione ſubueniret opreſſis ſua interuentione; aut certè ex ſeculari vel Clericali habitu Deo lucrifaceret; vt iuxta Domini præceptum propria relinquerent, & ſecularibus curis ſemotis Deo in tranquillitate ſeruire ſtuderent. Conueniebant igitur ad eum plurimi, vt diximus, & licet diuerſi nationibus, mente tamen vniti. Lætabatur Paſtor in ſui gregis augmẽto, magíſque gaudebat quòd omnes inſtabant operi propoſito. Verùm quia ſuper gregem ſibi commiſſum ſolerti vigilauit curâ, diuinâ promeruit gratiâ de fructu laborum ſuorum in hac gaudere vita. Nam regularis vitæ diſciplinam, quæ iam penè deciderat per veterum negligentiam, prout beatus *Benedictus* eam compoſuit in priſtinum ſtatum corrigendo reſtauRegulæ S. Benedict. obſeruantiam diuerſis in monaſteriis reſtaurat.
rauit, ac per diuerſas mundi partes per plura monaſteria à regulari tramite deuia, tam per ſe, quàm per ſuos, quos Abbates ordinauerat, monaſtico ordini ſubdidit. In hoc verò gaudens gratulabatur Deo, quòd eorum quos ſuâ ſub curâ educauerat ad monaſticum regendum ordinem fore multos idoneos videbat : ex quibus nos aliquos dignum iudicauimus

Digitized by Google

huic Libro indere, vt sciant posteri, quàm strenui ex hac congregatione prodierint Monachi, eorúmque memoria permaneat in laude.

Insignes S. Guillel. discipuli.

Cùm primùm Abbatis suscepit officiũ venerabilis *Vuillelmus*, inter Monachos in hoc loco degentes fuit quidã iuuenculus vocatus *Hunaldus*, quem prædictus pater videns solertis ingenij, retinuit sibi cæteris abeuntibus. Hunc præcipuè omni studio doctrinæ imbutum, in domo Dei constituit vas electum. Ad omnia quippe quæ sibi erant necessaria prædicti fratris iuuabatur solertiâ. Denique iniunxit illi curam huius sacri periboli, quam tantâ prosecutus est curâ, vt penè totum quicquid fuit ornamentorum in hac Basilica, eius studio sit aggregatum. Ad vltimum post obitum prædicti Patris Abbatiam Tornodorensem assecutus, ibidem quieuit annis viginti septem in regimine transactis. Alter quidam huius castri Diuionensis ciuis nobili ortus genere *Rodulphus*, Albus vocatus cognomine, venit ad conuersionem inter ipsa primordia eius nouæ ordinationis, cuius pecuniis releuata est paupertas prædicti Patris, & consilio atque adiutorio subleuata sollicitudo regiminis huius loci & Besuensis monasterij: (ad huc quippe erat ei paucitas Monachorum) quem prędictus frater ita iuuabat in exterioribus curis, vt solus supplere videretur solamen plurium. Sed præter eius votum, hoc solatium tulit illi paucitas dierum. Alter quoque subiunctus est memorato Patri, *Theodericus* dictus, huius patriæ ciuis, quem post diuturnam eruditionem Fiscanẽsi cœnobio constituit Priorem, ad vltimum Gemmeticensium præfecit Abbatem. Alius ex castro, Belno dicto, Miles, *Ledbaldus* vocatus, & à studio sapiens cognominatus, Patri *Vuillelmo* est adiunctus. Cuius imbutus doctrinâ spiritali, per aliquod tempus Archimandrita in Tornodorensi loco est substitutus.

Abbatiæ S. Guillel. reformandæ traduntur.

Famâ sacræ Religionis eximij patris *Vuillelmi* percitus quidam Metensis Clericus, generosis ortus natalibus, nomine *Benedictus*, eius discipulatui est agregatus: breuíque in tempore studendo eum imitari, doctrinâ & conuersatione perfectionem attigit monasticæ vitæ. Per eius igitur relationem comperit Domnus *Adelbero* Metensis Pontifex Patris Vuillelmi religiosam conuersationem. Aquo suppliciter

euocatus, atque ſancti Arnulphi Abbatiâ donatus, eundem Benedictum ibidem conſtituit Patrem, vbi per multos annos ſacris intentus actibus, vitâ functus claruit multis virtutibus. Ne verò à tanto Pontifice Reuerendus Abbas Vuillelmus rediret vacuus à munere, ſtolam auro textam, duáſque cappas purpureas aureo limbo decoratas, ab eodẽ percepit Præſule. Sed & præfatus Benedictus Abbas ordinatus caſulam auro decenter ornatam, atque alia ornamenta obtulit ei pro benedictione. Quæ præfatus Pater tam hoc in loco, quàm Fructuarenſi, à ſe nouiter cœpto, diuiſit vt ſibi placuit. Prędictam verò ſancti Arnulphi Abbatiam poſt mortem ante dicti Abbatis rexit annis multis. S. Arnulph. Metenſis. Fructuarienſis.

Ex Tullenſi quoque clero venit ad eum quidam *Arnulphus* vocabulo, litteris apprimè eruditus, omníque mundanâ ſapientiâ doctus. Hic in breui aſſecutus perfectionis vitæ inſtitutionem, cõmiſſa eſt ei cura à Domno Patre Vuillelmo non ſolùm huius, ſed & omnium quæ ſub eius erant prouiſione locorum. Qui quanta in hoc loco egerit bona pòſt referemus: non enim debent ſilentio tegi verborum quę ipſius clarent ſtudiis operum.

Interim proſequamur inſignium memoriam enarrare virorum, quia licet nos eorum ſequaces tabeſcamus deſides ab eorum religionis feruore, & vndique internis ſcilicet atque externis malis ingruentibus ab omnibus bonis ſtudiis torpentes, ſimus ignauia & pigritia adſtricti: Erunt tamen forſitan poſt nos aliqui, qui horum legentes geſta ſtudebunt imitari exempla. Domnus igitur *Bertoldus* Leucorum, qui Tullo dicitur, Epiſcopus per querimoniam à ſe delapſi Clerici, confabulationem quæſiuit ſæpefati Abbatis Vuillelmi. In cuius verbis conſiderans inconcuſſam inadulatámque conſtantiam mentis, cæteráque inſignia virtutum in eius actis & moribus reſplendentia, admiratus, monuit inſtanti prece vt Abbatiam ſancti *Apri* ſuſcipiens emendare curaret ſecundum ſancti Benigni inſtitutionem. Cuius annuens precibus eundem Cœnobium in paucis annis ad regularem commutauit ſtatum. Inuenit ibidem ſtrenuos Monachos, ex quibus vnum, *Vuidricum* nomine, poſt non multos annos in eodem monaſterio conſtituit Patrem Monachorum. Qui S. Apri Tullenſis.

Digitized by Google

egregij Magiſtri docilis diſcipulus ita eum ſtuduit imitari in omnibus, vt in ſuis omnibus vel verbis vel actibus repręſentari quodammodo videretur Pater Vuillelmus. Multos denique erudiens in ſancta conuerſatione, aliquantos aliorum monaſteriorum Patres Monachorum ex ſua protulit congregatione.

Plures epiſcop. & Abbates Guillelmi magiſterio ſe ſubdunt.

Plures igitur Sacerdotum vel Abbatum ſibi commiſſorum locorum vel Eccleſiarum relinquentes curam, ad Patris *Vuillelmi* confluebant doctrinam. Quidam Epiſcopus ciuitatis Albingatæ, quæ eſt iuxta Genuam ciuitatem, ſuper mare ſitam in Italia relicto Epiſcopio, prædicti Patris ſe ſubdidit imperio. Alter quoque Epiſcopus, *Barnabas* vocatus, genere Græcus, in hoc monaſterio ſub eius magiſterio plurimis annis eſt conuerſatus. Alius verò, *Benignus* dictus, Epiſcopus à Roma huc adueniens per aliquot annos cum ipſo commoratus fuit ſubiectus & obediens. Abbates etiam perplures ex diuerſis partibus venientes ſponte ſe ipſi ſubiiciebãt obedire parati: inter quos fuerunt Abbas *Ioannes*, dictus Capuanus. Alter quoque Ioannes Abbas monaſterij ſancti Apollinaris in vrbe Rauenna. *Benedictus* quoque Abbas monaſterij ſancti Seueri vrbis Claſſis. *Anaſtaſius* etiam & *Marcus*, & alij Abbates plures, quos longum eſt enumerare. Monachorum verò non eſt numerus, qui ab illis venerunt partibus. Archidiaconus etiam quidam Mediolanenſis, nomine *Gotefredus*, vt nobilem decebat, nobiliter veniens cum multis theſauris, inter quos altare onychinum auro & argento decenter ornatum, & quicquid ad capellam pertinebat, ornamentum ſcilicet Eccleſiaſticum, ſecum detulit. Pluribus annis in hoc monaſterio monachus permanſit, ac poſteà per conſenſum Abbatis Vuillelmi patriam reuocatus, Abbas apud Mediolanum eſt conſtitutus.

Ipſi denique Sancti viri Patres & Doctores Eremitarum exiſtentes, famâ ſanctitatis longè latéque notificati, *Romaldus* ſcilicet, *Vuillelmus* ac *Martinus*, quos in magna veneratione habebat vrbs Rauenna, cęteríque quos intra ſe concludit Italia, Patris Vuillelmi expetebant ſocietatem. Quia ſanctorum coniunctio grata & iocunda, Eccleſiæq; perneceſſaria, & è contra ſocietas malorum impedimentum bonorum. Ipſi

Digitized by Google

verò cultores Eremi relictâ quiete ſolicitudinis gaudebant ſub eius magiſterio aſſociari Cœnobitis. Ex eorum ergo numero adiuncti fuerunt ei duo, *Ioannes* & *Paulus*, litteris eruditi. Quorum ſapientia ad ſalutem multarum profecit animarum. Horum vterque monaſticæ religionis feruentiſſimus, & in cœnobiali conuerſatione cæteris erant imitandi: & in contemplatiua vita lectioni & orationi aſſiduè ſtudentes, videntibus exẽplo fuerunt pariter & admirationi. Reuerendæ memoriæ Paulus apud nos in pace quieuit. Ioannes verò homo Dei ſanctam ob conuerſationem vocatus à Domno Patre Vuillelmo Fructuarienſi cœnobio Abbas eſt inſtitutus. De quo loco, quia occaſio ſe præbuit, intimandum paucis videtur qualiter fundatus fuerit.

Origo Fructuarienſis Monaſter.

Duo germani fratres fuerunt ſæpedicti Abbatis *Vuillelmi*, vnus vocatus eſt *Nytardus*, alter *Gotefredus*. Primus eorum honore Comitatus enituit; alius militiæ ſtipendiis contentus fuit. Quos prædictus Pater ſæpe ammonendo à mundi illecebris abduxit, & ad Chriſtum conuertit. Venientes ergo vterque ad hoc Diuionenſe Cœnobium, exceptis aliis rebus, dederunt ſancto Protectori noſtro Benigno quoddam iuris ſui prædium, Vulpianum vocatum, quodam præſagio futurorum. In quo loco Domnus Vuillelmus fundauit Eccleſiam in honore ſancti Benigni, vt notitia & honor ipſius ſancti in illa patria adcreſceret, & vt in hæreditate parentum ſuorum aliquid acceptum Deo ædificaret. Deinde vt oblatio eorum ad animarum proficeret lucrum, atque vt fructus bonorum operum quæ ibi geruntur, ſibi & illis eſſet abolitio peccatorum, & æternæ vitæ digna recompenſatio præmiorum. Vnde & Fructuarienſis ille locus eſt vocatus. In breui ergo tempore factum eſt nobile cœnobium, vbi de hoc loco & ſpiritualia & temporalia ſubſidia ſunt delata, Reliquiæ ſcilicet multæ cum corporibus ſanctorum, volumina librorum, omniáque Eccleſiaſtica ornamenta, & Monachi plurimi pariter illuc abierunt. Sed & de aliis ſuæ ditioni ſubiectis locis, & vndecumque oblatis ſupplementis, magnificatus eſt locus poſſeſſionibus & diuitiis. Ita vt in vita eius congregatio illius loci centum numero conſtaret Monachis, exceptis locis cellarum ei loco ſubditis, quæ fere triginta-

exiſtunt. Conuocatis ergo Epiſcopis patriæ, Rege quoq; Arduino, qui ibi poſt modùm quieuit, ſuâ cum coniuge, & multis Nobilibus ipſius regni, in honore ſanctæ Dei Genitricis *Mariæ*, ſanctique Benigni, & omnium ſanctorum, fecit locum illum ſacrari.

Plura ædificauit monaſteria.

Conſtituit & alia monaſteria in eadem patria, vbi deputatis Monachis, & Abbatibus ordinatis, adhuc ordo viget monaſticus. Sanctimonialium etiam inſtituit Monaſterium.

Richardi Comitis rogatu Fiſcannenſe cœnobium ſuſcipit regendum.

Auditâ Dei viri famâ nobiliſſimus Nortmannorum Comes *Richardus* miſit ad eum, reuerenter ſupplicans, vt ad ſe veniret. Qui tandem libenter vt rogatus fuerat pergens, venit ad eum; à quo ſicuti decebat honorificè ſuſceptus eſt. Multíſque eius precibus exoratus eſt, vt Eccleſiam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis nomine & honore dicatam, in loco qui Fiſcannus dicitur, olim conſtructam, & à ſe in ampliorem ſtatum decenter reformatam, ſuſciperet, atque Monachorum collegio decoraret. Cuius precibus annuens ita præfatum locum omnibus religioſis ſtudiis, cęteríſque bonorum copiis adornauit, vt præ cunctis illius prouinciæ locis, fœlicibus ſemper floreat incrementis. In quo loco multi conuenerunt nobiles viri, tam Clerici, quàm Laici, eius doctrinis cupientes inſtitui: inter quos *Oſmundus* Epiſcopus ſanctæ & religioſę vitæ extitit Monachus. Duo quoque Clerici liberalibus artibus adprimè eruditi, aulâ Regis poſtpoſitâ Vuillelmum Patrem expetierunt mente deuota. Vnus eorum vocabatur *Locelinus*, alter *Beringerius*. E quibus prior poſtmodùm Abbas extitit: ſequens in eodem loco vitæ finem accepit. De tranſmarinis etiam partibus, hoc eſt, Anglorum terra, vir quidam nobilis regali proſapia clarus, *Clemens* nomine, relictis ſæculi pompis ad idem monaſterium venit, Deo inibi cupiens militare. Sed cùm ab hominibus ex ſua patria aduentantibus crebrò inuiſeretur, magis diligens Deo ſeruire cum quiete, quàm vanitates mundi frequenter audire, Diuionenſe expetiuit cœnobium: vbi laudabilis vitę compleuit curſum. Fuit itaque ſecundum etymologiam ſui nominis Clemens animo, omnibus virtutibus adornatus, pręcipuè humilitate, quâ in tantum ſe abiectum & vilem aſ-

Multi ad eum inſtituendi monaſticis diſciplinis confluunt.

Digitized by Google

ſerebat, vt cùm ſacerdotij gradu fungeretur, numquam in omni vita ſua niſi ſemel ad hoc miniſterium accedere præſumpſerit.

Poſtquàm igitur per annos ferè triginta Vuillelmus Abbas Fiſcanenſe rexit cœnobium, cùm iam ſenectute ſimul & ægritudine grauaretur, & elegiſſet ſibi Fructuarienſem locum ad habitandum, deſiderans in patrio ſolo quieſcere. Conſiderans Princeps regni *Rotbertus*, qui poſt patrem & fratrem defunctos primatum tenebat Normannorum, petiit per legatos eundem Patrem, vt Abbatem ſibi ſubſtitueret, quia loci ſtatus aliter ſine detrimento manere non poſſet. Ad cuius petitionem, quendam ſibi valde dilectum Monachum, eiuſdem loci Priorem, nomine *Ioannem*, conſtituit Abbatem: licet eum alibi magis optaſſet præficere. Hic Italiâ, partibus Rauennæ, ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte per ipſius Patris iuſſionem edoctus, religioſæ conuerſationis eius, doctrinæ quoque, ac omnium virtutum ipſius præ cunctis aliis extitit imitator ſtudioſus. Qui ab exilitate corporis *Ioannelinus* diminutiuo nomine eſt dictus, ſed humilitatis, ſapientiæ, diſcretionis, ac cæterarum virtutum tanta in eo refulſit gratia, vt (ſicut ſanctus refert Gregorius in libro dialogorum de Conſtantio Preſbytero) ita vt in hoc mirum eſſet intuentibus, in tam paruo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare. Sed quia adhuc domum habitat luteam, ſufficit hoc tantùm dixiſſe: dicit enim ſcriptura: *Ne laudes hominem in vita ſua.*

Abbatem Fiſcanni ſibi ſubrogauit S. Guillelm.

Lib. 1. c. 5.

Authoris huius Chronici ætas.

Commiſit & alia loca memoratus Comes *Richardus* ſæpefato Abbati *Vuillelmo*, ſcilicet Gemmeticum, vt iam diximus, monaſterium ſancti Audoeni, Montem ſancti Michaëlis Archangeli: in quo loco poſt mortem patris prædicti, ſupradictus *Ioannes* Abbas conſtituit Patrem quemdam Monachum prænominati Patris Vuillelmi: vocatus eſt autem iſdem Frater *Subpo*, Romanorum patriâ exortus, & iam dicti Magiſtri inſtitutione in omni ſanctitate educatus. Qui poſt modùm quibuſdam contrarietatibus exortis, relicto ipſo loco, Fructuarienſem Abbatiam annis pluribus rexit. *Rotbertus* etiam Rex Abbatiam ſancti Germani apud Pariſius precatus eſt prædictum Patrem vt ſuſciperet, & ſecundùm

S. Guillel. Monaſteriorum Gemmetici, S. Audoeni, & Sanct. Michaëlis, curam gerit.

Necnon S. Germani, S. Faronis, Gorzenſis.

Digitized by Google

regularem inſtitutionem ordinaret · quod & fecit. Nec non & *Oddo* Comes pari deuotione locum ſancti Faronis in vrbe Meldorum eidem commiſit venerabili Patri. Sed & honorabilis Præſul Metenſis Eccleſiæ Theodericus Gorzienſem Abbatiam eodem zelo Dei commendauit illi, defuncto illius loci Abbate : qui dum præfatum regeret locum ex Clero Metenſi quendam Clericum, *Sigifridum* vocatum, litteris bene doctum, ad monaſticum attraxit ordinem ; qui poſt eius deceſſum eandem rexit congregationem.

Domnus verò *Arnulfus* iſtius loci Prior (vt iam diximus) cùm patris Vuillelmi, & præfati Præſulis admoneretur precibus, vt iam dicti loci ſuſciperet curam, atque Abbatis officium ; ipſe humilitatis amator nullo modo aſſenſit, magiſque elegit ſubeſſe quàm præeſſe ; ſolummodò cuiuſdam parui loci à prætaxato Patre Vuillelmo ſibi expetiuit curam & dominium. Eſt autem locus ille ſitus in confinio Tullenſis & Lingonenſis parrochiarum, in loco qui vocatur Brittiniacacurtis. Quomodò verò ſancto Benigno iſtius loci patrono fuerit datus, nunc referemus. *Iacob* Tullenſis vrbis Epiſcopus dum rediret Româ incitatus famâ miraculorum, quæ in hoc loco Dei operabatur clementia per iſtius ſancti merita, ad ipſius Martyris Chriſti aduenit tumulum, cupiens à Deo veniam adipiſci delictorum per huius glorioſi Martyris interuentũ. Dúmq; per aliquot dies remorando ad tumbam eius cœlorum penetraret intima, vocatus à Domino eſt ad cœleſtia regna: ſanctíq; Benigni adiutus precibus & in cœlis cum eo gloriam, & in terra iuxta eius tumulũ condignam accepit ſepulturam. Cuius ſoror, nomine *Lilioſa*, ad ſancti Benigni veniens limina, prædictum prædium ſuum donauit ſancto Benigno Martyri, pro fratris ſuis ſepultura. In quo loco ædificauerunt Eccleſiam in honore ſancti Benigni Monachi hunc locum inhabitantes : vbi multis virtutibus à Deo clarificatus eſt hic Martyr ſanctus. Sed vicini circũmanentes multis moleſtiis impediebant illi ſeruientes : veruntamen videntes quæ ibi fiebant miracula, frangebantur à ſua pertinacia. Hic enim ſanctus Benignus aduerſantes ſibi diu tolerat, ſed poſtmodùm impœnitentes durè caſtigat. Ad ipſum itaque locum dedit quædam *Natalia* nobilis fœmina terram

ſuæ

Digitized by G

ſuæ poſſeſſionis in fine Branticianæ villæ, & in fine Buſiniacæ pratum vnum. Quæ vtraque ſunt in confinio memorati prædij. Fecit verò prædicta fœmina ipſam donationem tempore Caroli Regis & Imperatoris. Hunc ergo locum ſupradictus Domnus Arnulfus ſibi eligens, omni cura ſtuduit eum augmentare. Ac primùm Baſilicam ibi magnam conſtruens, officináſque ac reliqua habitacula Monachis vtilia nobile cœnobium conſtituit, poſſeſſionibúſque & terris augere procurauit.

Dedit itaque Miles quidam, *Eurardus* vocatus, villam ſuam Manniſis dictam in eodem loco, ſancto Benigno; accepto à Domno Arnulfo pro hac re non paruo pretio. Pertingit verò terra ipſius alodij, vſque ad portam caſtri, quod vocatur Riſnellus. Cúmque dominus eiuſdem caſtri Odulricus Comes, eundem alodium ſibi vellet vindicare; à Domno *Brunone* Præſule tandiu eſt perſecutus excommunicatione, & inimicitiarũ vi, donec ipſum alodium dimittens vuirpiret, & inſuper iuraret, nec ſe nec aliquem hæredum ſuorum ibidem violentiam illaturum. Dedit Archidiaconus Lingonenſis, *Beraldus* dictus, ſancto Benigno Eccleſiam in honorem ſancti Deſiderij dicatam in Algiſi-villa, ſimul cum ipſa poſſeſſione. Et in Brualdi curte; & molendinos in Materna fluuio, in loco qui vocatur Mortuellus. Dedit *Girardus* Metenſis Comes medietatem villæ, quæ dicitur Godonis curtis. Dedit *Gotbertus* quidam nobilis alodium ſuum in loco Solinimõs dicto. Quod dum quidam parens eius calumniaretur, & ſæpe admonitus à prædicto Priore *Arnulfo* non adquieſceret; tandem in bello ab inimicis ſuis capitur, multis plagis confoſſus. Ipſe ergo Miles, *Rodulphus* dictus, de Barrenſi caſtro, cognoſcens hæc & alia mala ſibi prouenire ob ſancti Benigni iniuriam, vocato memorato loci eius prouiſore, omnem dimiſit quam inferebat calumniam. Sed & filius ipſius *Rainardus* dum paria faceret, ſimilem excepit vindictam. Emit prædictus Præpoſitus in Linerolis-villa Eccleſiam, & partem ipſius poſſeſſionis, & in Montaniaco, & in Calmillas, atque Latona, in Clini campo, in Conchis, in Salcido, in Salſuris; his & aliis locis emit plurima terrarum manſa, quæ vſque nunc poſſidentur ab illius loci Monachis. In hoc verò Cœ-

nobio quanta geſſit non eſt ſilendum: Vulnonis villam dictam in pago Tricaſino ipſe ad *Stephanum*, itèmque ad *Oddonem* Comites, ſæpe recurrendo, & multas pecunias dando, ſancto Benigno reſtituit. Vbi ne deinceps auferretur, inſtituit cellam Monachorum, officináſque eorum vſui neceſſarias, atque Baſilicam amplam & honeſtam in ſancti Benigni honorem conſtruxit.

In pago Portuenſi Albiniacum-villam in præſtaria datam, & longinquitate temporum perditam, Domnum *Brunonem* Epiſcopum ſæpe interpellans, atque *Vuillelmum* Comitem, ipſis raptoribus auferri, & ſancto Benigno reſtitui fecit. In quo loco monaſterium magnum conſtruxit ad honorem ſancti Benigni, & cellam inſtituit Monachorum. Erat ibi antiquitus Eccleſia ſancti Marcelli Martyris honori dicata, quæ manet vſque adhuc. Additæ ſunt ibi poſteà aliæ duæ Eccleſiæ: in Cinbinno, & in Duellari villare; poſſeſſióque terrarum ampliſſima. Longum eſt per ſingula quæq; referre, cùm penè omnia, quæ iſte locus Patris Vuillelmi tempore acquiquiſiuit, Domni Arnulfi Prioris conſilio & labore factum ſit. Super cætera quæ geſſit, hanc Eccleſiam ſancti Benigni librorum ornamento decorauit ipſe, impenſas tribuendo, & Domnus *Girbertus* ſcribendo. Fuit autem Girbertus ex primis quos nutriuit Domnus Abbas Vuillelmus, & ab officio Scriptor eſt appellatus.

Girbertus scriptor.

Otto Comes, cognomento *Vuillelmus*, quem ante memorauimus, ſupplicante Domno *Vuillelmo* Abbate, qui ei propinquitate iungebatur, dedit ſancto Benigno in Salinis burgo ſedem vnius caldariæ. Sequenti tempore Domnus *Arnulfus* & Monachi Diuionenſis loci, emerunt aliam caldariam à coniuge ipſius Comitis, per laudem filij eius *Rainaldi*. Dederunt etiam *Vuillelmus* & filius eius ſupra dictus *Rainaldus* ſancto Benigno terras coniacentes in his locis. In Cernenſi-villa, & in Dornone, ſcilicet terras arabiles, & prata, vbi poſſunt ſecari fœni quinquaginta carra. Eſt in Dornone vnum pratum, quod poſſunt ſecare falces centum: & debet in cenſu ſolidos octo,* multones tres, * ſcindulas centum. Et in alio loco Callis vocato pratum alterum cum ſylua ibi permixta. Dedit idem ipſe Comes Otto ſancto Benigno po-

*Verueces. Gal. Moutons.

*Scandulas

teſtatem Viuarienſis villæ pro anima Henrici Ducis, qui eum loco filij adoptauit, & genitricis ſuæ *Gerbergæ* vxoris prædicti Ducis, ac filij ſui *Vuidonis*, & *Hermitrudis* coniugis. Próque animæ ſuæ ſalute dedit prædictam poteſtatem cum appenditiis ſuis, ſicut dono prædicti Ducis Henrici & vxoris eius, ſuæ verò genitricis *Gerbergæ*, ſibi datam legaliter tenuerat annis triginta, ita integram cum Eccleſiis in ea ſitis: vnam in honore ſanctæ *Mariæ*, alteram iuxta ipſam poſitam ſancti Petri Apoſtoli nomine ſacratam, & villis, & terris multis; ſcilicet in Crocherco, in Grugiaco, in Frigida villa, in Colombario, in Luſiniaco, in curte Romaniſca, in Deſtagno, in Cadiniaco, in Mille ponto, in Turiaco, in Albania, in Cariaco, in villa Comitis, vel in aliis quibuſcumque locis, cum mancipiis vtriuſque ſexus plurimis, & omnes redditus & conſuetudines, quas debent ipſi ſerui & ancillæ, & etiam illi qui francos ſe dicunt, deſuper ipſam poteſtatem, commates vbicumque. Facta eſt hæc donatio anno ab Incarnatione Domini noſtri *Ieſu Chriſti* milleſimo quarto, indictione ſecunda. 1004.

Eodem tempore *Oddo* Vicecomes, filius *Henrici* Ducis, dedit ſancto Benigno quamdam Eccleſiam ſitam iuxta muros caſtri, quod dicitur Belnum, antiquitus in honore ſancti Stephani ſacratam, ſed iam per multa curricula annorum deſtructam. Quam ipſe & vxor eius, *Hingala* dicta, à fundamentis in ampliorem ſtatum reædificantes, Abbatis Vuillelmi ac Diuionenſium Abbatum prouidentiæ perpetuæ dederunt. Et vt Monachis ibi commanentibus non deeſſent ſtipendia dedit ad ipſum locum in comitatu Duſmenſi villam, Empiliacus ſiccus vocatam, cum appenditiis omnibus, & conſuetudinariis, & actionibus, ab hiis etiam quæ Francorum nomine cenſentur pro debito exigendis. Dedit in Mille-ponto villa terras arabiles, & vineas. In Polmarco, in Vallilias, manſum ad manendum, vineas & prata. Et vt donatio iſta perpetualiter maneret, *Rotberti* Regis Francorum, interueniente Domno *Vualterio* Epiſcopo, in cuius diœceſi erat memoratus locus, & *Ottone* ad cuius beneficium pertinebat Comite, petiit regali Præcepto firmari, ad nomen ſancti Benigni iure perpetuo poſſidendum. Factum eſt

Eccleſiæ diuerſæ conferũtur s. Benigno.

1005. hoc Præceptum anno incarnati Verbi milleſimo quinto.

Alter quidam Miles prædicti Comitis *Ottonis*, *Letbaldus* dictus, quandam Eccleſiam in honore ſancti Petri dicatam, loco qui dicitur Puteolis, quam beneficiario iure tenebat ab ipſo Comite, per eius laudem dedit ſancto Benigno, ditans eam rebus propriis: vtque hoc donum ſtabiliretur, petiit à prætaxato Rege *Rotberto*, memoratis interuenientibus Legatis, regali munificentiâ firmari, vt Monachi ibi Deo ſeruientes, pro ipſo Rege, & eius prole, próque largitoribus huius doni & eorum progenie, omníque populo Chriſtiano Dominũ ſtudeant exorare. Factum anno milleſimo ſexto.

1006.

Humbertus etiam dominus caſtri, quod vocatur* Salmacia, dedit Eccleſiam ſanctæ *Mariæ*, ſitam in ipſo caſtro, ſancto Benigno in perpetuum poſſidendam, ſub prouidentia Abbatis *Vuillelmi*, ſucceſſorúmque eius; vt Monachi ibi mitterentur Deo & eius Genitrici ſeruientes, ac pro ſe & omnibus viuis ac defunctis ſupplicantes. Ad quorum victum dedit alias duas Eccleſias, vnam in villa Buxo dicta, cum manſis, & terris aliis; ac farinario, ſeruis, & ancillis; alteram in villa Nermedis. Huius rei donatio facta eſt *Roberti* Regis Anno vigeſimo ſexto, ab Incarnatione Domini milleſimo* decimo tertio.

al. * Sarmacia.

*ſeu, 16.

1012.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo duodecimo, *Vuillelmus* Abbas Diuionenſis, & *Amadeus* Flauignienſis Abbas, fecerunt cõmutationem inter ſe de terris. Dedit memoratus Abbas Amadeus de Abbatia S. Petri quicquid habere dignoſcebatur in villa Dienato, & in villa Comitis, & in alia villa Salice dicta, & in villa Carli, & in villa Icio, in Marciaco & in villa Tarſu, & in villa Meleis, cum omni familia vtriuſq; ſexus, & omnibus appenditiis. E contra dedit Domnus Abbas Vuillelmus quicquid habebat ex Abbatia ſancti Benigni, & loco ſancti Stephani, in villa Empiliaco ſicco dicta (quam olim *Odo* Belnenſis Vicecomes ex conſenſu vxoris ſuæ, nomine *Inge*, & filiorum eius, *Aquionis* Abbatis, & *Ioannis*, ad iam dictum locum ſancti Benigni delegauerat) vicinum erat Abbatiæ S. Petri* Flauignienſis. Communicatum eſt cum ſeruis & ancillis, & omnibus appenditiis ſuis atq; redditibus, per laudem & aſſenſum Domni *Brunonis* Lingonenſis, atq;

al. *Flauiniacenſis

Digitized by Google

Domni *Vualterij* Epiſcopi Heduorum, ad quorum diœceſes pertinebant præfatæ Eccleſiæ.

Poſtmodùm *Hugo* quidam Miles de Parui, Diuion * caſtrum habitator partem ſuæ hæreditatis, quam in prædicta villa Dienato habebat, cum conſenſu & laude vxoris ſuæ *Hildegardis*, & filij ſui *Humberti*, dedit ſancto Benigno ante Domnum *Brunonem* Epiſcopum, multis Clericis, & Laïcis nobilibus aſtantibus: ac poſtmodùm in præſentia ſucceſſoris eius Domni *Lamberti* Epiſcopi, quando capitis comam depoſuit. Reiterauit donationem ad altare ſancti Benigni coram multitudine populi, dans ipſum patrimonium ſuum in iam dicta villa Dienato, vel vbicumque poſitum, cum ſeruis & ancillis, cúmque omnibus debitis conſuetudinariis exigendis. Actum anno milleſimo decimo ſeptimo. 1017.

f. * caſtri habitator

Ex hac terra ſunt in villa Karli manſa decem, cum terris aliis ad ipſa manſa pertinentibus, ac ſeruis plurimis & ancillis deſuper commanentibus. Sunt in Dienato coloniæ quindecim, curtilli viginti, & terra abſque æſtimatione, ſerui & ancillæ pluſquam ſeptuaginta. Eſt ſylua, quæ appellatur mons Rigon in Largo fonte, manſi quindecim cum ſeruis & ancillis, & terra multa. In Scalurco manſum vnum cum ſuis appenditiis. In Hodeſca colonias ſex cum ſeruis & appenditiis ſuis. In Carco fuit villa quæ vocatur Britonia: ſunt ibi foreſtellæ duæ, vna vocatur Baſeſcoth, alia vocatur Petra. Sunt in Fontanis manſi duo cum terris & vineis. Sunt in Marcenniaco de vinea iornales tres.

Dedit Domnus Abbas *Vuillelmus* Monachis Belnenſis cellæ Eccleſiam ſancti Antonij, in Ficiaco ſitam, pro * excannio ſupramemorato Empiliaci ſicci & Dienati. Dedit Monachis Sarmocienſis cellæ ad laborandum & cuſtodiendum terram ſancti Benigni, poſitam in Sarmacia villa, & in Viriaco.

al. * excambio

Ipſo in tempore *Addita* Comitiſſa, vxor *Richardi* Comitis Diuionenſis, reddidit ſancto Benigno quicquid prædictus Comes vir ſuus tenuerat de terris ſancti Benigni in beneficio à *Manaſſe* Abbate, pro ſalute animæ eiuſdem viri ſui, & filij ſui *Letaldi* Comitis (quorum corpora ſepelierat in hoc monaſterio Diuionenſi) coram Legatis Domni *Brunonis* Epiſcopi ad hoc miſſis. Tradidit ſuper altare ſancti Benigni ipſam

vino petionem, vt neque ipſa deinceps, neque vllus Militum eius, de illo beneficio quicquid retineret, niſi tempore vitæ ſuæ. Poſt obitum verò vniuſcuiuſque quod tenebant rediret ad ius ſancti Benigni. Hæc redditio facta eſt anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptimo.

Tempore illo adoleſcens quidam, nomine *Achedeus*, Lingonenſis Eccleſiæ Canonicus, in præſentia Domni Brunonis Epiſcopi, & Ottonis Comitis, dedit Eccleſiam ſancti Albini ad altare ſancti Benigni Diuionenſis patroni, eâ conditione tradidit prædictam Eccleſiam cum appenditiis ſuis ad memoratum locum, pro ſe, & pro patre ſuo *Letbaldo*, in hoc loco facto Monacho, vt iam diximus, vt annis ſingulis quandiu viueret, perſolueret in cenſu pro prædicta Eccleſia ſolidos decem, & duo ſextaria olei. Poſtmodùm verò quidam *Hendricus* Miles matris eius, maritúſque, quia quamuis erat ſolutio cenſus, adiit præſentiam Domni *Vuillelmi* Abbatis, petiítque alienari cenſum prædictum: quod impetrauit; & ad quatuor denarios redactus eſt cenſus: & pro hac recompenſatione, próque animæ ſuæ ſalute, dedit villam Molenſam cum omnibus ad ipſam hæreditatem pertinentibus rebus. Conſiſtit ipſa hæreditas in Comitatu Oſcarenſe ſuper Sagonam fluuium atque Oſcaram & Tyllam: habétque determinationes amplas, prout ſcriptum eſt in carta. Facta hæc donatio ab Incarnatione Domini anno milleſimo tertio.

Exorta fuit tunc quædam altercatio inter Monachos huius loci & Monachos monaſterij ſancti Leodegarij, de quodam ſaltu, qui dicitur alta ſylua, ad Saciacum villam pertinente, quam determinant duo torrentes. Vnus dicitur Tramant, alter Scitilaria, ex diuerſa parte venientes. Quæ cùm mota fuit à Priore illius loci, nomine *Fulcherio*, ante *Henricum* Ducem Aduocatum præfati loci, & *Ottonem* (qui & Vuillelmus dictus) Comitem, qui tunc Aduocatus erat loci iſtius; atque in præſentia Domni Epiſcopi Brunonis. Ad hoc denique ventum eſt, vt reſpectum caperent vtraque pars ſuper ipſam ſyluam: quibus Comes *Richardus* cum plurimis ciuibus Diuionenſibus, videlicet *Vualterio*, *Remigio*, *Humberto*, aliíſque nobilibus, interfuiſſe ad iuſtitiam diffiniendam noſci-

Digitized by Google

tur. Indéque campum fieri decreuerunt, ſtatuto die quo is fieri deberet. Quid plura? huius loci Prior *Dominicus* adfuit cum ſuis paratus. Ille verò qui repetebat ſe ſubtraxit, & ad condictum placitum venire noluit. Póſtque multis annis ſine querela alicuius, ſancti Benigni locus ſuam veſtituram tenuit. Poſtmodùm verò prædicti *Fulcherij* ſucceſſor *Arnulphus*, de eadem ſylua cœpit proclamare denuò coram prædicto Comite Vuillelmo, contra memoratum huius loci Priorem Dominicum. Venientes igitur ad placitum, communiter decreuerunt nouum reparare campum, vbi affuerunt multi nobiles viri; Monachorum verò huius loci dictus Prior, & *Arnulphus* eius ſucceſſor, Vualdus, ſacrorum Cuſtos, & *Henricus*: Ibíque condictum eſt placitum. Inſequentis hebdomadæ feriâ tertiâ iterum prædictus calumniator accedens ad Domnum *Brunonem* Epiſcopum, cœpit cauſas prætendere ob * cauſas non poſſe venire ad placitum campi peragendi; atq; rogare vt in aliud tempus differretur. Quod audiens Domnus Bruno Epiſcopus vocatis ſancti Benigni Monachis ait: Quod cœpiſtis diiudicate, atque ſyluam quam tenuiſtis, tenete, quia iſti calumniatores nullam poſſunt rectitudinem oſtendere.

al.* quas

Higelbertus quidam Miles de villa Milleponto dicta, veniens ad obitum, Monachúſque factus in hoc cœnobio, dedit ſancto Benigno in comitatu Auguſtidunenſi, villam Brueriam dictam, cum omnibus appenditiis ſuis circumquaque iacentibus, hoc eſt in villa Adeunt manſum indominicatum, cum appenditiis ſuis, & ſeruo, ac filiis eius: & in villa Mardelco, atque in Barbariſco, & in Poliaco, nec non in Vinſiaco. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptimo facta eſt hæc donatio. Dedit & in villa Valongias manſum vnum cum appenditiis, coram *Brunone* Epiſcopo, *Vuillelmo* Comite, *Rainaldo* Comite, ipſius filio, *Ottone* Comite, filij eius *Vuidonis* filio.

Dedit *Garnerius* quidam Miles ſancto Benigno in villa Diſcaco manſum vnum, & ſeruum cum filio vno. Et in Viriaco manſum vnum cum appenditiis ſuis, ſeruis & ancillis, ac duas vineas. Idem Garnerius, & frater eius *Aldo*, dederunt alodium ſuum qui coniacet in loco, qui dicitur Mortariis,

Digitized by Google

in Comitatu Diuionenſi. Conſtat autem alodium in terris cultis & incultis, ex ſe ſimpliciter diuiſum. In ſyluis verò partim per ſe proximè, partim cum aliis participatur hęredibus. Proprium quidem alodium terminatur de vno latere terrâ ſancti Mammetis, à loco qui dicitur Niger ſolium, in ſuperiori parte vſque Vadarno-villam: in inferiori parte iam dicto Niger ſolio, vſque ad * exactum Vuillelmi, & vſque ad Syluam pertinentem ad Sauiniacum. Item de vna parte terra *Odonis* pertinẽs ad Spaniacũ. Item de alio latere de loco nuncupato Nerlangio, vſque ad campum pedulioſum, & vſque ad lacum, & vſque ad terram ſancti Petri de villa-Comitis, commune cum aliis hæredibus. Item de alia parte terra pertinens ad Vadarnodum. Item commune allodium incipit à quercu perdulioſo, & peruenit vſque Spaniacum, & vſque Cangegium & Caſnedum, & vſque villam Comitis. Vt ergo proprium, & commune totum ſimul ad iam dictum ſancti Benigni transferrent locum, acceperunt à Domno Vuillelmo Abbate & Monachis eiuſdem loci, octo libras denariorum. Sic ex conſenſu vxoris, & infantum ipſius Varnerij, tradiderunt atque condonauerunt præſcriptum allodium proprium ſimul & cõmune ad denominatum monaſterium; ſub præſentia Domni Brunonis Epiſcopi, aliorumque illuſtrium virorum, conſentiente & teſtificante *Vualone* Comite, & fratre eius *Vualterio*.

* Nouale

Alter *Vuarnerius*, & ipſe nobilis, dedit ſancto Benigno in Comitatu Diuionenſi, in villa Spaniaco, veſtita manſa tredecim, abſum vnum, colonias etiam octo, mancipia vtriuſque ſexus ſexaginta tria, & omnes reditus, & conſuetudines, atque exactiones quas debet ipſa poſſeſſio; nec non & omnem terram pertinentem ad prædictam hæreditatem abſque ſylua. Ita tamen vt ipſi ſerui eandem conſuetudinem, quam ipſi habuerunt de prædicta ſylua, quandiu eos tenuit, ſimili fine genus teneant. Fecit verò hanc donationem ipſe Vuarnerius per laudem & conſenſum Aldæ vxoris ſuæ, coram *Richardo* Comite, atque *Hugone*, & *Odone* fratribus eius, aliíſque nobilibus viris Diuionis caſtri, *Vualterio*, *Hugo*, *Remigio*, *Humberto*. In anniuerſaria die * martis eius refectio de ipſa poſſeſſione pręparetur fratribus, reliqua camerę

al. * hapſum

f. * martis

ipſorum

Digitized by Google

ipſorum deputaretur ad veſtimenta eorumdem fratrum.

Quia longum eſt enarrare cuncta quæ huic monaſterio collata ſunt tempore Domni Brunonis Epiſcopi; & quibus per ipſum, vel propter ipſum, ab aliis augmentatũ eſt bonis, ad ipſius vitæ finem, habitatoribus huius domus Dei omni tempore dolendum & deflendum, veniamus. Sed antè paucis deſcribere curabimus, quis fuerit modus vitæ eius. Fuit itaque in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione deuotus, in charitate perfectus, in humanitate profuſus, in ſermone paratus, in conuerſatione ſanctiſſimus: erat inreuerentibus terribilis aſpectu, metuendus ſeueritate, reuerendus inceſſu, venerandus benignitate. Cenſuram authoritatis tẽperabat manſuetudo humilitatis. Non perſonæ potentiã, ſed morum elegantiam attendebat in ſingulis, & tantò eminentiùs vnumquemque honorabat, quantò ſanctiùs viuere didiciſſet. Clericorum ac Monachorum, Sanctimonialium quoque nec non Viduarum ac pupillorum pater erat: atque inter diuites, & pauperes ita medius, vt pauperes illum quaſi patrem aſpicerent, diuites verò quaſi ſuperiorem ſibi diuitem timerent. Quandiu vixit, ita Burgundiam patrocinando protexit, atque defendit, non clypeo & lanceâ, ſed conſilij prudentiâ, quò ſibi Principes patriæ omnes deuinxerat, vt cùm Rex Francorum *Rotbertus* cum exercitu maximo hanc patriam ſæpe intrans incendiis & rapinis plurima loca vaſtauerit, nihil in ea retinere potuit, quandiu *Bruno* Epiſcopus vixit. Et quia ei nocere non poterat, huius maliuolentiæ cauſa Domno Abbati *Vuillelmo* tulit Abbatiam ſancti Ioannis monaſterij Reomenſis, eò quòd partibus fauebat, vt iuſtum erat, ſui Pontificis. Denique quodam tempore memoratus Rex cum plurimo exercitu Diuionem caſtrum aduenit, circumpoſitam regionem deuaſtans ac depopulans. Cuius iram timens præfatus Abbas *Vuillelmus*, omnes Mon[illegible]os ab hoc loco per alia monaſteria iuſſit ſecedere, aliqu[illegible]tos verò cum libris & omni ornatu Eccleſiæ intra caſtrum Diuion, ac in Eccleſia ſancti Vincentij, quam tunc quieto iure monachi iſtius loci poſſidebant, fecit reſidere, paucis ſolummodò fratribus ob cuſtodiam loci, & ſancti Benigni ſeruitium, cum Domno Abbate *Odilone* in hoc loco dimiſſis. Quem ad hoc

De moribus Brunonis epiſcopi Lingon.

Galliè Monſtier S. Iean.

Digitized by Google

accerſerat; vt ſi fortè Rex aliquid mali contra hunc locum moliretur, illius precibus exoratus dimitteret. Rex verò vt erat mente benignus, cùm cognouit propter ſe Monachos diſperſos, valde doluit. Paucis itaque tranſactis diebus, Franciam repedauit nullo negotio peracto. Ipſo denique anno, qui fuit ab Incarnatione Domini milleſimus decimus ſextus, Domnus Epiſcopus *Bruno* obiit ſecundo Calendas Februarij, peractis in Epiſcopatu annis triginta quinque. Fuit autem à ſancto *Gregorio* Epiſcopo, qui hunc locum fundauit, trigeſimus primus in ſucceſſione Epiſcoporum; vndecimus poſt venerabilem Iſaac Epiſcopum.

1016. Obit Bruno Epiſcop. Lingon.

Lambertus ſucceſſit.

Cui ſucceſſit *Lambertus* Epiſcopus. In cuius diebus quidam Archidiaconus Lingonenſis Eccleſiæ, Pariſiorum poſteà Epiſcopus, *Imbertus* nomine, Abbatiam ſancti Amatoris ſitam ante mœnia ipſius vrbis, quàm beneficij iure tenebat à Præſule memoratæ ſedis, obtulit ſancto Benigno per donum, & laudem prædicti Epiſcopi Lamberti; quatinus ibi Monachi ſiſterentur, qui Deo hymnis & laudibus die noctúque deſeruirent. Similiter quidam Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, *Gozelinus* dictus, dedit in ſuburbio ipſius ciuitatis medietatem vnus Eccleſiæ: altare verò totum ex integro, ſicut dono Epiſcopi tenuerat, ita ab eodem Præſule ſancto Benigno traditum eſt ad victum Monachorum in prædicto loco conſiſtentium.

Eadem deuotione *Aymo* Comes dedit Abbatiam in honorem ſanctæ Dei Genitricis *Mariæ* ſacratam, & ante ſuum caſtrum, quod Saxonis-fons dicitur, poſitam, laudãte prædicto Epiſcopo Lamberto, obtulit ſancto Benigno in perpetuum poſſidendam & Abbati Vuillelmo, quatenus ordo monaſticus, qui ibi quondam fuerat inſtitutus, ipſius repararetur ſtudio.

Sed & Normannorum Comes *Richardus* dedit ſancto Benigno Eccleſiam ſancti Adelberti, cum villa, & omnibus terris ad eam pertinentibus, ſitam in pago Oximenſi: quod filius eius *Richardus*, & ipſius Richardi filius *Robertus*, & Roberti filius *Vuillelmus*, poſteà per ſuccedentia tempora laudauerunt, & firmauerunt donum; atque Aduocati & Defenſores earundem rerum ad tutelam huius domus Dei fue-

Digitized by Google

runt, & adhuc ſunt. Quidam quoque Miles eiuſdem Comitis, *Gotbertus* nomine, in loco qui Longus-campus dicitur, dedit Eccleſiam in honorem ſancti Martini dicatam, cum terra ad ipſam aſpiciente. Vt verò hæc donatio firma perſiſteret, nec ab vllo propinquorum eius calumniaretur, dedit ei præfatus Vuillelmus Abbas ſexaginta libras denariorum. *Richardus* Normanorum Dux, & *Robertus* Archiepiſcopus eius frater, laudauerunt, & ſubſcripſerunt Cartæ, Anno milleſimo * tertio. *f.* * 20.

Henricus quidam Clericus de nobilibus dedit ſancto Benigno Priſceiam villam ſuam, cum Eccleſia inibi ſita, in præſentia Lamberti Epiſcopi & Archidiaconorum ipſius, *Beraldi*, *Humberti*, *Geraldi*, *Odonis*, & aliis quàm pluribus, tam Clericis, quàm Laïcis aſtantibus; atque Vuillelmo Abbate cum ſuis Monachis. Actum anno ab Incarnatione Chriſti milleſimo viceſimo. 1020.

Fœmina quædam nobilis, *Aremburgis* dicta, mater *Letbaldi* Matiſconenſis Epiſcopi, cum eodem filio ſuo dedit ſancto Benigno in villa Luuocata, ſeptem manſa cum ſylua ibi adiacente, & ſeruis qui de prædictis manſis ſeptem colonicas tenebant.

Altera matrona *Tetiardis* vocata, dotalicium ſuum dedit ſancto Benigno per laudem filij ſui *Vuidonis*. Coniacet verò in his villis; in Quintiniaco, in Albiniaco, in Sulliaco, in Attegias, in Curte-Arnonis, cum tertia parte Eccleſiæ inibi ſita; dicata in honorem ſancti Germani. Sunt manſa viginti vnum, cum terris ad eos aſpicientibus.

Quidam Miles *Rotbertus* dictus, veniens ad conuerſionem, dedit ſancto Benigno omnem hæreditatem ſuam, quæ coniacet in Comitatibus Belnenſi & Cabilonenſi: & in his villis; Seuiciaco, Rueledo, Moſſiaco, Ambaſſiaco, in Monticellis villa Giſlenſi, & in Scodingiis villa Seſilliis, cum ſeruis & ancillis, in prædictis locis manentibus, omnique terra in prænominatis locis ad ſuam partem pertinente, dedit coram dominis ſuis *Vuillelmo* Comite, & filio eius *Rainaldo*. Actum anno milleſimo * ſeptimo. *f.* * 27.

Alter Miles, *Albericus* dictus, dedit in Curte-curonis manſum vnum cum terris ad eum aſpicientibus: & in Aſſiriaco

villa tertiam partem ſuæ hæreditatis. Actum anno ſupradicto.

Alius quoque Miles *Vuillelmus* vocatus, cum coniuge ſua *Teudgarda*, & filio Romeſtannio, miſit in conuadium hæreditatis ſuæ partem in villa Attegias, vſque ad annos viginti quatuor, eâ conuenientiâ, vt tranſactis prædictis annis, ſi non eſſet redempta ab ipſo vel filiis, aut filiabus eius, deinceps iam non redimeretur, ſed Monachi ſancti Benigni, quorum pecunia ibi habebatur, iure perpetuo eam poſſiderent. Similiter alter Miles, Cadalo dictus, cum coniuge ſua *Theodrada*, pari conuentione largitus eſt hæreditatem ſuam in Attegia, & in Ponticiaco, prædictis huius loci Monachis.

S. Guillelmus antequam ab humanis excederet Monaſteria circumit; Fratres adhortatur.

Sunt adhuc plurimæ quæ deſcribi poſſent, ſed quoniam ad finem libri tendimus, his omiſſis, obitum Patris *Vuillelmi* intimare curamus. Poſtquam per annos quadraginta duos vineæ Dominicæ ſedulus cultor eam excolendo iugiter propagare, amplificaréque curauit: cùm iam ſenio infirmitatibúſque multis prægrauatus optaret diſſolui, & cum Chriſto eſſe, bonam conſummationẽ laborum ſuorum adimplere cupiens, per omnia monaſteria, quæ ſub eius fuerant magiſterio, incipiens ab Italia, circuiendo, & fratres exhortando, vt ea quæ ab ipſo didicerant, mente retinerent, & opere adimplere ſatagerent. Siquidem eius doctrina fuit, vt iuxta quod præcipit ſancti Benedicti Regula; in verbo, in omni actione, in veſtitus qualitate, humilitatem videntibus ſe ſemper oſtenderent: Et vt honore inuicem ſe præuenientes, dilectionem ſine ſimulatione exhiberent. His & aliis virtutum operibus intentos, etiam diſtinctè legendi atque pſallendi magiſterio erudiuit. Hæc docendo cæteris monaſteriis peragratis, peruenit ad cœnobium nomine Fiſcannum; vbi plus ſolito infirmitate prægrauatus, ſentiens ſibi imminere vltimum vocationis ſuæ diem, conuocatis Fratribus, per octo dies exhortans eos, atque abſolutione & oratione Deo commendans, octauo die Natalis Domini ſumpto Chriſti Corporis & Sanguinis Sacramento reddidit Deo ſpiritum. Cuius corpus à medicis qui ibi aderant conditum aromatibus, honorificè traditum eſt ſepulturæ in ipſo monaſterio, ante altare ſancti Taurini Confeſſoris. Poſt cuius obitum

*Cap. 7. grad. 31. & c. 72.

Obit, ſepelituſque Fiſcan. in Monaſterio.

Digitized by Google

Domnus *Halynardus* ſuſcepit curam regiminis animarum; quem præfatus Pater ſucceſſorem ſibi elegerat cum conſilio & laude Fratrum, baculúmque paſtorale ei tranſmiſerat. Obiit verò prædictus pater noſter Vuillelmus anno ab Incarnatione Domini milleſimo trigeſimo vno. 1031. Et in ipſo anno defunctus eſt Domnus *Lambertus* Lingonum Epiſcopus, decimo Kalendas Septembris, antequam ipſe Pater finiretur: in eius locum ſubſtituit *Rotbertus* Rex Epiſcopum *Richardum* vocatum, Clericum litteris optimè eruditum, & bonis moribus ornatum: tamen contra voluntatem Cleri & plebis totius: quapropter poſt menſes quinque adepti Epiſcopatus, captus ac pulſus ciuitate, non multis pòſt diebus veneno vitam finiuit. Rex autem conſiliis Reginæ ad iram animatus, iterum dedit Epiſcopatum cuidam Clerico Carnotenſis Eccleſiæ. Hugo hic erat dictus; fuiſſétque vtile vas in domo Dei, ſi iuuenilia deſideria euitare, & ſuperbiam calcare curaſſet. Sed is adiecta crudelitate eundo per fas & nefas, ad vltimum poſtquam decem & octo per annos Lingonicum tribulauit Clerum & populum, pulſus à ſede iudicio Domni Leonis Noni Papæ, & Archiepiſcoporum, *Halynardi* ſcilicet Lugdunenſis, *Hugonis* Biſontinenſis, *Vuidonis* Remorum, *Eurardi* Treuerorum, aliorúmque multorum, qui præſentes fuerunt in concilio habito Remis ciuitate, in præſentia memorati Papæ Leonis: vbi affuerant penè totius Galliæ tam Archiepiſcopi, quàm Epiſcopi, cum innumerabili multitudine cleri & populi.

Defuncto Lamberto Lingon. Epiſc.

Sufficitur Richardus, paulò pòſt veneno ſublatus.

Cui proximè ſucceſſit Hugo.

Ob peruerſos mores condemnatur.

Huius itaque *Hugonis* ordinatione inſtante, cùm eſſet deductus ab Henrico Rege iuuene ad ciuitatem Lingonas cum magna ambitione, nunciata eſt prædicto Regi mors patris ſui *Rotberti* Regis. Qui regnauit annis quadraginta & vnum. Et ipſe Henricus regni iam ſextum annum agebat. Ipſe Rotbertus Rex interueniente Domno Lamberto Epiſcopo, & Hugone Autiſiodorenſi Epiſcopo prouiſore huius loci, perdonauit ſaluamentum villarum quæ pertinebant ad ius ſancti Benigni: quarum hæc ſunt nomina; Lariacus, Biciſus, Quintiniacus, Cromanius, Suliacus, Aguliacus, Ruffiacus, Aſchiriacus, Bargas, Prouiſum, Colonias, Plombcrias, Eſcuncias, Gironus, Corcellas, Tremolendum, Villa-

Mors Rotberti Regis.

Donum inſigne eiuſdem S. Benigno factum.

rium, Pruneius, Lenteniacum, Diſſum, Conguſuicus, Saciacus, & omnes quæ ad ipſum pertinent Villulæ, Siliacus, Aſuerias, Corcellas ſuperiores, Norgias, Aziriacus, Dinatus, Mercenniacus, Pamerras, Fedeniacus, Spaniacus, Villakarli, villa Comitis, * Onteārum. In his & cæteris villis vbicumque terra ſancti Benigni Saluamentum reddebat, *Rotbertus* Rex iuſſit aboleri, vt amplius non exigeretur à quoquam, ſed ad profectum Monachorum reddidit Deo & ſancto Benigno, poſito ſuper eius altari dono, laudante Conſtantia Regina eius coniuge, & filiis, Henrico tunc Duce, atq; *Rotberto* fratre eius, qui illi ſucceſſit. Et hoc donum firmauit præcepto Regali, annulóque ſuo iuſſit inſigniri: atque Epiſcopis, & Comitibus, ac cæteris Primatibus qui præſentes aderant, corroborare iuſſit. Interfuerunt autem *Lambertus* Lingonenſis Epiſcopus, Hugo Autiſiodorenſis Epiſcopus, **Azelinus* Epiſcopus * Laudenſis, *Gofredus* Epiſcopus Cabillonum, *Beraldus* Epiſcopus Sueſſionum. Comites verò, *Vuillelmus* Niuernenſis, *Otto* Matiſconenſis. Actum anno milleſimo quindecimo, ipſius autem regni vigeſimo octauo. Fecit & de locis ad hunc pertinentibus, videlicet de Cella Belnenſi, ac Puteolis, vt ſupra diximus. Próque his iuſtum eſt, vt anniuerſaria dies ipſius à nobis agatur.

al. * Cutte-Amon.

al. * Adelbero

al. * Laudunenſis

1015.

Eo tempore mortuus eſt *Otto*, qui & *Vuillelmus* dictus eſt, Comes, anno videlicet milleſimo vigeſimo ſeptimo. Et in hoc ſancti Benigni monaſterio ſepultus: vbi & filius eius Comes *Vuido* ante aliquot annos tumulatus iacebat. Hic pro multis in hoc loco collatis beneficiis, aliqua ex parte à nobis deſcriptis, promeruit, vt ſemper memoria ipſius agatur ab huius loci Monachis. Supra memoratus Hugo Epiſcopus Autiſiodorenſis, & Comes Cabilonum, Protector & Aduocatus huius loci, dedit ſancto Benigno ſcyphum aureum pondo quinque librarum, vt fieret ex eo calix aureus ob expiationem culparum ipſius. Cui eleemoſynæ addidit *Richardus* Normanorum Dux ſextam libram auri, vt pro hoc aliiſque pluribus nobis collatis bonis retributionem acciperet à Deo æternæ hæreditatis. *Chunigundis* etiam Imperatrix, vxor Henrici Cæſaris, pro requie animæ prædicti Principis dedit duas libras auri: inſuper & omnes gemmas ipſius calicis cum

Calix aureus octo librarum.

Digitized by Google

patena: ſtuduítque facere vas elegantiſſimum, vt per hoc recolatur per æuum. Pro his cæteríſq; benefactoribus noſtris inſiſtendum eſt nobis orationi prece inſtantiſſima, ne aliorum gratis vtentes bono, peccatorum eorum noſtris ſuperadditis grauem, accumulemus ſarcinam ſuper capita noſtra.

Temporibus quibus hæc geſta ſunt Domnus *Halynardus* in hoc loco Prioris agebat officium. Qui ſequenti tempore etiam Abbatis ac Paſtoris eſt aſſecutus nomen & meritum. Cuius memoriam dignum eſt nos aſſignare litteris, qui nos dulcibus ac paternis monuit inſtitutis. Hic fuit oriundus Burgundia, nobilium virorum exortus proſapia. Nam pater eius Lingonum, mater verò Heduorum ciuis extitit. Ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudiis litterarum traditus, ſupernâ prouidentiâ geminâ ſcientiâ efficaciſſimè claruit. Amabatur paterno affectu à venerabili Præſule Heduæ ciuitatis, *Vualterio* nomine, cuius filius erat in baptiſmate, ac ideò educabatur ab eo maiori diligentiâ, vt pòſt aptaretur in domo Dei lucerna. Proceſſu verò tẽporis, decurſâ pueritiâ, cùm eũ iam ſibi vendicaret adoleſcentia, à patre ſuo eſt traditus Domno Brunoni Lingonum Præſuli. Qui eum liberali cernens ingenio valere, Canonicorũ ſtuduit collegio copulare. In ea itaq; vrbe cùm philoſophos, viróſq; audiret Eccleſiaſticos, diuinâ inſpirante gratiâ nulli ſodalium erat inferior in ſapientia. Fœcunditas eloquentiæ grauitate componebatur ſapientiæ. Ex materia huiuſce cõpoſitionis vas eſſe cœpit electionis. Cúmque foret animi ad cuncta capacis, nihil intentatum, nihil deniq; liquit inhauſtum. Cùm iam veſtiri cœpiſſet vernantibus iuuentutis floribus, ita ſuam adoleſcentiam bonis inſtruxit moribus, vt eo tempore iam videretur Monachus, integrum ſe & ſincerum omni cuſtodia ab his obſeruabat vitiis, quibus contaminari ſolent homines huius ætatis. Is enim imbui timebat; ne tenerâ in ætate his infectus eſſet, quibus cùm vellet carere non poſſet. Iuxta illud quod ſcriptum eſt: *Adoleſcens iuxta viam ſuam; etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea.* Bonorum virorum & maximè prudentium contubernio potitus, turpitudinis ſectatores exoſus.

Halinardi Lugdunẽſ. Archiep. actus deſcribuntur.

Fit Canonicus.

Prou. 22. 6.

Igitur cùm pro ſua omnibus carâ beneuolentiâ diligeretur à Domno Lamberto Lingonum Præſule, cuperétque cum

Deinde Monachus.

Digitized by Google

idem Pontifex collatis Eccleſiaſticis gradibus exaltare, ille reſpuens labilem & caducam mundi gloriam, hoc ſtuduit opere adimplere, quod Dominus præcipit ſermone. *Qui vult* (inquit) *poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Spretis itaque omnibus terrenæ poſſeſſionis ſtipendiis, ob ſpem futuræ repromiſſionis, habitum ſanctæ conuerſationis ſumpſit. Sed non ibi defuit probatio tribulationis. Parentes namque eius inſequentes eum, atque ab hoc monaſterio per conſenſum Epiſcopi vi abſtrahentes, nudatum habitu Monachi per publicum ita deduxerunt, vt pro hac verecundia odiret quod tantopere amplectebatur. Sed nihil proficit callida ars maligni contra doctrinam ſancti Spiritus. Nullo modo quippe valuerunt eum reuocare à ſua intentione. Verùm páruo tranſacto tempore fugam iniit, vt vel extra patriam poſſet perficere quod in patrio ſolo non permittebatur adimplere. Sed iterum inſequutus, & captus, ad Epiſcopum eſt reductus. Qui eum multis promiſſionibus & blanditiis demulcebat, ſi quomodò poſſet animum ipſius ab hac intentione reuocare. At vbi vidit eum in ſua perſiſtere ſententia, vix tandem permiſit ei quod vellet agere. Sic itaque quod cupierat aſſecutus, deinceps alieno vixit imperio, & in nullo quantum potuit deuiaret à ſanctæ inſtitutionis propoſito. Is enim procul à ſe remotis hebetudine & murmure, ſingularis præ cæteris obedientiæ præminebat virtute: implens illud in fratribus quod dicit ſanctus Benedictus: *Obedientiæ bonum non ſolùm Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi inuicem obediant fratres.* Enim verò beati *Benedicti*, cuius ſubiacebat diſcipulatui, imitator exiſtens, ſapientem Dei ſtultitiam eſt adorſus, iuxta quod præcipit Apoſtolus. *Si quis vult inter vos ſapiens eſſe in hoc mundo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Haud ſecus enim ac philoſophi ad ſyllogiſmorum argumenta totâ ſe conferunt mentis inſtantiâ, ita ſe contulit ad ea diſcenda, quæ quotidianum per vſum in monaſterio ſunt explenda. Quibus omnibus ſolerter ſibi curâ cognitis, & experimento memoriæ commiſſis, videri iam cœpit doctior cunctis.

Matt. 16. 24. Luc. 9. 23.

Idcò à parentibus multas patitur contumelias.

Regula c. 71.

1. Cor. 3. 18.

Prior & Abbas S. Benigni.

Hunc ergo vt in monachico ordine ita prudentem iam dictus Pater Vuillelmus intellexit, congregationi Fratrum præficiens;

Digitized by Google

præficiens, animarum curam eidem commiſit. Quod miniſterium tanta authoritate tantáque adimpleuit ſollicitudine, vt omnibus ſecum conuerſantibus & exemplo fuerit & terrori. Regulari quidem contentus conuerſatione ſic ſtudebat parcimoniæ, vt differre nullatenus videretur à ſocietate communis menſæ. Aliquorum vitia dum conſpiceret reprehendenda, priùs in vno quoque laudanda canebat; dehinc velut gnarus reprehendenda carpebat. Cunctos tamen ſæpiùs admonebat, vt tales ſe Deo exhiberent interiùs, quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exteriùs.

Per cuncta ergo monaſterij probatus officia, omniúmque miniſteriorum obſequiis non ſegniter adimpletis, primùm Præpoſiti ſub ipſius Abbatis imperio quatuor annis adminiſtrauit officium, ad vltimùm poſt præfati Patris obitum paſtoralem ſuſcipere curam, doctrinâ id exigente iuſtitiæ, ab omni coactus eſt fratrum congregatione. Quod licet inuitus & reluctans acceptum miniſterium, cùm cultui vineæ manciparetur diuinæ, vt huius ſe adſignaret colonum, commune vtile multorum magis quærebat, quàm proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus, nemini nocebat, quibus poterat prodeſſe ſtudebat. Sana quippe doctrina ei inerat, quia ſuæ conditioni quod competebat illud ſolerter agebat, propter illud Apoſtoli. *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.* Sanctis etiam & modeſtis ſermonibus inditus, obſcœnis & turpibus omninò intercludebatur auditus: propter illud quod ſcriptum eſt: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam.* Adeò lectioni erat deditus, vt in itinere poſitus, libellum ſæpiùs geſtaret in manibus: itaque in equitando reficiebatur animus legendo. Philoſophos verò ſeculariſque ſapientiæ libros cùm legebat, illud ſagaci ſectabatur induſtriâ, quod per Legiſlatorem diuina vox præcipit de captiua. Hæc quippe quæ in philoſophorum libris reperiebantur vtilia, hæc ſua dignabatur memoria: quæ verò ſuperflua, de amore ſcilicet rerúmque ſecularium curâ, hæc quaſi venenata radebat & mortifera. Hic caluicium inducebat, hæc vnguinum more ferro accutiſſimo deſecabat. Ex lectionis ergo aſſiduitate ſcripturarũ informabatur authorita-

Scientia pollet & facundia.

1. Cor. 6. 4.

Eccl. 28. 28.

Quâ mente philoſophos legebat.

te: ita in Canonicis ac monasticis valebat institutis, vt nulli videretur secundus in legum decretis, ac philosophicis argumentis. Tum virtute & sapientiâ compositus, fandi quoque honestissimè copiâ ditatus, ita se coaptabat singulis, vt omnibus esset diligendus: implens illud Apostoli: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Quicquid loquebatur, sapientiæ grauitate componebatur. Sermo eius sale conditus, quo virtutis pondere breuis & rarus ea prudenti suauitate habebatur pretiosus. Ideóque quotiescumque ad ædificationem moralem faciebat sermonem vt disertissimus, ita habebatur gratissimus. Gregem sibi commissum prouidâ regens pietate, aduersus pessimum sanctis omnibus inimicum concordi sanctóque certamine admonebat pugnare: & eorum quisque quod possit operari bonum non desisteret, ne tunc vellet quando non liceret. Illis etiam beati* Ioannis sepiùs inferebat monita, qui in sua ait Epistola: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

1. Cor. 11. 22.

*Pauli

Heb. 12. 14.

Diligebatur quàm plurimùm à Regibus Francorum *Roberto* & *Henrico*. Sed & *Conradus* Imperator, & eius filius *Henricus* Cæsar, illum nimio venerabatur affectu. Vnde factum est, vt Lugdunensis sedis vacante Antistite, ab ipso Henrico Imperatore (eò quòd olim sibi cognitus, & pro religiosâ conuersatione, ac fama sanctitatis erat valde dilectus) oblatus est ei illius Episcopatûs honor. Ipse verò graue pondus procelloſi culminis per custodiam refugit humilitatis: obtendens se Monachum ad tantum onus nequaquam fore idoneum. Erat tunc in Clero Lingonensi quidam Clericus nomine *Odulricus*, ætate pariter ac sancta conuersatione prouectus, litteris apprimè eruditus, qui tunc in Palatio Regis aderat, sed tamen Principi non plenè cognitus. Hunc Domnus Pater noster *Halynardus* suasit expetendum: quem & sapientiæ vbertas & senectutis commendabat dignitas. His renunciatis Regi verbis, miratus vel quòd oblatum honorem sacerdotij tam vili pẽderet, vel quòd in se denegabat, pro alio tam sollicitè expetebat: assensit, & Episcopatus dignitatem memorato Domno Odulrico concessit. Quem ipse Pater vsque ad sedem deduxit: & quæque in obsequio

Archiepisc. Lugdun. donatus Imperatori suadet Odelricus eligatur.

Vita functo Odelrico inuitus fit Archiep. Lugdun.

Digitized by Google

illius competebant, ac ſi vnus ex familia ipſius procurauit. Qui rexit Lugdunenſem Eccleſiam per annos quinque verbo & exemplo bonorum operum, inſtruens animos ſubditorum. Poſtmodùm à quibuſdam maliuolis & inuidis perpeſſus inſidias, quem ferro non potuerunt, veneno perimere non detrectauerunt. Sícque occiſus, cæteris ſanctis Pontificibus ibidem quieſcentibus eſt aggregatus.

Tumdemum vox totius Cleri cum conſenſu populi, vt ad hoc culmen ſuſcipiendum colla ſubmittat, hortatur: vtque Paſtoris curam in eis gereret, deprecatur. Ad Imperatorem legationem mittunt, vt Domnus *Halynardus* Pontifex eis detur, expoſcunt. Imperatoris præceptum mittitur: vt Domnus Halynardus intronizetur, præcipitur. Sed eius animus robore firmatus diuino, nequaquam ad hæc flectitur, quouſque Apoſtolici Papæ conuentus eſt litteris.* *Ioannes*, cognomento *Gratianus*, tunc reſidebat in ſede Apoſtolica. His vt comperit eum nolle acquieſcere deprecantium votis, miſit ad eum, præcipiens authoritate Pontificali vt obediret precibus Cleri & populi. Factus igitur Apoſtolici compos & compar honoris, duxit Apoſtolicam factis & nomine vitam. Eadem virtus manſit humilitatis, opere multiplicato caritatis. Omnia quæ agebat, virtutum ſapore condiebat: vt ſpeculi fieri ſolet inſpectione, ita ſe interiùs diuinâ conſiderabat lectione, & ex hac mentis ornatus componebatur: deformitatis verò, ſiquid deprehendebatur, iuſtitiæ moderamine corrigebatur. Diſertis viris quoties iungebatur, & de ſcripturis, fieri vt aſſolet, aliquid proponebatur, libenter audiebat, prudenter & verecundè reſpondebat. Praua verò ſi qua proponebantur, non acriter, ſed ingenuo pudore confutabat, non callida argumentatione contra ſe diſputantem ſuperando, ſed per venerabilium Doctorum exempla benignè docendo. Tunc dicta Orthodoxorum tradebat ad medium, cum Euangelicis authoritatibus: atque in hunc modum & eruditiſſimus declarabatur, & elationis, vel eruditionis iactantiam, fugere videbatur. Iurare omninò cauebat, ne fortè periuraret. Vnde quid in Palatio Imperatoris egerit ſilendum non eſt.

Henricus tertius Imperator Burgundiæ regnum guberna-

*Gregorius, Ioannes Gratianus antè vocatus.

Eius animi demiſſio, ac prudentia.

Burgundiæ

Digitized by Google

regnum quare possidebat Imperator.

bat. *Rodulphus* enim Burgundiæ Rex sine liberis existens; Henricum secundum Cæsarem hæredem regni fecit. Postquem ad *Conradum* peruenit imperium; hic sororem prædicti Regis, nomine *Gislam*, habuit coniugem; de qua genuit tertium *Henricum*. Cui ex successione paterna iure prouenit regnum Burgundiæ. In cuius regni termino sita est Lugdunum ciuitas, quam *Lotharius* Francorum Rex dedit in dotem sorori suæ *Mathildæ* Reginæ, quam despondit Conrado Burgundiæ Regi, patri supradicti Regis Rodulphi. Igitur propter donum Episcopatus Domnus *Halynardus* ad hoc electus, Henrici Cæsaris curiam adiit; & cum eo Episcoporum, qui erant suffraganei, Legati Archidiaconi, atque ipsum Pastorem querentes Lugdunenses Clerici. Imperator, vt moris est, propter datum honorem Episcopij requisiuit ab eo fidei sibi debitæ sacramentum. Horum verborum Domnus *Hugo* Archiepiscopus Chrysopolitanus erat sequester ac mediator. Ille his auditis verbis respondit: si Regis æterni, & regulæ quam iurciurando promisi præcepta postposuero, quæ mihi fides erit, vt Imperatoris iuramentum custodire debeam? Dominus enim dicit in Euangelio: *Non iurare omnino*: & Regula Patris *Benedicti* præcipit Monacho *non iurare*: &, *à seculi actibus se facere alienum*. Hæc renunciata Regi, miratus, & amplectens animo eius constantiam, volens tamen probare perseuerantiam, dixit: Nequaquam se illi dare Pontificatum, si non obediret suis præceptis. At ille ait: Melius est mihi nunquam accipere sacerdotium, quàm transgredi Dei mandatum. Ad hæc Episcopi illarum partium, & maximè *Sigebaudus* Episcopus Spiræ, vbi hæc gerebantur, insistebant, dicentes: Quis est hic qui præsumpsit in Palatio Principis, mandatis eius non obedire; quod nostrûm nemo vnquàm facere ausus fuit? Aut iuret fidem Regi, aut abiiciatur. Verùm * *Theodericus* Episcopus Metensis, & *Bruno* Leucorum Episcopus, ac *Richardus* Episcopus Verdunensium, ipsius amici existentes, suadebant Principi non debere pro hoc molestiam inferre religioso viro, cuius animum in fide & cæteris virtutibus constantem scirent. Ad hæc Imperator ait; Suadete illum si non vult sacramentum facere, vel ad hoc se proferat, vt videatur feciſſe, ne mos patriæ nostræ an-

Sacramentum Imperatori præstare renuit Alynardus.

Matt. 5. 34.

c. 4. inst. 27. & 20.

Adulatores Episcopi.

al. *Dheodericus

nuletur. Reſpondit ille: Tantumdem eſt ſi ſimulauero, ac ſi fecerim: abſit hoc à me. Imperator videns eum ſic firmum, noluit ampliùs inquietare illum, ſolummodò verbo & promiſſis, ipſius fidem aſſentiens, dedit ei quod petebatur. Ac in ſua præſentia fecit illũ ordinari, dans ei quæcunq, fuerunt ſacerdotali benedictioni neceſſaria. Et non ſolùm ipſi, vel cæteris Epiſcopis, ſed etiam Leuitis ac Miniſtris altaris ità præparabat omnia, ſcilicet veſtimenta, libros, linteamina, ac quæque neceſſaria, ac ſi eſſet non Princeps, ſed famulus. Erat enim idem religioſus Rex, valde eccleſiaſticus, & circa diuinum cultum deuotiſſimus.

Ordinatus eſt autem venerandus Pater *Halynardus* per manus Domni *Hugonis* Archiepiſcopi Chryſopolitani, in loco, qui vocatur Herbreſtinc linguâ Teutonicâ, quod in noſtra, bonas manſiones ſignat, Anno ab Incarnatione Domini milleſimo quadrageſimo ſexto. Eodem anno perrexit memoratus Princeps Romam, ibíque tunc ſuſcepit coronam Imperij, die natalis Domini, per manus *Clementis* Papæ. Quem ipſe Imperator ordinari iuſſit, & fecit deponi *Ioannem*, qui tum Cathedræ præſidebat, & *Benedictum*, atque *Sylueſtrum*, qui in concilio tunc habito examinatà eorum culpâ, inuenti ſunt non ſolùm ſimoniaci, ſed etiam peruaſores Eccleſiæ Chriſti. Huic concilio interfuit ipſe Domnus Lugdunenſium Archipræſul, atque memoratus *Hugo* Archiepiſcopus, aliíque plures ex diuerſis partibus coadunati Epiſcopi. Fuerat ei conſuetudo Romam orationis gratiâ frequenter pergere, vt ſanctorum Apoſtolorum ac Martyrum, qui vrbem illam protegunt, patrocinia imploraret. Erat námque eius voluntas, vt ſi fieri poſſet, ibidem Deo animam redderet. Quapropter non eſt fraudatus à deſiderio ſuo, ſed vt voluit, ita Dominus ei conceſſit. Defuncto memorato Papâ Clemente, Romani petierunt eum ab Imperatore. Hoc námque à Romanis Imperator dat pecuniâ non paruâ exegerat, vt ſine eius permiſſu Papa nou eligeretur. Ille cognitâ voluntate Principis ac populi, diſſimulauit ire ad curiam, donec tardante eo, alter eligeretur: diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris ſui, & affabilitatem ſermonis: ita enim proferebat vernaculum ſonum loquelæ.

Alynardus ordinatur Archiepiſc. coram Imperatore.

1046.

Digitized by Google

vniuſcuiuſque gentis, quouſque latina penetrat lingua, ac ſi eadem patriâ eſſet progenitus.

S. Leo Papa IX.

Domno igitur Leucorum Epiſcopo *Brunone*, qui appellatus eſt *Leo* Papa, ordinato, euocatus eſt ab ipſo Romæ ad concilium Domnus Archiepiſcopus *Halynardus*, ſimúlque omnes Epiſcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de ſtatu, & correctione ſanctæ Eccleſiæ. In ipſo anno ipſe Domnus Papa perrexit Franciam, & Remis habuit concilium Epiſcoporum, ſicut iam diximus, ibíque fuit cum eo prædictus Pater noſter: túncque fuit tranſlatum corpus S. Remigij ab ipſo Domno Apoſtolico, & Epiſcopis qui ibi adfuerunt, & ipſa Eccleſia ſacrata. Tertiò prædictus Papa habuit concilium in vrbe Roma, quò affuit præfatus Præſul: indéque iterum Galliam properanti comes indiuiduus extitit. Veniens verò ad ciuitatem Lingonas ordinauit ibi in præſentia Papæ Domnum *Arduinum* Epiſcopum, pro illo qui fuerat eiectus. Rurſum ſequenti anno Romam pergens, cum ipſo Domno Apoſtolico properauit Beneuentum, & Capuam, Montem Caſſinum, atque montem Garganum ad ſanctum Michaelem Archangelum. Ideò namque prædictus Papa perrexit illas in partes, vt habitatores terræ illius ſi poſſet aliquomodo releuaret ab oppreſſione, quâ nimiùm erant grauati à Normannis. At quia Domnus Præſul *Halynardus* præpotens erat in verbis, & ad ſuadendũ quodlibet linguâ ſufficiebat, propter hoc vt Mediator & Legatus pacis inter prædictos Normannos, & ipſum eſſet, Domnus Apoſtolicus ſecum duxit eum. Inde regreſſus, quoniam ad colloquiũ Imperatoris, qui tum fortè erat in finibus Vngariæ, properabat: iuſſit eum prædictus Papa Romæ reſidere, donec ipſe rediret. Erat in eius comitatu dictus Lingonenſis Epiſcopus *Hugo*. Is pœnitens eorum quæ haud *ſecus egerat, Domnum expetiit Papam, vt de commiſſis modum pœnitentiæ, & abſolutionem delictorum imploraret. Ipſe verò Apoſtolicus, ſicuti erat miſericors & benignus animo, vt vidit eum verè pœnitentem & afflictũ, condolens ei ſtatim indulſit, dicens ſufficere ad pœnitentiam ea quæ paſſus fuerat: abeuntem quoque poſt abſolutionem delictorum munerauit ampliſſimè: dans inſuper licentiam recipiendi Epiſcopatûs. Venientes ergo Romam Domnus

al. * cœcus

Digitized by Google

Archipræſul *Halynardus* vale facturus ipſi, & cæteris ſociis, diſcubuit cum eis ad menſam; vbi oblatus eſt ei piſcis à quodam falſo amico, veneno infectus. Ex quo omnes qui perceperunt, tam ipſe quàm cæteri vel infra octo dies mortui ſunt, vel poſt longam ægritudinem conſumpti obierunt. Duo Monachi ex hoc loco qui cum eo erant hoc cibo interfecti ſunt. Obiit quarto K alendas Auguſti, Anno ab Incarnatione Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo. Peractis in Pontificio annis ſeptem, in regimine huius loci annis viginti.

Obiit Alynardus.

1052.

Præcepit ſe poni ad ſanctum Gregorium ad Cliuum Scauri: illum enim locum Domnus Papa conceſſerat ei ad manendum. Sed nobiles Romani qui ad viſitandum eum venerant, dum viueret, ad ſanctum Paulum iuſſerunt deferri corpus, ibíq; honorificè traditus eſt ſepulturæ, ad lęuam partem Eccleſiæ, & arcus ſuper tumulum eius ædificatus. Omne ornamentum, quo vtebatur ad ſacrum miniſterium, tranſmiſit ſancto protectori ſuo Benigno, cum non parua auri quantitate, & vaſis argenteis, quæ erant in eius officio. Auxit ornatum huius Eccleſiæ maxima ex parte; inter quæ crucem auream gemmis ornatam fabricari fecit. Libros etiam plures conſcribi iuſſit. Officinas huius monaſterij renouauit. Et quamquam omnibus eruditus eſſet artibus, tamen in geometria & phyſica plurimùm ſtudebat. Quæ verò in hoc loco augmentata ſunt in terris, & poſſeſſionibus in diebus eius, non eſt ſilendum.

Romæ ſepelitur in Eccleſia S. Pauli.

Quanta contulerit bona S. Benigno.

Hvgo Chryſopolitanæ ſedis Archiepiſcopus, ipſius valde familiaris amicus, dedit Eccleſiam ſitam in burgo Salinis dicto, quam ſui genitores à fundamentis extruxerant. Et eſt ſacrata in honore ſanctorum Symphoriani & Agathæ Martyrum; ſanctúſque *Anatolius* Confeſſor inibi quieſcit. Cuius loci donationem poſuit ſuper altare ſancti Benigni, die natalis ipſius Martyris ibidē Miſſas celebraturus. Atq; coram omni populo qui conuenerat obligauit excommunicationis vinculo, qui illum locum ſubtraheret à dominio Abbatis & Monachorum Diuionenſium. Hæc donatio facta eſt anno ab Incarnatione Domini milleſimo trigeſimo ſeptimo, indictione quinta, Epiſcopatus ſui anno ſexto. Conceſſit per Epiſco-

Digitized by Google

pale priuilegium alteram Eccleſiam in eodem Burgo ſitam ſanctæ *Mariæ* honori dicatam: quam Eccleſiam *Rainaldus* Comes dedit ſancto Benigno pro requie animæ patris ſui *Ottonis*, vocati Vuillelmi. Próque eius largitione accepit à Domno Halynardo pecuniam non paruam, dum adhuc Prioris gereret officium.

Dedit prædictus Comes *Rainaldus* in ſupradicto burgo locum ad Eccleſiam conſtruendam; in quo extructa fuit capella in honorem S. Andreæ Apoſtoli. Quæ ex materia lignorum facta per incuriam ad nihilum poſteà fuit redacta. Dedit in Euoregio terram, quæ fuit *Theudeberti*; quæ à Monachis aliquandiu poſſeſſa eſt; ſed propter cõtrarietates, quas *Odilo* quidam faciebat eis, intermiſſa ab his, vſque dum poſſidentibus ipſis locum ſancti Anatholij, iterum iam dictus Comes reſtituit illis. Actum eſt hoc ab Incarnatione Domini milleſimo vigeſimo ſexto, poſt mortem Vuillelmi Comitis, qui ipſo anno obiit. De habitatoribus verò ipſius oppidi aliquanti Clerici vel Laïci venientes ad conuerſionem monachicam in hoc monaſterio, dederunt facultates ſuas ſancto protectori noſtro Benigno. Aliquanti offerentes filios ſuos, ſimiliter contulerunt de rebus ſuis. Inter quos pater meus me offerens, exceptis aliis rebus, dedit ſecus puteum domum & ſedem vnius caldariæ: quæ ſuper ſolutione cenſus data eſt poſteà, ea conuentione, vt qui eam teneret, quadraginta ſex ſolidos omni anno perſolueret.

Author de ſe loquitur.

Aliquanto pòſt tranſacto tempore idem memoratus Comes *Rainaldus* iuxta caſtellum, Veſullum dictum, dedit Eccleſiam in honore ſancti Georgij ſacratam, vt ibi conſtrueretur monaſterium, & quatuor Monachi ibidem conſtituerentur, qui omni tempore Deo ſeruientes exorarent pro requie animarum patris ſui ac matris, fratríſque, ac pro ſemetipſo, omníque parentela. Dedit ad eorum ſtipendia vineas & terras, vel quodcumque fuit neceſſarium: piſcationem inſuper cum hominibus qui de hoc miniſterio ſibi ſeruiebant. Huic donationi præſens fuit memoratus Archiepiſcopus *Hugo*: deditque per baculum, quem ferre manu ſolebat, altare prædictæ Eccleſiæ Abbati *Halynardo*, & ob memoriam huius rei commutauerunt virgas ſuas. *Burchardus* quoque

Digitized by Google

quoque Comes dedit locum Offonis-villa dictum, quondam nobilem Abbatiam, & in honore ſancti Leodegarij conſecratam, vtque monaſticus ordo ibidem reparetur deprecatus eſt enixiùs memoratum Abbatem Halynardum.

Sed & *Rotgerius* Dominus caſtri, quod vocatur Vuangionum riuus, Eccleſiam à patre ſuo *Vuidone* in honorem ſancti Stephani conſtructam; eâ intentione largitus eſt, vt expulſis *Canonicis* Monachi ibi collocarentur ad ſeruiendum Deo die noctúque. *Rainaldus* etiam poſſeſſor caſtri, quod Caſtellion dicitur, ad obitum veniẽs, ac ſumens habitum monachicum; dedit poteſtatem ſancti Iuliani cum omnibus ad eam pertinentibus terris, & mancipiis, atque Eccleſiâ ipſius ſancti nomini dicatâ: vbi petiit Monachos conſtitui, qui pro eius anima ac cæterorum fidelium exorarent Deum. Simili modo *Albertus* Comes Metenſis dedit villam, quam dicunt Vulferei curtem cum mancipiis vtriuſque ſexus. Ipſe quidem in vita ſua dare diſpoſuit, ſed eo mortuo *Girardus* Dux filius eius adimpleuit. Nec non & matrona quædam, *Letgardis* nomine, ſoror *Lamberti* Epiſcopi, dedit Eccleſiam ſitam in villa dicta Iſlo ſuper Moſam fluuium, in comitatu Baſſiniacenſi.

Finis Hiſtoriæ præſentis.

Digitized by Google

CHRONICI ABBATIÆ SANCTI BENIGNI CONTINVATIO.

NON autem à nobis huius antiqui ſacrique diui Benigni modernis monaſterij cultoribus prætermittenda ſunt, & obliuioni tradenda, quæ ad decus & ornatum huius Eccleſiæ totiúſque congregationis commodum fecerũt, ſeu conceſſerunt, ſupradictorum Abbatum, Benefactorúmque præclariſſimi ſucceſſores. Quis enim dignè Venerabilium Patrum *Iarentonis*, *Odonis*, *Hugonis*, *Roberti*, aut *Alexandri*, ſiue illius maximi noſtri benefactoris Domni *Claudij de Charmis* benefacta enarrare valebit; aut eadem potiùs nixu toto diſcere non deſiderabit? Itaque quoniam (vt ait quidam) plus mouent exempla, quàm verba, vtque illorum exemplo bene viuere ſanctéque in congregatione hac conuerſari ſatagamus, cupiamúſque. Adipſorum balbutientes (licet nobiliſſima præclariſſimáque geſta) explicanda calamum (Deo concedente) adaptare audebimus, atque curabimus.

De vigilantißimo Paſtore Iarentone.

IARENTO igitur huius cœnobij venerabilis poſt *Halynardum* tertius Abbas electus (præfuerant enim *Ioannes* & *Adelbero*, de quorum geſtis nihil prorſus nobis reperiri potuit) ad hoc veniens monaſterium illud fermè deſtitutum inuenit: nam & forinſecus poſſeſſiones factione prauorum

Principum annullatæ penè fuerant, interiùs autem obſeruantia regularis, feruórque religionis tepefactus omnino videbatur. Sed ipſius venerandi Patris diebus ſatis amicabiliter, placidè, & benignè hanc Eccleſiam viſus eſt Deus reſpexiſſe, cûm aliquantis anteà temporibus ipſam miſerabiliter viſus fuerit (vt hoc modo loquar) deſpexiſſe. Is namque venerabilis Paſtor Diuino fultus auxilio & religionis cultum in priſtinum ſtatum reſtituit, & non paucas poſſeſſiones amiſſas recuperauit; ac nunquam priùs habitas ſuâ prudentiâ acquirere meruit. Nam quia erat profundus ſcientiâ & eloquio, prudens conſilio, Principibus tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus valde placebat. Et quotiens illos adiſſet, maximũ in eorum curiis locũ habebat, & ab ipſis magnificè muneratus redibat. Porrò illi non ſatis erat per vicina ſibi loca Eccleſię ſibi commiſſę cõmoda perquirere, ſed ad exteras & remotas regiones, in Hiſpaniam ſcilicet, atq; Angliam pergendo, aurum, argentum, pallia, aliquanta autem & Eccleſiaſtica ornamenta vndecumque huc conuehebat. Et vt fidelis miniſter quæ ſibi à fidelibus tradita fuerant, domus ſuæ fideliter vtilitatibus impendebat. Vnde & contigit diuinâ fauente clementiâ, vt in diebus eius tam religionis gratiâ, quàm externarum rerum affluentiâ, ſuper omnes ſibi vicinas hæc Eccleſia caput extulerit. Verùm de poſſeſſionibus per eum recuperatis vel etiam acquiſitis aliqua memoranda referamus. Hic venerabilis Pater, ſuâ induſtriâ Cellam ſanctæ *Mariæ* Cabilonenſis recuperauit, nec non & Cellam de Sarcophagis. *Tuntardus* Valentinenſis Epiſcopus hortatu præfati Patris Iarentonis dedit nobis Eccleſias quas in Valentinenſi territorio habemus. *al.* *Gontardus

Hugo quoque Biſuntinenſis Archiepiſcopus fauore ipſius patris Iarentonis nobis contulit Capellam de Logia nouella. Nec non & *Agano* Eduenſis Epiſcopus etiam nobis dedit Eccleſiam ſancti Iacobi de Arneto. Ipſo etiam interueniente duo nobiles viri ſub eo conuerſi, dederunt alodium ſuum de Hiſchino, & S. Benigno de Boſco. Per eius ſiquidem ac Monachorũ illius induſtriam habitari & reædificari cœperunt villæ iſtę; videlicet, Caſnedus maior & minor, Marcennarius, Vareſcis, & Miſiniacus: ex quibus duas, Caſnedum

Digitized by Google

ſcilicet & Marcenniacum, ad anniuerſarium ſuum faciendum deputauit.

Huius autem iam dicti Patris tempore Venerandus Eccleſiæ Baiocenſis Præſul, *Odo* vocatus, à ſuorum progenitorum Normanniæ Comitum, qui hanc Diuionenſem Eccleſiam affectu vnico dilexerunt, eámque rebus & poſſeſſionibus plurimùm prouexerunt, tramite ſalutari minimè degenerans, imò potiùs imitator eorum perfectus exiſtens, affectum ipſorum ſuo tempore ſtuduit renouare, vt & ſua & illorum memoria apud nos ſemper noua meritò debeat perdurare. Cuius deuotionis indicia, vt ex parte tangamus, cùm vice quadam *Vrbanum* Papam inter Gallias conſtitutum expeteret, Diuionem veniens à iam dicto patre *Iarentone*, & fratribus huius loci, tantâ honorificentiâ exceptus eſt, vt ſibi nimis incompetens videretur, ſi tanto eorum obſequio æquali viciſſitudine non reſponderet, & ſuum erga eos affectum perenni teſtimonio comprobaret. Vnde adhortãte ipſum *Vuillelmo Baiocenſis* Eccleſiæ Decano, paritérque *Richardo* Rotomagenſi Archidiacono, dedit ſancto Benigno huius Eccleſiæ Diuionenſis protectori, per manum ſupra memorati Abbatis Iarentonis, monaſterium ſiue Prioratum ſancti Vigoris extra vrbem Baiocenſium, in monte Ciriſmatis ſitum, cum omnibus appenditiis ſuis, videlicet plenariam decimam totius villæ in qua monaſterium ſitum eſt; tam in hominibus, & territorio, quàm in cæteris. Dedit & Burgenſes quatuor, duos in campo Florido, & reliquos apud Pontem Olberti, cum terra & conſuetudinibus eorum. Dedit & plenariam decimam de villa Tur, cum terra Preſbyterij. Item Eccleſiam de Olferes, Eccleſiam de Cruceyo, & Eccleſiam de Colgrino cum plenariis earum decimis, & terris ad ipſas pertinentibus, ac terris Preſbyterorum. Dedit & plenariam decimam de rota Crecauilla, cum terra Preſbyteri, eâ videlicet quæ ad Eccleſiam pertinet. Conſtituit prætereà Præſul ſupra nominatus ibidem fieri ſuam & omnium pòſt futurorum Pontificum, Canonicorúmque Baiocenſium ſepulturam. Verùm quia hæc omnia, & quæ ſupra retulimus Diuionenſi Eccleſiç in Galliis poſitus dederat, ipſam eandem donationem poſtmodũ apud Baiocas in manu præfati Abbatis, laude & teſti-

Prioratus S. Vigoris.

Digitized by Google

monio Clericorum ſuorum tradidit. Et cartâ factâ non ſolùm quæ dederat confirmauit, ſed inſuper plura addidit; pecuniam ſcilicet multam, domos ſegetibus diuerſis refertas: animalium etiam promiſcui generis greges, centenarium numerum excedentes.

Multa Robertus Epiſcop. Lingon. tribuit S. Benigno.

Domnus *Robertus* Eccleſiæ Lingonenſis Epiſcopus, qui celsâ Regum Franciæ ac Ducum Burgundiæ ſtirpe progenitus erat, poſtquam diuina fauente gratiâ Pontificatus ſuſcepit regimen, anteceſſorum ſuorum Pontificum, qui hanc Eccleſiam materno ſemper coluerunt affectu, ita ſe ſtuduit informare exemplo, eorúmque in ſe transferre animum, vt quoad vixit, miro ſemper amore hunc locum dilexerit, & libertate munificâ donis ingentibus cumulare ſtuduerit. Deniq; Dei ſanctíq; Benigni amore ſuccenſus prętatíq; Abbatis Iarentonis frequenti exhortatione commonitus, dedit nobis Eccleſiam de Noant, cum capella ſiue ſacello eiuſdem caſtri, & omnibus tam Eccleſiis quàm altaribus ad ipſas pertinentibus. Dedit etiam Eccleſiam de Claromonte, Eccleſiam de Magnomonte, Eccleſiam de Icio, Eccleſiam de Caſnedo Eccleſiam de Spaniaco, Eccleſiam de Vareſo, Eccleſiam de S. Lupo, Eccleſiam de Germani-villare, Eccleſiam de Riuiaco, Eccleſiam Occeio, & Eccleſiam de pago Adeleni curtis. Addidit prætereà ingens erga hunc locum ſuæ beneuolentiæ documentum. Capella námque Vuangioniſriui, iuris erat Eccleſiæ Diuionenſis, ſed Clericis illam tenentibus nullus inde veniebat profectus: vnde frequenter à prædicto Patre *Iarentone* ſuper hoc compulſus precibus, Guydonis etiam eiuſdem caſtri nobiliſſimi domini crebrâ exhortatione commonitus, Clericis inde remotis, tradidit eandem capellam Monachis, cum omnibus quæ adipſam pertinebant, Eccleſiam videlicet de Sariſcaco, cum omnibus ad eam pertinentibus, dimidiam Capellam de Roecurte, & medietatem decimarum ipſius Eccleſiæ de Maſnili, decimam totam: altare Eccleſiæ de Hericurte; terram de Grincurte: medietatem quoque decimarum de Columbeiaco, vbi ſunt duæ Eccleſiæ.

Conſtituit etiam ſupradictus Præſul *Robertus*, vt Eccleſias ſancti Ioannis & Philiberti, quæ intra Diuionem ſitæ ſunt,

liberiùs & quietiùs poſſideremus. Et vt Preſbyteri in eis celebrarent, aut ſubrogarentur, vel remouerentur ad nutum Abbatis, ſiue huius loci Monachorum: ipſóſq; Preſbyteros ab omni exactione Preſbyterij, Epiſcopi vel Archidiaconi immunes eſſe decreuit. Præcepit etiam prædictus Epiſcopus, vt totus panis qui in eiſdem Eccleſiis offerri conſueuit, in refectorio Fratribus apponi debeat: vt ſæpiùs dum corpora inde reficerent, largitoris animam ipſi quoque ſuis precibus recrearent. Suos autem dies in Domino clauſit extremos, prę-

Iarento diē extremum clauſit.

fatus Pater noſter *Iarento*, migrans ad Dominum anno à Dominica Incarnatione milleſimo centeſimo quinto. Cui ſucceſſit in regimine Paſtoralis officij *Ademarus*. Hic inter huius Eccleſiæ Benefactores connumerari meruit.

1105. Ademarus Abbas.

Abbates S. Benigni. Hugo, Petrus, Petrus, Phillippus.

Eo autem defuncto huic congregationi præfuit in regimine *Henricus*: poſt quem *Hugo*, *Petrus*, & alius nomine *Petrus*, Abbates ſucceſſerunt. His decedentibus præfuit huic Eccleſiæ Domnus *Philippus* Abbas, qui inter præcipuos computatur: & reliquit eximiam in die obitus ſui procurationem; pro eiúſque anniuerſario plurima habemus bona.

al.* iomalia

al.* iugera

Circa hæc tempora domui contulit huic quidam Miles, nomine *Richardus* Bigot, quatuor * iugera vineæ, ſita in campo Bertrand, cum tribus heminis frumenti. *Odo* etiam Miles, eiuſdem Richardi filius, dedit nobis tria * iornalia vineæ exiſtentia in territorio Deſcolonges pro anniuerſario ſuo ſingulis annis celebrando. Hi autem ambo in hoc loco ſepulturam meruêre. Dedit etiam nobis nobilis fœmina *Aglantina*, vxor Bartholomæi Militis de Villa-Comitis, quadraginta ſolidos annualis redditus: quæ & in hac Eccleſia cum præfato coniuge, ac etiam filio tumulata eſt. Præfuerunt tunc huic monaſterio *Ioannes & Aymo* Abbates, qui pauca geſſerunt in regi-

Ioannes, Haymo, Petrus.

mine exiſtentes. *Petrus* autem illis ſuccedens in paſtorali curâ, multa ad ornatum & commodum ſuæ Eccleſiæ dicitur geſſiſſe.

Niualdus, Galterus, Adam, Gilebertus, Stephanus.

al.* Raymūdus

Succeſſerunt huic ſubſequentes patres *Niualdus*, videlicet, *Galterus*, *Adam*, *Gilebertus*, qui de præcipuis huius Abbatiæ benefactoribus eſt vnus. * *Rainaldus* eius ſucceſſor pro anniuerſario procurationē fecit. *Stephanus Roymundus Loys*, nobis plurima contulit bona: Hic ergo cum præcipuis me-

Digitized by Google

ruit adſcribi. Ipſius tempore (vt creditur) *Otto* dominus de Grandiſſono contulit huic Monaſterio, pro vna Miſſa quotidie in altari ſancti Stephani celebranda, triginta tres libras annualis reditus, & ſexaginta ſolidos pro anniuerſario ſuo quotannis celebrando. Præfato venerabili patre Stephano ad Chriſtum migrante, electus eſt pro Paſtore venerandus *Petrus* : Hic fertur plurima nobis bona contuliſſe ; quamuis à nobis nil per ſcripturas repertum ſit : & ideò cum præcipuis adſcriptus eſt : & habet in refectorio duodecim præbendas. Poſt hunc præfuerunt huic Abbatiæ *Richardus* & *Aymo*, qui & duodecim præbendas habent. Huius autem diebus quidam *Iacobus* nomine dedit huius loci Monachis centum ſolidos Diuionenſes annui reditus ſiue cenſus. Præmiſſo Aymone ad Chriſtum properante, exſurrexit è medio Venerandus præ cunctis Hugo de Arcu, honeſtiſſimæ conuerſationis pater, boniſque moribus adornatus. Huius autem tempore contigit in hoc monaſterio res terribilis atque miranda : turris namque lapidea in medio antiquæ Eccleſiæ ſuper baſes lapideas ſummopere ſtabilita, dimenſione longitudinis, latitudinis, & altitudinis copioſa, nobiliſque fabricâ conſtructa, horribiliter corruit. Sed (ô miranda res !) theca lignea, quæ in inferiori parte Eccleſiæ prętioſiſſimas reliquias continebat, ſuper duas columnulas lapideas ſtabilita, maius ruinæ pondus ſuſtinuit. Quæ quidem theca omninò illæſa diruptis duabus columnulis nullo alio viſibili ſuppoſito, per ſeipſam miro modo ſubſiſtebat. Lampades etiam quæ in loco dictæ thecæ continuò in veneratione ſanctarum reliquiarum ardebant, nec propter tantas ruinas, támque terribilem flatum & ſonitum, nec propter pulueris inexcogitatum turbinem extinctæ ſunt.

Petrus.

Richardus, Aymo, Hugo.

Quid igitur iſthęc prænunciabant, niſi nouæ reędificationis iſtius templi diuinam diſpoſitionem, exaltationiſque ſanctarum reliquiarum futuram ordinationem deſignarent ? Nam ſicut ſancto Dauid à Deo fuit prohibitum ædificare domum Dei in Hieruſalem, eò quòd vir ſanguinum eſſet, quod Salomoni eius filio permiſſum eſt. Sic etiam ſanctis Patribus in hoc monaſterio degentibus ex aliquo Spiritus ſancti conſilio ſpeciali, non fuit permiſſum domum Domini

Hugo Abbas ędificat Eccleſiam S. Benigni.

Digitized by Google

his reędificare, ſanctas reliquias exaltare; huic autem Salomoni pacifico, prędicto videlicet Patri Hugoni, ex gratia priuilegij ſpecialis reſeruatum eſt. Et quoniam melior eſt obedientia victimis, ideò venerabilis ſupradictus Pater inſpirationi diuinæ non recalcitrans, ſed deuotiſſimè obtemperans, celeriter operi fabricę huius Eccleſię (vt inpręſentiarum eſt) porrexit dexteram. Quę quidem fabrica quantis ex cogitata vigiliis, quantíſque ſumptibus laborioſis extructa fuerit, ipſamet loquitur & ſatis demonſtrat. Completa autem anteriori parte iam dictę fabricę, quę iuxta vulgare idioma Preſbyterium nuncupatur, ſæpedictus Pater ſecundum diu ante conceptum propoſitum aggreditur opus dulciſſimum atque amantiſſimum, Thecam videlicet argenteam decentiſſimâ texturâ conceptam, auro, & argento, gemmíſque compoſitam fabricare, in qua ſanctæ reliquiæ, quæ diu in imo latitauerant, honorificè conderentur. Quâ completâ, illius fretus adiutorio, qui perficit, & ſolidat omnia, conuocauit prædictus pater Barones, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, alióſque Prælatos, diſſimilitudine officiorum graduúmque vni Domino famulantes, cum Cleri & populi multitudine copioſa. Congregatóque tam nobili cœtu precioſiſſimas patroni noſtri Chriſti Atletæ Benigni de loco vbi annis plurimis quieuerant reliquias amouentes, infra dictam thecam ſiue capſam, poſt maius altare decenter atque ſumptuosè in alto ſtabilitam, in hymnis & confeſſionibus Dominum benedicentes, cum maximo cleri populíque gaudio condiderunt, Anno à Chriſtiana natiuitate milleſimo ducenteſimo octuageſimo octauo, quarto Kalendas Nouembris.

1288.

Huius autem venerabilis patris tempore, multi ex eius progenie, & alij multi extranei, huic Eccleſiæ & eius habitatoribus multa bona contulerunt. Inter quos præcipuus fuit Hugo, Dominus de Arcu, Miles, & *Marguarita* eius vxor. qui quidem Hugo nobis dedit ſexaginta ſolidos Viennenſes, ſitos & aſſignatos ſuper homines Diſier, recipiendos in die anniuerſarij ſui per Monachos huius loci, quotannis celebrãdi. Humbertus etiam de Arcu dedit tres heminas frumenti pro procuratione. Dedit etiam nobis quædam nobilis domina

mina, dicta *Isabella* de Pesinis, pro anniuersario quadraginta solidos Turonenses, in die obitus sui annuatim percipiendos: hæc autem moriens intus suam elegit sepulturam.

Plurimis denique in pastorali curâ transactis annorum curriculis sæpe memorato *Hugoni* Venerando, atq; plangendo Patri, ad æterna gaudia fœliciter migranti succesſit Abbas *Girardus*. Post quem præfuit huic Ecclesiæ *Henricus*. Deinde *Millo*. Quorum tempore pauca nobis benefacta reperiuntur exhibita. Sed his ad cœlestia regna vocatis, succesſit venerabilis Abbas nomine *Ioannes*. Hic in die anniuersarij sui procurationem fecit. Circiter hæc tempora contulit nobis quidam Presbyter motus deuotione erga Beatum Patronum nostrum Benignum, *Galterus de Boux* nominatus, sex modios vini singulis annis pro suo anniuersario. Imaginem quoque prædicti nostri protectoris Benigni nobis liberè donauit. In hoc loco post præfatum Ioannem præfuit *Otto*, qui nihil ad suæ Ecclesiæ ornatum reperitur gessisse. Cui succesſit *Petrus*, qui & predecessori consimilis extitit.

Abbates, Girardus, Henricus, Millo, Ioannes, Otto, Petrus.

Post hos surrexit alius nomine *Petrus*, qui cum præcipuis benefactoribus nostris scribi meruit. Hic (vt à quibusdam fide dignis audiui) à Domno *Hugone* tunc Burgundiæ Comite ob sanctitatem quâ fulgebat, morúmque nobilitatem, à fratribus huius loci cum humillimis precibus est expetitus, vt videlicet ipse pater secum beati Iacobi Ecclesiam quæ est in Gallicia visitare dignaretur. Quod cunctis annuentibus monachis fœliciter compleuit. Tandem autem Domino spiritum commendans succesſores habuit *Ioannem*, *Guillelmum*, & *Petrum* huius loci Abbates.

Petrus.

Ioannes, Guillelmus, Petrus.

Horum diebus licet pauci huic Ecclesiæ benefeciſſe reperiantur, vnus tamen *Ioannes* huius loci Monachus, qui faciendum curauit calefactorium dormitorij, fundauítque ligna huic necessaria. Est inter cæteros annumeratus *Hugo de Ray* Prior sancti Appollinaris cum *Huot* patre suo, & *Marguareta* matre ipsius, nobis contulerunt viginti francos, præter domum de la Tannarie. Nec non vir illustrissimus ac nobilissimus nomine *Voladislaus*, qui priùs fuerat Dux Albus de Polonia; deinde in hoc loco Monachus, sed sobole deficiente per Papam dispensatus habitum relinquens, donec

Vladislaus Dux Poloniæ Monachus.

Digitized by Google

hæredem regni ſibi ſucceſſorem haberet. Tandem autem occumbens, hícque ſepulturam eligens, huic cœnobio contulit duo millia & quingentos florenos pro duobus anniuerſariis.

Alexander de Monte acuto Abbas.

Sed vt ad laudem venerabilis *Alexandri* de Monte Acuto, prædicti Petri ſucceſſoris, quidquam enarraremus, minimè remittendus eſt calamus. Hic etenim huius inſignis Eccleſiæ conſtitutus Abbas ipſam magnopere intus & foris continuò ſtuduit adornare. Vaſcula námque argentea, necnon & pannos aureos, cum plurimis ſericeis ornamentis, ac quicquid in ipſa Eccleſia tunc decora erant, nobis contulit. Fundauit calefactorium refectorij, & ſimiliter anniuerſarium ſuum, necnon eleemoſynam tredecim pauperum in eadem die faciendam quarto Kalendas Maij. Hic præterea venerandus Pater, religionem in hoc loco prudentiſſimè reformauit, manutenuítq; & in nullo tepeſcere permiſit quandiu vixit. Totũ etiam monaſterium ſtrenuè gubernauit reparauit, & in multis decorauit. Dereliquit interea memoratus pater Alexander ſucceſſori ſuo Ioanni circiter ſex millia aureorum, præter cætera bona. Et vt ſummatim de eo perſtringam, ei non credimus æqualem huic loco præfuiſſe vſque ad Abbatem Hugonem, qui (vt ſupra meminimus) Eccleſiam, thecámque argenteam fabricauit. Hic etiam Alexander dedicare fecit Eccleſiam huius monaſterij; in craſtino autem eiuſdem dedicationis annuatim ſolemne anniuerſarium ſibi ab huius loci conuentu liberè conceſſum. Hic fecit bis refundi magnam campanam quæ Benigna nuncupatur. Iuſtitiam ſupradicti noſtri monaſterij, quam penè amittebamus, recuperauit, ac ſolemnia areſta parlamenti Pariſienſis ſuper ea obtinuit.

Huius Reuerendi noſtri Paſtoris tempore quidam vocatus Ioannes, qui in hac domo conuerſus erat, nobis donauit pro anniuerſario ſuo ſingulis annis per huius loci Fratres celebrando quatuor viginti Francos, & multa alia nobis fecit. Inſuper faciendum curauit Crucifixum qui in angulo clauſtri depingitur. Prænominatus autem venerabilis Pater Alexander, poſtquam pluribus annorũm curriculis abbatiam de Flauiniaco (priùs enim illic Abbas fuerat) ac etiam præ-

Digitized by Google

ſens cœnobium deuotiſſimè gubernauit, à Chriſto euocatus eſt, Anno ab ipſius Domini noſtri milleſimo quadrageſimo decimo ſeptimo, die quinta menſis Septembris. Nobis relinquens ſucceſſorem, quem prænominamus *Ioannem de Marcha* Abbatem. 1417. Abbates, Ioannes.

Eo autem die obeunte huic loco Abbas fuit nomine *Stephanus*. In cuius diebus quidam *Renaudotus* vocatus, Ducis Burgundiæ cubicularius, ac în hoc loco Baſtonarius, perpetuò fundauit Miſſam in altari S. Pauli, quod de nouo ædificauit, ipſum dotando quadraginta libris. De quibus viginti quatuor dantur Cantori & Refectoriario, eam celebrantibus. Reliquum verò Conuentui remanet. Dedit etiam prę-fatus Renaudotus in fine vitæ ſuæ Ducentos aureos pro duorum anniuerſariorum fundatione. Stephanus.

Petro autem Abbate poſt præmiſſum Stephanum regiminis huius Eccleſiæ curam gerente, *Ioannes de Laudona* cognominatus huius cœnobij eleemoſynam dedit nobis, viginti ſolidos redditus annui, aſſignatos ſupra domum quamdam ſitam in caſtro de Iuſſeio. Dederunt etiam nobis *Ioannes de Viſen* Conſiliarius Domini Ducis Burgundiæ, & *Ioanneta* vxor eius, vas argenteum, in quo repoſitum eſt os brachij ſancti Laurentij Martyris. Tandem migranti ad Dominum Petro ſupramemorato Patri ſucceſſit venerabilis *Hugo de Monte-Cuniculo*. Cuius tempore frater Ioannes Broiſſandi huius cœnobij Camerarius, reædificari fecit aulam Conuentus, ſituatam iuxta domum Camerarij, ac domum Albani, cum torculari ſitam ante Eccleſiam ſancti Philiberti. Hic etiam fundauit pictanciam carnium, quæ ter in hebdomada à Paſcha vſque ad Aſcenſionem Domini fratribus in refectorio diſtribuitur. Item fundauit dictam carnium faciendam in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ. Fundauit etiam lampadem cum oleo iugiter ardentem ante altare beatæ *Mariæ* in naui Eccleſiæ. Etiam fundauit luminare in feſtiuitatibus eiuſdem beatæ Virginis, vt fit in feſtis Apoſtolorum. Ac etiam luminare duorum anniuerſariorum ſuorum, vt mos eſt facere in aliis præcipuis. *Andreas de Mömoreto* in hoc loco Infirmarius, tunc nobis dedit imaginem ſancti Blaſij argenteam, auróque ampliſſimè decoratam, cum vna ditiſſima cappa aurea. Pro Petrus. Hugo de Monte-Cuniculo.

Digitized by Google

anniuerſario ſuo Iacobus etiam prædicti Andreæ frater, Subprior de Lareyo dedit Conuentui centum libras Turonenſes manualiter tradendo, cum cappa de colore, quem vulgariter dicunt *Cramoiſi*, pro ſuo anniuerſario. Fœmina quædam dicta *Agnes de Cyterneio*, nobis etiam donauit triginta ſolidos, ſitos ac aſſignatos ſupra quandam domum ſitam in Cimiterio.

Præmiſſus autem pater *Hugo* pro fundatione vnius anniuerſarij nobis contulit ducentos aureos, cum quatuor libris Turonenſibus. Fecit etiam fieri campanas ſiue tympana in hac Eccleſia. Dedit præterea ſex viginti francos pro facienda procuratione in tranſlatione ſancti Patris *Benedicti*. Migrauit autem ad Dominum anno ipſius Incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo. Poſt hunc præfuit in huius Eccleſiæ paſtorali cura Domnus *Humbertus de Saulbiez*, qui fieri iuſſit expenſis propriis magnam vitream ad introitum Eccleſiæ exiſtentem. Huius diebus Prior de Arneo, nominatus *Guillelmus d'Aguilly*, dedit huius monaſterij habitatoribus, viginti libras Turonenſes annui cenſus redimibiles pretio trecentarum librarum.

1467. Humbertus de Saulbiez.

Vualterius de Falerenco.

Huic Humberto ſucceſſit *Vualterius de Falerenco* cognominatus. Hic ſeptingentos aureos (vt dicunt) Conuentui diſtribuit. Imò pro eius intentione dici debet in Miſſa de beata *Maria*, collecta *Inclina*: & poſt prædictam Miſſam (quæ ſcilicet dicitur in veteri Eccleſia) quotidie dici debet Antiphona de prædicta beata Virgine, cum collecta de eadem; & *Deus cui proprium*, pro ipſo Patre. Morientem autem ſubſecutus eſt in regimine venerandus Pater *Ludouicus*, qui *de Tintauilla* vocatus eſt: ſed pauca geſſiſſe repertus eſt.

Ludouicus de Tintauilla.

Circiter hæc tempora religioſus quidam, nominatus *Benignus* de Chemilli, in hac domo Camerarius, fundauit Miſſam de Beata Dei Genitrice, ſingulis diebus Sabbati celebrandam: & in omnibus ſolemnitatibus eiuſdem beatæ Virginis eandem Miſſam dici quoque inſtituit. *Guillelmus Regnandus*, huius domus Prior clauſtralis, manualiter nobis dedit centum libras Turonenſes pro vno anniuerſario. *Godefridus* etiam cognominatus *Domboys*, huius loci Camerarius, contulit huic monaſterio tres heminas frumenti, ſingulis annis per nos recipiendas.

Digitized by

Poſt præmiſſos autem omnes venerabiles Paſtores, nobis Deus veram in Eccleſia ſua lucernam ſuſcitare voluit, vigilantiſſimum videlicet gregis ſui Paſtorem, venerandúmque Patrem ac Dominum, Dominum *Claudium de Charmes*, ſacri huius Cœnobij Abbatem meritiſſimum, qui ex nobiliſſima Diuionenſium Procerum proſapia exortus; à puerilibúſque diebus in hoc loco ſacro beatiſſimi Patris noſtri Benedicti habitu veſtitus, cùm primum ad annos peruenisſet diſcretionis, primò cæpit in vinea Domini florere, ac magis magíſque pullulare. Fuit námque ob præclaram, quâ præfulgebat prudentiæ modeſtiam, ac piam in omnes benignitatem, morum quoque honeſtatem, hac in domo Subcellerarius, Eleemoſynarius etiam conſtitutus eſt. Quodam verò futuræ præſagio ſublimitatis, hic etiam Sacriſtiæ certis temporibus habere meruit officium. Et vt paucis perſtringam, ſicut de venerabili Patre Halinardo ſupra tactum eſt, omnia huius Eccleſiæ fermè officia ſolerter & ſedulò prudentérque exercuiſſe viſus eſt.

Claudius de Charmis.

Eius morũ probitas.

Tandem autem defuncto Reuerendo Patre Ludouico de Tintauilla (cuius ſupra meminimus) huius loci Abbate, non vi armorum, equorúm-ve ſtrepitu, neque etiam ob nobilitatis, quâ præpollebat, celſitudinem; imò potiùs probis id expoſcentibus ſuis moribus, ob bonáque vitæ per omnia iam cognitæ famam, ac diuinâ, vt piè creditur, hoc concedente voluntate, ad paſtorale huius dominicæ domus electus eſt officium. Hic autem in dominico agro vt ſedulus cultor, ac fidelis diſpenſator, talentum ſibi creditum non in terram fodiens, aut abſcondens, ſed ad decus honorémque ac vtilitatem, & ornatum Domini ſui & ſponſæ ſanctæ Matris Eccleſiæ totis viribus explicare decreuit.

A capite námque incipiens præfatus Pater, in hac domo campanile ſeu tympanibulum mirando quidem ac præ cæteris excolendo opere conſtitui, plumbeiſque laminis ac magnificè collocatis cooperiri iuſſit, prout cunctis ad hunc locũ accedentibus facillimè perſpicitur. Ipſam quoque Eccleſiam propriis expenſis dealbari fecit, ornatiúſque quàm anteà fuerat, decorauit. Fecit etiam præfatus Abbas refundi magnum ſignum, ſiue tympanum aut cymbalum, quod in be-

Quæ contulerit beneficia deſcribuntur.

Digitized by Google

nedictione beati Benedicti nomen assumere voluit, multáſque metalli libras in eo addidit. Crucem quoque quæ ante maius altare erigitur deaurari fecit.

Anno præterito centeſimo quinquageſimo & vno, die quarta menſis Ianuarij, donauit, & manualiter tradidit præfatus venerabilis Pater, ipſum feruida monente deuotione, Priori & Conuentui huius ſupra nominati monaſterij, ſummam trium millium librarum Turonenſium, pro acquirendis cenſibus & redditibus. Eâ videlicet intentione, quòd in præfato monaſterio pro ſe ſuíſque omnibus parentibus, familiaribus, benefactoribus viuis ac defunctis, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuę, ſingulis diebus, perpetuíſq; temporibus per Fratres ipſius monaſterij celebrentur & dicantur duæ Miſſæ. Prima ſcilicet alta voce, cum Diacono & Subdiacono in maiori altari huius prædicti monaſterij, formâ & modo quibus conſueuerunt aliæ Miſſæ conuentuales in ipſa Eccleſia celebrari. Secunda autem ſubmiſſa voce celebrabitur per vnum fratrem monaſterij prædicti, in loco, & modo, & tempore fundationis earumdem ſuper hoc confectis litteris pleniùs declaratis.

Præfatus nihilominus Pater venerabilis *Claudius* de ſupra ſcriptis nobis à ſe liberè collatis beneficiis minimè contentus, ſed deuotionis ampliori feruore tactus, acceptantibus prænominatis Priore & Conuentu, dedit manualitérque tradidit Priori & Conuentui, ſummam duorum millium & quatuor centum librarum Turonenſium, intentione quâ ſupra, adquirendi cenſûs & redditûs, pro ſolutione ſeruitiorum diuinorum quæ fieri cupiebat & intendebat. Inſtituit námque præfatus Abbas vltrà ſuprà declarata ſuffragia, vt ſingulis quatuor temporibus, die videlicet Mercurij celebrentur per tres Priores huius prædicti cœnobij, tres magnę Miſſæ in iam dicto maiori Altari, & centum paruę, quę nullibi dicantur niſi in prędicti S. Benigni Eccleſia per fratres ipſius monaſterij, vel alios Religioſos, aut ſeculares; prout in iam dictis litteris declaratur. Dici etiam debent per prędictos Fratres die Martis prędecedente dictam Mercurij quatuor temporum diem, poſt prandium alta voce & ſolemniter vigilię pro defunctis cum nouem pſalmis & nouem lectionibus.

Digitized by Google

Item intendit ſæpedictus Pater, vt per prędictos Fratres ipſius monaſterij ſingulis diebus Aduentus, & Quadrageſimę, horâ ſecundâ poſt meridiem, dicantur etiam integraliter, ſolemniter, & alta voce vigilię defunctorum nouem pſalmorum, & nouem lectionum, exceptis Dominicis diebus in quibus non dicuntur. Quæ ſcilicet ſuffragia ſiue ſeruitia diuina qui dixerint, & ipſis interfuerint, ſummas in ſupra dictis litteris ad hoc confectis declaratas, ab huius dicti monaſterij Pitanciario erunt recepturi. Non tantùm autem prædictas pecunias nobis contulit prędictus Abbas Claudius, immò etiam plurima donauit Eccleſiæ ornamenta aurea & ſerica. Dedit namq; ad ornatum ſuę Eccleſię diuinúmq; cultũ exaltandum, vnam precioſiſſimam ac ditiſſimã caſulam cum Dalmatica atque tunica. Quæ videlicet ornamenta auro fulgentiſſimo abundanter ſunt conſerta ac compoſita. Dedit inſuper cuppam argenteam, in qua recunditur Dominicum corpus, multo auro copioſiſſimè decoratam. Deinde fierì fecit armariola ad ſiniſtram partem maioris Altaris nouæ Eccleſiæ ſtatuta, quorum partes interiores ferreæ ſunt in modum * trilicis ſiue feneſtrellularum quarumdam fabricatę, auróque magnificè deauratæ, vt inibi decentius reuerentiúſque reconderentur ſacræ ac precioſæ ipſius Eccleſiæ Reliquiæ: Et maximè ceruices ſiue capita ſanctorum, videlicet *Benigni* patris noſtri, *Gregorij* Lingonenſis Epiſcopi noſtri Fundatoris, & *Radegundis* Francorum Reginæ. Quę ſcilicet Gregorij & Radegundis capita ipſe Dominus Pater Claudius multo argento, auróq; ſicuti extant ornauit, muniuit, & decorauit ampliſſimè. Pilas etiam ſiue columnas, aut ſi mauis pilaria, ex aurichalco conflata ante prædictum altare, ac ad ipſius altaris ornatum, ſex numero conſtrui fecit. Quæ de ſuper ſex Angelorum Chriſti paſſionis inſignia repræſentantium imagines ſuſtinent; auróque ditiſſimè decorata & inſignita, cunctis faciliùs cernentibus apparere poſſunt.

* Cancellorum, *Gal.* Treillis.

1513.

Circa annum Dominicæ Incarnationis milleſimum quingenteſimum decimum tertium, Chriſtianiſſimo Rege Ludouico duodecimo in Francia triumphante; in hac autem domo præſidente memorato Reuerendo Patre, gens Sueuorum ſiue, vt eos quidam nominant, Heluetiorum, gens quidẽ fera

Vrbs Diuio obſidetur.

& auara, de Germaniæ partibus egrediens, non quæ Domini sui sunt, sed propria sectans, ad iussum (vt dicebant) *Maximiliani* tunc Imperatoris Diuionem obsedit, vastassetque ac depopulata fuisset, si non sanctissimi protectoris nostri Benigni, ad quẽ confugiebant cuncti, sacrorúmque in hac Diuionensi oppido quiescentium Sanctorum precibus, ac prę meritis esset liberata. Diuino enim nutu, pacto inter nos & ipsos super maxima pecuniæ summa ipsis danda facto, ad propria remigrarunt. Sed non sine prædicti Patris, totiúsque Congregationis graui infortunio. Tunc etenim combusta fuêre S. Nicolai suburbia; nec non Diui Petri ac sancti Spiritus. Ex quibus plurimi nobis singulis annis proueniebant census & redditus. Apud sanctum Apollinarem omnia vastarunt, grauissimúmque tunc detrimentum sustinuit illius loci Prioratus. Alij quoque vicinorum locorum habitatores multa perdiderunt: excedebant enim præfati hostes vltra quadraginta quinque millium hominum nunerum. Dederunt autem pro nostri ereptione Cœnobij ab ipsorum hostium manibus tam memoratus Abbas, quàm etiam Conuentus, duo millia librarum argenti, vltra iam dicta grauissima incommoda. Inde autem ob deuotionem quam ad beatum Vrbanum Lingonensis Ecclesiæ Episcopum, hîc olim sepultum, nunc quoque quiescentem, habebat præfatus venerabilis Abbas, fecit fabricari capsam argenteam auróque plurimo decoratam, vt ibidem sanctæ precioſæque Præsulis Reliquiæ conderentur honorificè. His temporibus quædam fœmina, *Guillemeta* nomine, mater Stephani, mulier quondam mercatoris, qui sub theca seu capsa beatissimi Patroni Benigni sensum precibus eiusdem recuperauit, migrauítque in pace ad Dominum; pro anniuersario ipsius nobis dedit summam centum librarum, quam manualiter tradidit Conuentui. *Ioannes Callot*, Magister cameræ, nobis donauit pro suo anniuersario singulis annis per nos celebrando etiam summam centum librarum Turonensium. *Ioannes Moreaul* huius monasterij Infirmarius, ad nostræ Ecclesiæ ornatum, & ad diuinũ officium reuerentiùs peragendum, dedit vnam cappam auream amplam valde, ac miro modo compositam. His etiam diebus *Theobaldus Demipont* cognominatus, nobili prosapiâ ortus,

& in

& in hoc loco Monachus deuotione præmotus, fundauit & inſtituit luminare in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & per octauas. Pro quo debent duo cerei ante armariola lapidea, in quibus reconditur prædictum ſacramentum, continuò diu noctúque lucere. Recepitque Theſaurarius pro hoc ſingulis annis vnum francum monetæ. Frater *Ioannes* Conuerſus apud Lariacum moram trahens, nobis pro ſuo anniuerſario manualiter tradidit quadraginta francos.

Præfatus denique venerabilis Pater cùm ſupra ſcriptis ornamentis huic loco per eum conceſſis, nobis dedit duas pulcherrimas ac ditiſſimas aureas cappas, arte quidem præclariſſimâ compoſitas. Contulit etiam nobis ornamenta maioris altaris viridia, compoſitione ſericea, vnà cum duabus cappis, caſulâ, dalmaticâ, etiam viridibus.

Hic autem Reuerendiſſimus Pater, velut omnibus carus erat, ab omnibúſque amabatur, ſuóſque potenter tuebatur, ita ab omnibus expetebatur. Gregis enim Dominici apud ſanctum Germanum Antiſiodorenſem Cuſtos electus fuit, illiúſq; multis annis prudentiſſimè curam geſſit. Sed tandem honore poſtpoſito, tradito quoque onere religioſiſſimo viro Domino *Franciſco de Bello-ioco*, qui eius conſanguineus erat, litteríſque ac ſcientiâ morum etiam probitate pollens, huius loci Camerarius annis multis extiterat, eum Abbatem inſtituendo. Alias denique Abbatias recuſauit, ſancti ſcilicet Ioannis Reomenſis, ſanctíque Sequani. Quas ambas humili prece ipſi de eius bona conuerſatione certiores facti obtulerunt illarum cultores: cui per reſignationem ſucceſſit quidam vocatus Abbas.

Oremus igitur cuncti, qui ſub eorum protectione degimus, vt ille qui cuncta ſub pedibus videt, moderatúrque, & nutu proprio gubernat, ambos nobiſcum diu viuere permittat ſanos & incolumes; præſtet ſibi commiſſum gregem moribus & verbis inſtruere, ac docere concedat, & inſpiret: quatenus poſt huius ærumnarum vallis diuturnos labores, eos cum familia credita in æterna ſua tabernacula, perpetuámque hæreditatem ſuſcipere dignetur Dominus *Ieſus-Chriſtus*, qui cum Genitore, ſacroque Flamine viuit & gloriatur per æterna ſæcula.

Multa autem huic ſacro collata Cœnobio beneficia fuerunt, præſenti nunc inſerenda pagina: verùm quoniam prolixum foret cuncta recenſere, precantes vt hęc lectori ſatisfaciant, operi finem imponimus.

AD INSIGNIS PRÆCLARIQVE PATRIS, AC DOMINI DOMINI CLAVDII DE CHARMIS,

SACRI, DIVI BENIGNI DIVIONENSIS, COENOBII ABBATIS OPTIME MERITI,

LAVDEM, CONDITVM SVBSEQVITVR EXILE CARMEN.

CLarus in hoc claram claro cum nomine vitam
Ducens cœnobio, Claudius Abba fuit.
Protulit illuſtris præcelsà Diuio prole,
Sed voluit nobis hunc Deus eſſe Patrem.
Æneas Teucris, Samsònque fecit Hebreis,
Quo Solymis Salomon contulit ipſe ſuis.
Exaltata bonis hæc eſt Eccleſia multis,
Subſidióque huius facta decora Patris
Ille ſuos tutus ſemper protexit, & omni
Nixu commiſſas multiplicauit oues.
Neſtoreos illi dones Deus ipſe per annos
Viuere; Phœnicis compleat hicque dies.
Parcaque cùm tenerum diſtraxerit aſpera filum,
Spiritus æthereos expetat (oro) lares.
Amen.

ANTIQVVM BESVENSIS ABBATIÆ CHRONICON, AVTHORE IOANNE MONACHO.

INCIPIT LIBER MEMORABILIVM rerum, ſeu etiam Cartarum Beſuenſis Monaſterij.

ANTIQVORVM huius ſæculi ſapientum laudabile, ac ideò imitandum fuit ſtudium; vt non ſolùm ea quę acciderent in diebus eorum, ſed etiam fortia priſcorum facta Heroum ad memoriam poſterorum traderent monumentis ſcripturarum. Quæ vtilis res & eis extitit materia humanæ laudis, & futuris hęc legentibus vel audientibus exemplum, incitamenq; æmulationis. Talia conſiderantes nos Beſuenſes ſacri monaſterij à paruulo habitatores & amatores, ne fortè nobis iuſtè ſuccenſeant noſtri ſucceſſores, ſicut nos de incuria meritò culpamus noſtros anteceſſores, aggrediemur cum adiutorio

Ipſiſſima Chronici S. Benigni ſunt verba.

Digitized by Google

Dei ſcribere, licet ruſticanâ & minimè politâ narratione, quę de præfati loci antiquitate, ſeu deuotorum Deo fidelium eidē donata ſunt largitione Regum, Pontificum, Ducum, Comitum, ac illuſtrium virorum potuimus addiſcere: quatenus & honori ſit cœnobio noſtro, poſſeſſionum collatarum, & memorandarum rerum in eodem geſtorum deſcriptio, & cum diuinæ laudis debito exoptanda benefactoribus eius cœleſtis gloriæ remuneratio.

Primò igitur perſequenda nobis eſt eorum Chronica, qui regnarunt in Francia atque Burgundia vſque ad *Clotarium*, *Chilperici* filium, cuius videlicet tempore Monaſterium iſtud Beſuenſe ædificatum eſt ab *Amalgario* Duce optimo, & vxore eius *Aquilina* nomine, largiſſimęq; de rebus propriis ditatum, anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo, indictione tertia, præſidente ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſancto *Gregorio* Papa, *Mauricio* verò Cæſare imperante in Repub. beato *Columbano* commorante in Burgundia. Siquidem ad cognoſcendas Abbatum ſucceſſiones, qui per diuerſa hîc pręfuerunt tempora, & quę ſub vniuſcuiuſq; illorum regimine huic loco collata ſunt fidelium largitione, Epiſcopos quoque Lingonicæ Eccleſiæ, qui circa hunc locum munificos ſe exhibuerunt, nominatim ſingulos curabimus oſtendere; & quid ab vno quoque illorum collatum ſit in augmentatione huius domus Dei, ſigillatim demonſtrare.

Igitur Childerico Rege, &c. *quæ ſequebantur in hoc Beſuenſi Chronico, ad vſque Monaſterij fundationis narrationem, in San-Benigniano Chronico reperies: nempe pag.* 361. *& ſeq.*

DE CONSTRVCTIONE *huius loci.*

Clotarij II. tempore, anno 600. fundatum Beſuenſe Monaſterium.

IGitur quoniam Monaſterium iſtud Beſuenſe *Clotarij* Regis tempore ab *Amalgario* Duce fundatum fuiſſe prælibauimus, paulò latiùs nobis viſum eſt proſequendum, qualiter ab eo & vbi fuerit conſtructum, & quibus rebus ab eo

Digitized by Google

primùm ditatum, ac deinceps à cæteris Deum timentibus, imò diligentibus largiſſimis facultatibus amplificatum. Fuerunt ſiquidem illis temporibus duo Duces in Burgundia, quorum vnus *Vualdelenus* nomine, gentes quæ intra Alpium ſepta & Iurani ſaltus arua incolunt, regebat. Erat huic vxor nomine Flauia : de qua cùm nullius hæredis habuiſſet gaudia, cui ſuarum opum & honorum poſt ſe reliquiſſet ampliſſima ſubſidia, per beati *Columbani*, qui Luxouio præerat, Deo digna precamina filium ſuſceperunt,& ei illum de ſacro fonte leuandum, ſicut ipſe quæſierat, obtulerunt. Itaque ſanctus vir baptizauit, Donatúmque nomen impoſuit; qui poſteà in eodem monaſterio ſapientiâ imbutus Biſontinæ ſedis Archiepiſcopatum clariſſimè gubernauit. Alter verò Dux harum duarum partium circumquaque latiſſimus dominator, *Amalgarius* nomine, habens vxorem nomine *Aquillinam*, habuítque ex ea filios, quorum vni Audalrico nomine ducatus ſui regimina poſt ſe dereliquit. Habuit & alium Vualdalenum nomine, quem offerre Deo, à quo eum acceperat, cupiens, per manus beati *Columbani* eum ipſi in prædicto Luxouienſi Monaſterio, quod tunc præ cæteris Galliarum atque Burgundiæ Monaſteriis religione florebat, educandum contradidit. Habuit iterum filiam *Adalſindam* nomine , quam etiam Deo offerendam, ac diuino cultui mancipandam, adiudicauit.

De Amalgario Duce.

Dum itaque hi duo in ſchola Chriſti erudiuntur , videlicet Vualdalenus & Adalſinda, pater Amalgarius excogitat, vbi religioni eorum ædificet loca conuenientia, & ſiqui poſteà cum eis Deo voluerint ſeruire, vnde habeant victus & veſtitus ſufficientia. Cùm igitur in Ducatu ſuo duo Chriſti conſtruere vellet ouilia, & ouibus, quas ibi Deus aggregaret vtriuſque ſexus, ex illis, quos ſibi dederat Deus pueris, Paſtores præficere, videlicet Vualdalenum viris, & Adalſindam fœminis, inter cætera ducatus ſui loca duo inuenit ſpecioſiſſima, atque ad id non parum conuenientia. Eſt locus inter fluuium Arraris & Sagunnç, & fluuium quem Tila vocant ab emergente ibidẽ fonte non modico, qui Beſuus dicitur, dictus & ipſe Beſua, fons eſt ipſe limpidiſſimus, ad potandum habilis, ac multimodâ piſcium copiâ fertilliſſimus ;

Beſuæ deſcriptio.

nec ſicut alij fontes, qui plurimi decurrendo & augmentando, nomẽ accipit fluuij, ſed ibidẽ vbi oritur præ magnitudine flumen dicitur. Naſcuntur in eo diuerſi generis herbæ, quæ ſi frugum alimonia minus abũdauerit, pauperibus ſubſidium præbeant vitæ: ſícque fons iſte totius ſui irrigans confinia, ad omnia quæcumque ibi ſeruntur vel coluntur confouenda loca reddit habilia. Terra ſatis bona, & niſi deſit qui laboret, frugum fertiliſſima. Prata propè ſunt abundé, quibus poſſunt nutriri pecora, & ſuppleri alia quęq; priuata neceſſaria. Syluas habet in procinctu locus & contiguas, quæ ad conſtruenda ædificia, ſeu ad omnia quæ generi humano ſunt neceſſaria, ſufficiant.

Inibi Amalgarius conſtruit monaſterium.

Talem igitur locum *Amalgarius* Dux Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo dignum duxit offerre, & ſub manu filij ſui Vualdaleni Monachos, qui ibi Deo & ſanctis eius deſeruirent, ſub regula beati *Columbani* ſtuduit aggregare? Quid plura? Vualdalenum Abbatem ibi præfecit; locum, vt prædiximus, Deo & ſancto Petro & Paulo liberrimè cum omnibus appenditiis ſuis obtulit, cum terris & ædificiis, cum ſyluis & acceſſibus omnibus, cum mancipiis & colonis & ſeruientibus; denique quidquid habere ibi videbatur, totum liberrimè & integerrimè, nec ſibi nec cuiquam aliquid ex illis retinens. Et quoniam locum omni adniſu voluit extollere & amplificare, viſum eſt ei ex aliis rebus & appenditiis eum ditare.

Dedit itaque Vetus-vineas cum appenditiis ſuis, & ſyluas Tilerias, Beriam, Tregias, Cipetum, Buxatellum, & Vendoueram. Item Auxiliacum cum appenditiis, adiacentiis, & ſyluis, & colonicis. Blaniacum, Bertariacum, Baimam, & Viriacum, & Attiuiacum, Nouiliacum, & Villam Collatunnam, & Curtem mulinenſem, Marcenniacũ, cum vineis XII. & vinitoribus, & colonicis, qui excolere videntur. Apud Cocheiacum vineas non minimę quantitatis. Dedit etiam in pago Belnenſi vineas octo cũ vinitoribus & colonicis. In villa quę Vaona dicitur, vineas & terras cum ſeruis & ancillis excolentibus eas. Tradidit etiam cum cæteris rebus S. Petro terras quas habebat in Diuione, & in fine Domni Petri, & Lógo-vico, & in Canauis, & in Arſilirias, & Tremoldo, & Pro-

Digitized by Google

uiſo, & Diſto. Dedit & in Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus & colonicis, & ſyluis, & pratis, aliiſque adiacentiis, cum ſeruis & ancillis, omnia omninò liberrimè, & prorſus ab omni conſuetudinali reclamatione aliena. Item in villa & in Caciaco quicquid habebat. In villa quæ Patriniacus dicitur, manſum vnum optimum cum appenditiis ſuis. Cúmque his omnibus dedit villam Maieſcum, & adiacentia ſua prædicto Monaſterio, & datis his, factáque Epiſtolâ propria manu conſignatà, in perpetuum poſſidenda contradidit.

Alterius monaſterij fundatio ab Amalgario.

His ita digeſtis, deſcriptáque Beſuenſis Monaſterij conſtructione, quoniam de alio loco ſuperiùs fecimus mentionem, quem in Ducatu ſuo Amalgarius ædificauit, vbi filiam ſuam *Adalſindam* ſanctimonialibus Abbatiſſam præfecit, dicendum æquum putamus vbi ſit locus, & quis vocatus, quibus appenditiis ditatus, vt ibi Deo ſeruientibus victus non defuerit atque veſtitus. Eſt locus haud longè à Beſontienſi ciuitate ſuper fluuium, Dubium appellatum. Ipſius fluuij intercurſu tantùm à ciuitate ſeiunctus, ex alia verò parte habens montem vocatum Vualdalenum, à nomine Vuandalorũ, qui ibi caſtrum habuerunt, vt antiqui incolę dicunt, Dornatiacus dicitur, qui & Virzilias, in honorem ſancti Martini conſecratam habens Eccleſiam, quem Amalgarius Dux filiæ ſuæ Adalſindæ donauit; & vt ſub eius regimine regulariter ibi viuerent, congregationem ſanctimonialium conſtituens, de propris rebus donationem fecit. Villam ſcilicet quæ Aſſona vocatur, Villam Parnatiacum, villam Pontentiacum, & medietatem quam in Balatunna poſſidere videbatur. De villa verò Montaniaco ſimiliter. Sed cum his omnibus qualiter præfatus locus Dornatiacus Eccleſiæ Beſuenſi donatus atque coniunctus poſteâ fuerit, in ſequentibus, & vbi congruũ videbitur, inſeremus. Anno xxxiv. Regni Clotarij Vuarnarium, quem Maiorem domus in Burgundia inſtituerat, cum vniuerſis pontificibus Burgundię, ſeu & Burgundæ Faronis, Bonogello Villam ad ſe venire præcepit, &c. *

* *Chronic. S. B p* 383.

Dagobertus anno vi. regni ſui Burgundias ingreditur: tanto verò timore Pontifices & Proceres, & cunctos in regno Burgundiæ conſiſtentes aduentus Dagoberti concuſſerat,

Digitized by Google

vt omnibus esset mirandus præ timore iustitiæ quam pauperibus faciebat. Veniens ergo ciuitatem Lingonas, & inde Diuion aggressus, ac Latona residens aliquantis diebus, tantam intentionem iudicandi iustitiam vniuerso populo regni sui habebat, vt huius benignitatis desiderio, nec somnum oculis posset capere, nec cibo satiebatur: intentissimè cogitans, vt omnes cum iustitia accepta à conspectu suo remearent.

An. circiter 634. Quia igitur per successiones Regum ad tempora vsque *Dagoberti* Regis narrationem protulimus, dignum esse putauimus, huic loco inserere quid ipse Dagobertus huic nostro Besuensi Monasterio beneficij contulerit, & quibus appenditiis locum hunc augmentauerit, atque sui Præcepti authoritate firmauerit: vt quod ipse Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo offerebat, perpetualiter inconuulsum permaneret. Audiens enim bonam famam *Vualdaleni* Abbatis, (de quo supra meminimus) qui tunc præerat huic sacro monasterio, donationem fecit per manum ipsius Deo & Ecclesiæ Besuensi, de villa quæ dicitur Artasia, cum terris & appenditiis suis: quæ villa sita est in fine Campolimicensi. Dedit etiam villam quæ Monasteriolus vocatur, nec longè à supradicta Artasia & in eosdem fines. Crescente itaque huius loci religione, Amalgarius Dux huius sancti Monasterij fundator, terras quas acceperat ab ipso Dagoberto Rege in beneficium, contulit huic Ecclesiæ, villam scilicet Alteriacum cum adiacentiis suis; villam quę dicitur Boensis cum omnibus appenditiis suis; omnia dedit ad integrum cum consensu & Præcepto ipsius Dagoberti Regis. Item dedit villam Ginceniacum, & villam Talamarum, cum omnibus vbique ad ea pertinentibus.

Die quadam Dagobertus Rex à Latona Cabillono properare deliberans, priusquàm lucesceret, balneum ingrediens Brunulfum auunculum fratris sui Ariberti interficere iussit. Qui ab Amalgario & Arnberto Ducibus, & Vuilbado interfectus est. *Dagobertus* Rex post hæc Cabillono pergit, iustitiæ amore quam cœperat, perficiendæ. Pòst Augustodu-no, inde Antisiodoro pergens, de hinc Senonas ciuitatem; indéque Parisius venit. *Gomatrudem* Reginam Romiliaco villa,

Digitized by Google

villa, vbi matrimonium acceperat, relinquens, *Nantildem*, vnam ex puellis, de miniſterio eius accipiens, Reginam ſublimauit, &c.* * *Chronic. S. B p. 383.*

Clodoueus igitur Rex, qui & *Clotarius* dictus eſt, XVIII. annos in regni adminiſtratione complens defunctus eſt in primæuo flore iuuentutis, relictis tribus filiis *Clotario*, *Childerico*, & *Theoderico*, vnà cum matre eorum Baldechilde Regina. E quibus *Clotarius* natu maior regnum patris ſui Clodouei Neuſtriæ & Burgundiæ obtinuit. Childericus verò Auſtriæ & Germaniæ ſedem adeptus eſt. 660.

Nunc verò id videtur huic noſtræ narrationi inſerendum, illud quod ſupra narrare promiſimus, qualiter videlicet locus Dornatiacus, qui Birgilias dicitur, huic Beſuenſi loco cum appenditiis ſuis donatus ſit atque coniunctus. Iiſdem námque ferè temporibus Donato, (de quo ſupra meminimus) exiſtente Biſonticenſis ſedis Archiepiſcopo, *Adalſinda* Abbatiſſa, quæ ei loco præerat, malorum hominum iniuriis & plurimis aduerſitatibus affecta, cùm ampliùs pati non poſſet, in manu Vualdaleni Abbatis fratris ſui, Deo & ſanctis Apoſtolis eius Petro & Paulo locum illum cum omnibus appenditiis ſuis donauit cum conſenſu ipſius Donati Biſonticenſis Archiepiſcopi, ſicut ipſius Epiſtola ſubſcripta docebit.

DOMINO SANCTO ET IN CHRISTO amabili fratri VVALDALENO ADALSINDA *Abbatiſſa.*

Adalſinda Abbatiſſa omnia ſui monaſterij confert Beſuenſi.

DVm malorum hominum vexata iniuriis, & variis aduerſitatibus, ibidem ſtare non poſſem, inde ego & germanus meus *Adalricus*, vobis & fratribus veſtris petiuimus, vt ad Monaſterium ſancti Petri habitare ſub regula vel ordine in Dei nomine deberem; quod & vos pro caritatis ſtudio conceſſiſtis. Ideò Monaſterium Dornatiacum in honore S. Martini* ſitum, quod genitor meus Amalgarius & Aquilina mater mea conſtruxerunt, & ei maximam partem de ſuis facultatibus delegauerunt, hoc recipere in Dei nomine de- * *f.* fratrum

debetis, cum villis ad eundem locum pertinentibus, & omnibus vniuerſaliter appenditiis ſuis: villam ſcilicet Aſſonam, villam Parniacum, Potentiacum, & medietatem quam in Balatonna genitores noſtri tenuerunt. Reliqua verò, quæ ad ipſum monaſterium Dornatiacum genitores noſtri delegauerunt, à die præſenti in Dei nomine recipite. Et de villa Montaniaco *quod genitor noſter *Amalgarius*, & *Amoloaldus* de fiſco pariter promeruerunt, portionem noſtram à die præſenti in veſtra dominatione reuocate; vt nec ego, nec quiſlibet de parte noſtra, vel vllâ appoſitâ perſonâ, aduerſum vos de ſupradictis rebus calumniam ac laborem generare præſumat. Si quis verò fecerit, conferat vnà cum ſacratiſſimo fiſco auri libras viginti, argenti pondo quinquaginta. Actum publicè Fonte-Beſua Monaſterio. In Dei nomine Ego *Adalſinda* hanc traditionem noſtram ſubſcripſi. Hermena Monacha iuſſu Domnæ meæ Adalſindæ ſubſcr. Aga Monacha iuſſu Domnæ meæ Adalſindæ ſubſcripſi. Subſignauit *Daginus* hanc donationem. S. Manaulfus Preſbyter. *S. Victor. S. Proculus. S. Vualibertus. S. Landebertus. S. Traſgarius. S. Rogitus.* Ego *Allo* hanc traditionem ſcripſi & dictaui, anno ab Incarnatione Domini DC. LII. Indict. x. Epacta VI. *Clotario* Rege regnante in Francia, * primo anno regni eius, venerabili viro Donato Beſonticam ſedem tenente. Die Mercurij proximo, ante medium menſis Februarij.

J. * quam

* *Qui & Clodoueus appellatus eſt.*

*Octauio potius.

Tempore igitur Clotarij Regis cùm locus iſte copioſiſſimè ditatus fuiſſet, & Religionis ſtudio floreret, inimicus totius boni Diabolus omni conamine efficere voluit, vt bona, quæ ibi fideles donauerant, inde auferrentur; & ſi fieri potuiſſet, in perpetuam obliuionem traderentur. Nam mortuo Amalgario Duce, Francis inter ſe diſcordantibus, & inteſtino furore inter ſe dimicantibus, & terras ſuæ poteſtatis bello pluſquàm ciuili vaſtantibus, contigit hoc Monaſterium rabiem talium perpeti, & damna rerum omnium ſuſtinere, in tantum, vt etiam inſtrumenta Chartarum & donationum, quæ præfatus Amalgarius, aliique Deum timentes & honorantes eidem Monaſterio contulerant, tollerent, & in perditionē darent. Sed hanc iacturā prædictus *Vualdalenus* Abbas

Monaſterium Beſuenſe vaſtatum, cartæque direptæ.

Digitized by Google

releuare ſatagens, egit cũ *Sichelmo* Duce, tunc in Burgundia Ducatum agente, vt relationem acciperet rerum ipſius Monaſterij, multorum bonorum hominũ confirmatam conſenſu & ſubſcriptionibus. Tali igitur authoritate fretus ad Regem *Clotarium* ſe contulit, eíque cuncta innotuit, & vt eius Præceptum ad perpetuam tuitionem mereretur, ſuper hoc pacto expetiuit. Cuius prædictus Rex aſſenſum præbuit, & ſuam pręceptionem clementer conceſſit. Quod ex ipſis conſcriptionibus meliùs edocebimus.

EPISTOLA SICHELMI DVCIS transmiſſa Maioribus Palatij.

DOminis noſtris propriis *Reideberto*, *Chrodeberto*, *Emerulfo* Maioribus domus ſacri Palatij, *Sichelmus* cum reliquis fidelibus & ſeruientibus veſtris, quorum ſubſcriptiones vel ſignacula in hanc ſubgeſtionem ſubter tenentur inſerta. Credimus quòd glorioſiſſimus Dominus noſter auditum habeat, qualiter illuſtris vir *Amalgarius* tempore ducatus ſui in loco Fonte-Beſua nuncupato, in pago Attoarienſe, in honore ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Monaſterium conſtruxit, vbi etiam Monachorum congregationem ad habitandum coniunxit, & de facultate ſua maximam partem ſupradicto Monaſterio delegauit. Credimus etiam ad veſtram peruenisſe notitiam, qualiter ipſum Monaſterium ante hos dies à malis hominibus irruptum fuerit, atque vaſtatum, & omnes res, quas ipſi Monachi habebant, cum ipſis chartis deportata, & omnis habitatio eorum in direptionem & deuaſtationem miſſa: vnde humiliter pietati veſtræ ſuggerere præſumimus, vt hoc glorioſiſſimo Domno noſtro innoteſcere faciatis, vt per ſuam clementiam talem authoritem ipſi loco conſcribi iubeat, vt ſupradictas res, quas boni homines ibidem delegauerunt, nullus inuadere, aut violare, vel inquietare præſumat, ſed quæ in præſenti habere vel poſſidere videntur ipſi Monachi, veſtris & futuris temporibus ſine inquietudine per veſtrum præceptum habere & tenere poſſint. Vt & eos pro vita veſtra, & ſtabilitate Celſitudinis

Digitized by Google

veſtræ & regni veſtri, Dei miſericordiam attentiùs delectet exorare. Dominicus audiuit ſuggeſtionem * *Farulfus* ſubſignauit *Abbo* ſubg. *Ermerbertus* ſubg. Frodoaldus ſubg. Vuarato ſubg. Fulgoaldus ſubg. Eurcharius ſubg. Data ſub die Kalendas Octobris. Regnante Domno noſtro *Clotario* Rege. Hanc ſubgeſtionem Regi innotuerunt, & quid ipſe de hoc decreuerit, eius Præceptum declarabit.

f.* Domnus

Præceptum Clotarij Regis.

Confirmat Rex cuncta Beſuæ collata.

Clotarius Rex Francorum, viro illuſtri *Sichelmo* Ducì. Regem cœlorum, qui ſuper omnes Reges termino immenſo, & nulto imperio tegitur, & qui ſuper omnes ſedes Angelicas ſuâ pietate & potentia tenet principatum, erga ſolium regni noſtri, quod ipſe nobis ad regendum commiſit, credimus eſſe cultorem, ſi oportuna beneficia ad loca ſanctorum deuota mente præſtamus, vel noſtris oraculis confirmamus. Igitur venerabilis vir Vualdalenus Abbas ad præſentiam noſtram veniens, gloriæ regni ſubgeſſit, quòd genitor ſuus *Amalgarius*, & genitrix ſua *Aquilina*, quondam pro Dei amore Monaſterium nuncupatum Fontem-Beſuam, in pago Attoariorum ſuo opere in honore ſancti Petri & Pauli ædificaſſent, & Monachos ibidem ſub regula beati Columbani, ſeu beati Benedicti adunaſſent, & maximam partem de facultate ſua ipſi Monaſterio delegaſſent; ſed poſteà inſidiante parte aduerſa, ipſum Monaſterium à malis hominibus irruptum & exſpoliatum fuerit, & omnes cartæ, quas de ſupradicto loco, vel de reliquis locis, memoratus Amalgarius, vel coniux ſua ibi delegauerunt, cum multis aliis rebus ablatæ. Vnde memoratus Vualdalenus relatione veſtra pro firmitatis ſtudio petiit Celſitudinem noſtram, vt quaſcumque res ipſius Monaſterij ſeu præſcripti loci in Dei nomine per Præcepti noſtri authoritatem deberemus confirmare. Cuius petitione mercedem æternam & diuinam nobis in omnibus acquirere cupientes, nos id præſtitiſſe & confirmaſſe cognoſcite. Præcipimus igitur, vt quicquid conſtiterit à præfato Amalgario & eius matrona Aquilina, vel ab aliis

Digitized by Google

Deum timentibus hominibus, ipſi Monaſterio collatum, ad integrũ hoc habeat, teneat, & poſſideat, & noſtris & futuris, Deo auxiliante, temporibus, ipſam ſcilicet Beſuam cum omnibus appenditiis ſuis, cum terris & ædificiis, cum ſyluis & acceſſibus omnibus, cum mancipiis & colonis & ſeruientibus, totum liberrimè & integerrimè: Vetus-vineas cum omnibus appenditiis ſuis & ſyluis, Tilerias, Beriam, Tregias, Cypetum, Buxatellum, Vendoueram, Auxiliacum cum appenditiis ſuis, & ſyluis & colonicis, Blaniacum, Berlariam, Baymam, Variacum, Attiniacum, Nouiliacum; villam Calatunnam, Curtem Molinenſem, Mlercennacum cum vineis duodecim, & vinitoribus, & colonicis, qui excolore videntur. Apud Cocheiacum vineas non minimæ quantitatis. In pago Belnenſi vineas octo, cum vinitoribus & colonicis. In villa quæ Vaona dicitur, vineas, & terras, cum ſeruis & ancillis excolentibus eas. Terras quas habebat in Diuione, & in fine Domni Petri, & Longo-vico, & in Canauis, & in Arzilias, & Tremoldo, & Prouiſo, & Diſto. In Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus, & colonicis, & ſyluis, & pratis, & omnibus adiacentiis ſuis, cum ſeruis & ancillis, & omnia omninò liberrimè. In villa & in Chaciaco quicquid habebat ipſe Amalgarius. In villa quę Patriniacus dicitur, manſum vnum optimum cum omnibus appenditiis ſuis. Villam Maieſcum cum adiacentiis ſuis. Villam Alteriacum, & villam Boenſem ſimiliter cum omnibus appenditiis ſuis. Villam Talamarum, & villam Ginceniacum. Omnia hæc integerrimè, ac liberrimè cum omnibus ad ea pertinentibus.

Vt autem hæc ſcriptio firma & ſtabilis in æuum permaneat, & à nullo noſtrorum ſucceſſorum ſit permutanda, noſtro nomine inſigniri, & annuli impreſſione iuſſimus ſigillari.

Signum CLOTARII Regis.

Datum menſe Auguſto, anno ab Incarnatione Domini DC. LVIII. indictione prima, anno *VIII. regni Clotarij. *ſeu* *XIV. Actum Nemauſo feliciter.

Non ſolùm autem hæc conſirmauit, ſed & Defenſorem

Digitized by Google

& Aduocatum Gengulfum, virum illuſtriſſimum prædicto Monaſterio conſtituit, quod eius litteræ indicabunt.

Quomodò CLOTHARIVS *conſtituit Aduocatum beatum* GENGVLFVM *huic loco.*

VEnerabilis vir *Vvaldalenus* Abbas de Monaſterio S. Petri Fontis-Beſuæ, quod ſuus genitor Amalgarius eiuſque matrona Aquilina quondam ſuo opere viſi fuerunt ædificaſſe, Clementiæ regni noſtri ſubgeſſit, eò quod ipſum monaſterium à malis hominibus fuiſſet vaſtatum, & inſtrumenta cartarum vnà cum reliquis rebus quàm plurimis exinde fuiſſent deportata. Ob hoc petiit à nobis, vt illuſter vir *Gengulfus* omnes cauſas ipſius monaſterij ad perſequendum & reintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præſtitiſſe cognoſcite. quapropter per præſens hoc Præceptum iubemus, vt memoratas omnes cauſas ipſius Monaſterij ex noſtro permiſſu licentiam habeat proſequi, & vnumquodque, vt iuſtum eſt, reſtituat. Sic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas.

Data xv. Calend. Septemb. Anno x. regni Domni Clotarij Regis.

His igitur authoritatibus Regis, & Principum adiutoriis fultus prædictus Vualdalenus Abbas, res ad ipſum monaſterium pertinentes legitimè & quietè tenuit, & monaſticum ordinem cum ſuis Monachis, ſicut multis indiciis clarum eſt, regulariter & deuotè cuſtodiuit. Cuius exemplo multi ad monaſticam religionem ſe contulerunt, ſua, ſecundum Domini præceptum, quædam pauperibus, quædam eidem loco ſancto conferentes: quorum donationes ad huc retinemus, cum inſtrumentis cartarum.

Clotarius igitur Rex, poſtquam aliquot annis tenuit regnum, immatura præuentus morte, reliquit illud ſine hærede. Cuius obitum dolentes Francorum Principes, germanum eius Childericum Regem Auſtraſiorum, quem audierant ſapienter & prouidè regnum diſponere, in omni ſublimant Francorum regno. Adeptus verò principatum, quicquid ad-

664. *ſiue* 674.

Digitized by Google

uerſus leges Regum priorum ac maiorum Principum, quorum vita quondam laudabilis extiterat, ineptum atque contrarium reperit, ad priſtinum ſtatum prudentiſſimè reuocauit.

Childericus ergo Rex paucis annis, quibus regnum Francorum obtinuit, æquo moderamine iuſtíſque legibus diſponens ipſum regnum, defunctus eſt. Et germanus eius Theodericus in regno, fratris loco ſublimatus, quod tenuit annis xvi. In diebus eius ſanctus *Leodegarius* eſt interfectus ab Ebroino Maiore domus. Et ſanctus *Lambertus* Tungrorum Epiſcopus à Dodone Comite. Ii vno tempore innocentes occiſi coronam martyrij ſunt adepti. Iſte *Theodericus* Rex munificentiam largitatis ſuæ huic loco impendere dignatus eſt, cuius exemplar Præcepti neceſſarium ſubiicere iudicauimus.

677. *vel*, 679.

Incipit præceptum Regis THEODERICI.

MEritò Beneficia, quæ poſſident, amittere videntur, qui non ſolùm largitoribus ipſorum beneficiorum ingrati exiſtunt, verùm etiam infideles eis eſſe comprobantur. Ad huiuſmodi igitur exemplum poſtquàm omnibus patefactum eſt, qualiter *Adalricus* Dux Deo ſibi contrario, nobis infidelis apparuit, & ſe Auſtraſiis conſociauit, vt aduerſum nos & noſtros fideles ſcelera ſua, ſi Dominus Deus permiſiſſet, exercuiſſet, nos propter ipſum facinus omnes res ſuas ad noſtrum fiſcum iuſſimus reuocari. Cognoſcat itaque vtilitatis veſtræ magnitudo, quod res nominatas Fiſcafelinis vnà cum appenditiis ſuis, & adiacentiis, & cum colonica, treuario, & quicquid ſupradictus Adalricus de quolibet adtracto ibidem tenuit, vel poſſedit, ei monaſterio, quod appellatur Fons-Beſuæ, quod eſt in honore ſancti Petri & Pauli, ac cæterorum ſanctorum conſtructum, vbi venerabilis vir *Vualdalenus* præeſſe dignoſcitur, plenâ & integrâ gratiâ totum nos conceſſiſſe. Quapropter per hoc noſtrum Præceptum decernimus ordinandum, & in perpetuum volumus eſſe manſurum, vt memoratus Abbas *Vualdalenus* prædicto

Bona Adalrici Ducis fiſco ſuo adiudicata Rex confert Beſuenſi monaſterio.

Digitized by Google

monaſterio Fontis-Beſuæ res iam dictas vnà cum ædificiis, mancipiis, acolabus, terris, & pratis, ſyluis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, acceſſibúſque omnibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, cum omni vſu fructuario, ex noſtræ largitatis munere perpetualiter recipiat poſſidendas. Et vt hæc Præceptio firmior habeatur, & futuris temporibus inconuulsè teneatur, manus noſtræ ſubſcriptionibus eam decreuimus roborare.

Signum THEODERICI *Regis.*

Datum menſe Septembri die IV. Anno IV. regnante
681. Theoderico Rege.

Glybertus Notarius.

Primi Beſuæ Abbat.

TEmpore igitur prædicti Vualdaleni Monaſticus ordo regulariter floruit, quem ſucceſſores eius Abbates, vt boni filij mores paternos æmulantes, in regulari inſtitutione imitati ſunt: *Bercangus* videlicet, qui illi in regimine ſucceſſit, & *Ferreolus*, qui poſt Bercangum regimen monaſterij ſuſcepit. Sed & *Syrannus* vir religioſus paſtoralem curam nobiliter tenuit. Talibus itaque fundatoribus, plantatoribus, rigatoribus, Deo incrementum præbente, in prædicto Cœnobio monaſtica Inſtitutio ſolerter viguit, permansítque vſque ad tempora Pipini, Magni Caroli genitoris. In illo tempore, deficientibus iam à priſtino vigore Regibus, cura totius Regni adminiſtrabatur per Duces & Principes domûs, inter quos omnes præeminebat Pipinus, quem ſupra retulimus, vir omni ſapientia adornatus, eiuſdémque regni maxima pars erat in manu eius. Hic deuictâ Friſiâ, atque ipſius regni fugato Rege, nomine *Ratbodo*, miſit illuc ad prædicandum ſeruos Dei venientes ex Britannia, *Vuillebrordum* & ſocios eius, qui non paruam populi multitudinem ad Chriſtum conuerterunt. *Theoderico* Rege defuncto *Childebertus* filius eius ſucceſſit in regnum.

Ch. S. B. p. 393. & ſeq. Anno ab Incarnatione Domini DCC. IX. Pipinus perrexit in Suuanos, &c.

Anno

Digitized by Google

Anno DCC. LII. Domnus *Pipinus* Rex ſacratus eſt per manus Stephani Papę; & duo filij eius Carlomannus & Carolus, qui Magnus dictus eſt. 752.

Res Eccleſiæ Lingon. Laïco, & monaſterium Beſuenſe mulieri à Rege tradita.

Pipinus igitur Rex habuit quemdam fratrem, nomine *Remigium*, cui in Burgundia plurima loca conceſſit. Inter quæ etiam res ad Epiſcopatum Eccleſiæ Lingonenſis pertinentes, quas ſicut ſibi viſum eſt, ſuis aſſeclis dimiſit. Sed, ô nefas! Monaſterium hoc Anglæ vxori cuiuſdam Theodardi, quia eius ſtupro potitus fuerat, non cuſtodiendum, ſed diripiendum dedit. Quam præſumptionem, vt dignum erat, indignè ferentes Monachi, Monaſterium reliquerunt, præter paucos ætate & debilitate confectos. Reliqui verò Luxouium Cœnobium expetiuerunt, aliáque monaſteria, in quibus nouerant ordinem monaſticum permanere.

Nota Authoris æuũ.

Prædicta autem Angla res monaſterij, vt talem decebat, diſponebat. Ab ingreſſu autem ſacro-ſanctæ Baſilicæ Apoſtolorum ſenibus illis qui remanſerant prohibentibus, aliquandiu temperauit: ſed poſtquàm cætera ſacra loca impunè temerauit, etiam ipſum Oratorium audacter ingredi præſumpſit, ſtatímque quia contra Deum veſaniret, experta eſt. Nam vt à viris fide dignis, qui ab eis qui præſentes fuerunt, & viderunt, & audierunt, comperimus; ſtatim vt ingreſſa eſt prædictum Oratorium, inuiſibili igne ardere cœpit, magníſque clamoribus ſe exuri vociferans, vt in fluuium Beſuæ, qui iuxta decurrit, de portaretur, poſtulabat. Quod illicò factum eſt. Sed non valuit talis aqua talem extinguere ignem: tunc ad fontem miſericordię cucurrit, prædictis ſenibus monentibus, & docentibus, ſícque ſaluari meruit. Priùs tamen temeritate confeſsâ emendationem in reliquo talis præſumptionis promiſit. Honorauit etiam prædictum locum donariis quibus potuit, quorum quædam, ob teſtimonium tanti ausûs, apud nos ſeruantur.

Eliminatis Monachis Canonici ſubſtituuntur.

Poſtquàm autem remoto Remigio Epiſcopatus Lingonenſis Epiſcopis legitimis ceſſit, hoc mónaſterium ab Epiſcopo receptum eſt. Sed non fuit illi cura digna Paſtore, vt oues diſperſas ad proprium ouile reuocaret; magis gaudens quòd res Monachis delegatę in ſuos ſuorúmque vſus cederẽt: ſícque Monaſticus ordo ex hoc loco penitus eſt deletus;

Digitized by Google

nullíque ſuccedentium Epiſcoporum curæ fuit, vt priſtinam religionem in hoc loco repararet. Sed alij Abbates Canonici ordinis conſtituerunt. Alij ſibi ſeruiendum decreuerunt, donec ad piiſſimi auguſtæ recordationis *Ludouici* Imperium ventum eſt.

*Ch S.B.p. 394. fine.

Anno IV. Pipinus Rex intrauit Longobardiam, &c.*

In diebus *Ludouici* Imperatoris Epiſcopus Lingonenſis, *Betto* nomine, fecit quaſdam diuiſiones de terra S. Petri, ſicut hîc demonſtrabimus.

Res Ablatæ Monachis Beſuēſibus reſtituuntur.

NOTVM fiat poſteris, & memoriæ commendetur, quòd ante illuſtrem virum, *Hildegarnum* Comitem, ſeu Iudices, quos Scabineos vocant, & quàm plures perſonas, qui cum eo aderant, in Montaniaco villa, in mallo publico, ad multorum cauſas audiendas, & rectas iuſtitias terminandas, ibi veniens *Betto* Epiſcopus, & Aduocatus ſuus *Burgoardus*, nouem legitimos teſtes ibi præſentauit, quorum nomina hæc ſunt, *Simeon*, *Agano*, *Bertramus*, *Gono*, *Marchirius*, *Adalardus*, *Geruio*, *Gerento*, *Sirannus*. Iſti teſtificauerunt & iurauerunt de finibus Beſuenſis monaſterij, quòd à fine Pontenſe, & à fine Vendobrinſe ſeu Vilenſe, & Vetus-vendobrinſe, & Vaurinſe, & Tillenſe, & vetus Vinienſe & Buſtellenſe, & Buſtenſe, & Lucenſe, Burbureninſe, & Berechelpo-villare, per iſtas marcatas, inter ipſos fines immunitas ſancti Petri eſt ad integrum, & in loco qui dicitur Boſcus Monachorũ ſimiliter; & in alio loco qui dicitur Longo Boſco immunitas S. Petri ad integrum. Et in alio longo Boſco communitas. Et in ipſo fine Buſtellenſe immunitas ad integrum, & ab ipſo fine Buſtellenſe vſque ad viam Petroſam. Et deinde vſque ad ſtratam fractam: & deinde vſque ad finem Burburenenſem, atque Vilarum, immunitas S. Petri eſt ad integrum. Per iſtas marcatas euntes ipſi nouem teſtes, quos ſupra nominauimus, miſſo ſecum *Balaſterio* illuſtri viro ab *Hildegarno* Comite, & à ſuis ſcabineis, dixerunt & per iudicium teſtificauerunt, quòd à tempore Pipini Regis & deinceps per tempus Domini Caroli Magni Imperatoris vidiſſent inde legitimas veſtituras ad partem ſancti Petri haberi, ita vt nec *Aldo*, nec hæredes, vllam legitimam veſtituram exinde vnquam habuiſſent, ſed per legem & per iuſtitiam veſtitura ſancti Petri Fontis-Beſuen-

Digitized by Google

ſis erat. Tunc ipſi ſcabinei vnanimiter iudicauerunt, quòd omni tempore ipſæ res per illas marcatas ad partem ſancti Petri eſſent vendicatæ, atque legibus conquiſitæ. His præſentibus teſtibus: *Balaſterio, Madalberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Aiſono, Vormerio, Milone, Albrico* Notario, *Ferlagio, Leuduino, Arberto, Seruio. Vualterius* præſens fuit & ſubſcripſit. Datâ notitiâ die Mercurij proximâ in menſe Maio, anno II. regnante Domno noſtro *Hlucdouico* Rege atque Imperatore. 815.

Noticia, qualiter ante *Bettonem* Epiſcopum & *Balaſtarium* Vicecomitem, ad vicem *Hildegarni* Comitis, ſeu ſcabineorum qui ibidem aderant, veniens *Bernardus* Aduocatus monaſterij ſancti Petri Fontis-Beſuæ, & Betto Epiſcopus, in fines Bodingis villæ, & Alteriaci-villæ, ibi dedit tredecim teſtes appellatos his nominibus; *Vrſnaldum, Aglardum, Guirindum, Marcherium, Aggonem, Symeonem, Garinum, Adalardum, Syrannum, Vuinierium, Vlgerium, Amalerium, Flauminum*, iſti teſtificauerunt quòd inter illas veteres vias, quarum vna pergit de Alteriaco-villa ad Colonias villam, & altera pergit de Furto-villa ad Villarum, inter iſtas duas vias vſque ad locum qui dicitur Vaccaria, & illum fontem, qui dicitur Springus, terra ſancti Petri eſt, tam in campis, quàm in ſyluis, & ſemper exinde veſtita fuerit ipſa caſa Dei, monaſterium ſcilicet ſancti Petri Beſuenſis, per legem & per rectum. Actum his præſentibus, *Madalberto, Adalelmo, Balatterio Vicecomite, Vrſnado, Gunduino, Flaumiro*, Syranno, *Aglardo, Marcherio, Aggone, Giruio, Adalardo, Vuinerio, Vlgerio, Bettone* Vicario & miſſo ab Hildegarno Comite, *Zizone, Vnibaldo, Hugberto, Aribaſto, Vebalto, Laipno.* Ego *Aldoerius* Lector hanc Notitiam ſcripſi, Anno quarto Imperij Domni noſtri *Hlucdouici* Regis atque Imperatoris. 817.

Cùm verò inimicus totius boni diabolus comperiſſet hoc Beſuenſe monaſterium religione florere, indoluit terrigenas illuc humilitate & obedientiâ conſcendere, vnde ipſe ſuperbiâ & inobedientiâ corruerat. Egit itaque vt monaſticus ordo ex hoc loco penitus deletus eſſet. Nec hoc parui temporis interuallo, ſed à tempore *Pipini* Regis, & tempore Caroli vſque ad tempus Domni *Hlucdouici* Imperatoris durauit.

Quandiu Monachi à Beſuenſi cœnobio exulauere.

Digitized by Google

Hic enim Bettone Episcopo defuncto Albericum virum dignum Episcopatu, Ecclesiæ Lingonensi constituit. Qui hunc locum tali ex causa noscitur restauraſſe. Erat prædictus Epis-
Quâ de causa reuocantur Monachi.
copus in Besua sanus & hilaris, cùm subitò grauissimo dolore intestinorum corripitur, nullúmque remedium tanti cruciatus consequi poterat, Medicis autem multum laborantibus, & nihil proficientibus, desperare cœpit, & de sola morte cogitare. Omnibus autem suis gementibus & flentibus, & mortem eius expectantibus, ipse in somnum deductus est, vidítque in somnis venire ad se veneranda canicie reuerendum virum, à quo cùm interrogaretur quomodò se haberet, respondit, vt erat, nimiis doloribus vrgeri ad mortẽ. Tum ille requisiuit quam mercedẽ retribueret illi, qui ei à Domino, non solùm vitam impetraret, sed & salutem, & diuturnitatẽ. Respondit: Quamuis nulla recompensatio digna esset talibus promissis, tamen quantum posset & ab illo imperaretur, rependeret. Tum ille senex: Monasterium hoc, inquit, sub meo & fratris mei Pauli nomine, Domino consecratum fuit, & bonis fratribus ac Deum timentibus Monachis habitatum. Nunc verò, vt ipse cernis, desolatum est: promitte ergo mihi vt hunc locum restaures, & monasticum ordinem in eo repares, & tibi à Domino salutem impetrabo. Promisit sub iureiurando, & à sumno excitatus est, statímque eum omnis dolor deseruit, ac si illis diebus nullum esset expertus cruciatum, surrexit sanus, luctúsque omnium in gaudium conuersus est. Retulit quid viderat, quid etiam ipse promiserat, & sub qua conditione salutem meruerit. Precatur omnes vt adiutores existerent ad implendam promissionem. Quanto autem studio, quantáque curâ memor iuramenti & promissionis hoc monasterium reparauerit, meliùs ipsa opera quàm verba testãtur. Monachos ex monasteriis sumptos adunauit,
Albericus Episc. Lingo. Besuense monast. instaurat.
Abbatem præfecit, & non solùm res ad ipsum monasterium pertinentes restituit, sed & alias res de Episcopatu Ecclesiæ suæ, cum consilio synodi prouincialis, & consensu Ecclesiæ suæ subiecit. Hic itaque *Albericus* Episcopus timens quod experimento didicerat de eodem Besuensi monasterio, ne de rebus quas ei donauerat per successorum prauam peruasionem iterùm spoliaretur, studuit non tantùm suâ, sed etiam

Digitized by Google

regali authoritate confirmare quæcunque ad præſens ſuâ vel in poſterum aliorum fidelium munificentiâ poſſideret. Adiit itaque *Ludouicum* Imperatorem & ſuper hac re Regale Præceptum quæſiuit. Annuit Imperator, & ſicut ſcriptum eſt infra, ſuâ authoritate confirmauit.

Præceptum HLVCDOVVICI *Imperatoris.*

IN nomine Domini Dei & Salutoris noſtri IESV CHRISTI, *Hlucdouuicus & Hlotarius* diuinâ ordinante prouidentiâ Imperatores Auguſti. Si petitionibus ſeruorum Dei iuſtis & rationabilibus diuini cultus amore fauemus, ſupernâ nos gratiâ muniri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet ac futurorum ſolertia, quia ſuggeſſit manſuetudini noſtræ vir venerabilis *Albericus* Lingonenſis Eccleſiæ Præſul, qualiter quandam Abbatiam, cuius vocabulum eſt Fons-Beſuus, ex rebus videlicet Epiſcopatus ſui, vbi quondam Monachi regulariter viuentes fuerant, ſed moderno tempore penitus erat deſtructa, à fundamentis reædificauit, ædificia congrua conſtruxit, Monachos adunauit, Abbatem etiam nomine Seraphim præfecit. Et vt Monachi in eodem loco Domino adiuuante congregati meliùs & liberiùs ſub norma ſanctæ Regulæ Deo militarent, non ſolùm res quæ ad prædictam Abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, ſed etiam alias res de præfato Epiſcopatu ibidem ſubiecit; ſed & conſtitutionis Cartulam, quam ipſe vnà per conſenſum Metropolitani ſui *Agobardi* Archiepiſcopi, & ſuffraganeorum ſuorum, nec non & cleri ſibi ſubiecti, & quorumdam laicorum nobilium confirmauerat, nobis oſtendit, in qua pleniùs conſcriptum erat, non ſolùm res ad iam dictam Abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidiſſe, verùm etiam ei quaſdam res de memorato Epiſcopatu ſuo ibidem ſubieciſſe. Quarum hæc ſunt nomina. Pauliacum cum appenditiis ſuis, Bellenauum vicum cum ſuis appenditiis, Arconem cum appenditiis ſuis. Iſtas villas cum omnibus adiacentiis, ſeu & omni re ſuperpoſita, campis, pratis, ſyluis, pomiferis, paſcuis, acceſſibus, aquis, aquarumque decurſibus, & omnes redditus, totum ad integrum, vnà cum man-

cipiis, libertis, cum omni peculio ipſorum, vnà cum accolabus dedit ad ſeruitium Monachorum iure perpetuo ad poſſidendum. Eccleſiam etiam, quæ eſt in ipſa Belenauo villa, in honore ſancti Stephani prorſus ab omni conſuetudinali exactione, liberrimam. Eccleſiam quoque de villa quæ dicitur Danbrum cum appenditiis ſuis, & villam Danblim cum Eccleſia & omnibus appenditiis ſuis. Et villam Treſcaſas cum Eccleſia, & omnibus appenditiis ſuis. Item Eccleſiam de villa quæ dicitur S. Sequani cum appenditiis ſuis: & Eccleſiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus. Nec non Eccleſiam, quæ eſt in valle Verona in honore ſancti Mauricij. Eccleſiam de villa Beria in honore ſancti Laurentij cum omnibus appenditiis ſuis. Prætereà in territorio Diuionenſi decimas illarum vinearum, quas donauerat huic Eccleſiæ Domnus *Amalgarius* Dux & fundator huius ſacri cœnobij. Apud villam quæ dicitur Fiſcinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis, & campis, & ſeruis & ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fiſciaco vineas ſimiliter: & in Marcennaco ſimiliter. Horum omnium factâ donatione, precibus quibus valuit exorans noſtram Clementiam, vt ſuper eandem conſtitutionem noſtram authoritatem firmitatis gratiâ mererentur habere, qualiter prædictus locus, quem pro diuino amore, & noſtra eleemoſyna reſtaurauit, & Monachos ibi congregauit, qui pro nobis & cuncto populo nobis ſubiecto perpetim Domini miſericordiam exorent, noſtrâ authoritate confirmatus eſſet. Videlicet vt ſi cuilibet ſucceſſorum eius animo ſederit, vt alias res ibi ſuperaddere velit, in ſuo iure & poteſtate, ſaluâ diſcretionis ratione, id faciendi permaneret. Sin autem ſua deuotio quæ per conſilium tantorum bonorum virorum facta & confirmata eſt, noſtro liberalitatis Præcepto firma & ſtabilis permaneret. Cuius petitionem dignam ac rationabilem iudicantes, hos noſtros Imperiales Apices fieri iuſſimus: per quos decernimus atque iubemus, vt memoratus ordinationis modus, quem prædictus venerabilis Albericus Epiſcopus in præfato loco conſtituit, inuiolabilis permaneat, & nullus Rector qui in eodem loco ſucceſſerit, licentiam habeat præſcriptum ordinem permutare, aut res quas ibi reddidit, ſiue ſubiecit, vllo

Digitized by Google

modo auferre. Sed eius conſtitutio per hanc noſtram Confirmationem firma & ſtabilis permaneat. Et vt hæc authoritas confirmationis noſtræ per futura tempora inuiolabilem atque inconuulſam obtineat firmitatem, de annulo noſtro ſubter illam iuſſimus adſignari.

Signum HLVCDOVICI *Imperatoris.*

Signum HLOTHARII *filij eius.*

Actum anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo xxx. Indictione VIII. Epacta XV. 830.

Suſceptâ deinde regali authoritate *Albericus* Epiſcopus, confirmatiſque, vt prædiximus, rebus, rediens domum, vt præſentibus notum atque futuris fieret, propriam inde conſcriptionem fecit, in qua omnia quæ huic cœnobio donauerat, quæque in poſterum futurorum fidelium largitate donanda ſperabat, inſerens, ſic ait.

Carta Domni ALBERICI *Epiſcopi.*

IN nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, notũ ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, quòd ego *Albericus* dono Dei Epiſcopus Lingonenſium reperi locum iam dirutum, quod dicitur Fons-Beſuus, in honore cõſtructum ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non & aliorum, vbi iam olim Monachi regulariter Deo famulati fuerant, ſub Amalgario Duce, permittente *Clotario* Rege. Ideóque ob amorem Dei & veniam delictorum meorum, Deo inſpirante, cogitaui reædificare ſupradictum locum, permittente glorioſiſſimo Auguſto *Lucdouico*, & conſentiente piiſſimo filio eius *Lothario* Imperatore, congregaui ibi Monachos ſub Abbate nomine *Seraphim*, qui regulariter degerent, & Deo in perpetuum fideliter deſeruirent. Conceſſi enim eis quicquid ſupradictus locus per cartarum donationem aſſecutus eſt, & quicquid noſtri prædeceſſores de hoc loco abſtraxerant, propter eleemoſynam ſupradicti Principis, eiúſque filiorũ libenter reſtauraui. Ideóq; per conſilium Archiepiſco-

pi noſtri Agobardi, & conſentientibus Coëpiſcopis noſtris, necnon & piiſſimis noſtris Principibus, ſeu omni Clero, nec non & omnibus fidelibus Eccleſiæ noſtræ, addidimus de Epiſcopatu noſtro villas his nominibus: Pauliacum cum appenditiis ſuis, Bellenauum vicum cum ſuis appenditiis; Arcionem cum appenditiis ſuis. Iſtas villas cum omnibus adiacentiis, ſeu & omni re ſuperpoſita, campis, pratis, ſyluis pomiferis, paſcuis, acceſſibus, aquis, aquarúmque decurſibus, & omnes redditus, totum ad integrum, vnà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipſorum, vnà cum acolabus, dedi ad ſeruitium Monachorum iure perpetuo ad poſſidendum. Eccleſiam etiam quæ eſt in ipſa Bellenauo villa in honore ſancti Stephani, prorſus ab omni conſuetudinali exactione liberrimam. Eccleſiam quoque de villa quæ dicitur Dambrun, cum appenditiis ſuis, & villam Treſcaſas cum Eccleſia & omnibus appenditiis ſuis. Item Eccleſiam de villa quæ dicitur ſancti Sequani cum appenditiis ſuis; & Eccleſiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus: nec non etiam Eccleſiam quæ eſt in valle Verona in honore S. Mauricij, & Eccleſiam de villa Beria in honore S. Laurentij, cũ omnibus appenditiis ſuis. Prætereà in territorio Diuionenſi decimas illarum vinearum, quas donauerat huic Eccleſiæ Dominus *Amalgarius* Dux & fundator huius ſacri cœnobij. Apud villam quæ dicitur Fiſcinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis & campis, & ſeruis, & ancillis, ad ea excolenda. Et in villa Fiſciaco vineas ſimiliter. Et in Marcennaco ſimiliter in ſubſtantiam Monachorum, & alimoniam pauperum, & vt ibidem delectetur ſeruis Dei Domino ſeruire, & pro Rege eiúſque coniuge, & liberis ipſius, & totius Imperij eius ſtabilitate, iugiter Domini miſericordiam implorare. Eâ videlicet ratione hoc conſtituimus, vt ſemper ſubiectus ſit iam dictus locus Eccleſiæ ſancti Mammetis, & vt nec ego ipſe, nec vllus de ſucceſſoribus meis hanc Conſcriptionem violare præſumat, Domni Imperatoris confirmationem in ea fieri poſtulaui. Actum Lingonis ciuitate publica. In Chriſti nomine *Agobardus* Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi. *Angericus* Epiſcopus ſubſcripſi. Albericus Epiſcopus à me facta ſubſcripſi. In Chriſti nomine * *Faoua* Cabilonenſis

al. * Foua

nenſis ſubſcripſi. *Modoinus* Auguſtudunenſis ſub. *Vuinitarius* indignus Abbas Calticenſis ſub. *Audinus* indignus Corepiſcopus ſubſcripſi. *Motuinus* indignus Preſbyter ſubſcripſi. *Hiltibaldus* Matiſcenſis Epiſcopus ſubſcripſi. *Ragenardus* Preſbyter ſubſcr. Ego in Dei nomine Iacob licet indignus Corepiſcopus ſubſcripſi. *Sigoaldus*, Preſbyter ſub. Vuoanilo Preſbyter ſub. *Adalbertus* Preſbyter ſub. *Simeon* Preſbyter ſubſcripſi. *Vnricus* Diaconus ſubſcripſi. *Baius* Diaconus ſub. *Beatus* Diaconus ſub. *Fridericus* ſub. *Teuthmarus* ſubſcripſi. *Rogenaldus* ſub. Signum *Humberti.* Signum *Hiltanni.* Signum *Bertardi.* Signum *Fulcrini.* Signum *Eruic.* Signum *Radaldi. Betto* ſubſcripſi. *Bernorogitus* ſubſcripſi. *Ragnoardus* ſubſcripſi. *Bauo* ſubſ. *Ragenardus* ſubſ. *Hilpericus* ſubſ. *Hildigiſus* Preſbyter ſubſ. In Chriſti nomine *Bernardus* Archiepiſcopus ſubſ. *Godelſadus* Abbas ſubſ. *Birico* ac ſi indignus Leuita ſub. Actum anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo xxx. Indictione viii. Epacta xv. xii. Calend. Decemb. Anno Chriſto propitio * xiv. Imperij Domni *Ludouici* Imperatoris, & *Lotharij* Auguſti filij eius vi.

* *ſeu* 17.

Tempore verò Domini Alberici Epiſcopi, factæ ſunt plurimæ commutationes, vel coemptiones terrarum, tam ab ipſo Pontifice, quàm à rectoribus loci iſtius. Inter quas facta eſt commutatio à *Seraphim* Abbate noſtro, & *Herleberto* Abbate Diuionenſi. Dedit Herlebertus in villis Luco, & Verona, quicquid erat iuris ſancti Benigni: & Seraphim è contra tradidit terras ſancti Petri, quæ erant in Diuione & in fine Domni-Petri & Longo vico, & in Canauis, & in Arzilerias, & Tremoldo, & Fontanis, & Prouiſo, & Diſto. Nec ſuffecit huic loci iſtius amatori Alberico Epiſcopo, ſuo tempore munificentiſſimè locum iſtum ampliare, ſed audiens qualiter *Betto* Epiſcopus, prædeceſſor ſuus fines Beſuenſis territorij legaliter nouem legalibus teſtibus terminauerat, ſuâ authoritate idipſum confirmauit. Ipſo tempore quidam *Hligarius* nomine dedit ad hunc locum in Aquato-villa terram hæreditatis ſuæ, pro peccatis ſuis minuendis. Hoc eſt manſum indominicatum, vnà cum domo, & horreo. Habet verò ipſa terra perticas arpennales in longo quadraginta tres, & pedales 10. & in lato de vno capite ſuperiore perticas nouem, &

Digitized by Google

pedes 4. Totum ad integrum, tam terris, curtiferis, quàm ædificiis desuper positis, campis, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, totum ad integrum dedit.

Similiter quidam *Vuidaldus* nomine, vendidit Domno *Alberico* Episcopo terram in villa Casoto, mansum vnum, & de terra iornales septem. Domnus vero Albericus dedit eam sancto Petro. Item alius quidam *Aylardus* nomine, res iuris sui sitas in pago Atoarienſe, in loco, qui dicitur Bustellus, & in ipsa fine Bustellense seu & ibidem aspiciente, quicquid ibidem genitrix sua visa fuit habere, tam in mansis, quàm campis, pratis, syluis, pomiferis, pascuis, accessibúsque omnibus vendidit Domno Alberico Episcopo, per manus Abbatis Seraphim, Radulpho, & Amalarico testibus XII. in Cal. Feb. anno XVI. imperij Lucdouici.

Carta Teutonis Abbatis.

SImiliter etiam facta est commutatio inter Abbatem Besuensem nomine Seraphim; & Abbatem Theutonem Monasterij sancti Leodegarij, quod Capellense nominatur, cuius series ita se habet.

Auxiliante Domino nostro IESV CHRISTO placuit, atque conuenit coram Domno Alberico Lingonensi Episcopo, inter Abbatem Seraphim, & Theutonem Abbatem de Monasterio sancti Leodegarij, vt aliquid de terris sancti Petri Besuensis, & sancti Leodegarij, pro communi opportunitate mutare deberent, quod ita fecerunt. Dedit Theuto Abbas de parte sua ad partem Seraphim, coram Alberico Episc. in cœnobio S. Petri Besuensis, curtile vnum situm in villa Besua. Habet idem curtile in longo perticas arpennales 48. & in transuerso perticas arpennales 3. & pedales 7. De vtroque latere terra sancti Petri est. Dedit autem Albericus Episcopus, & Seraphim Abbas de terra sancti Petri Besuensis, ad partem Theutonis Abbatis sancti Leodegarij, curtile vnum situm in villa Baciaco. Terminatur autem ab vno latere terra Elauiniacensis Monasterij, & habet perticas arpennales 16. in transuerso perticas arpennales quinque. Similiter in alio loco in ipsa fine Basciacense peciolam vnam de terra, quæ

Digitized by

habet in longum perticas arpennales 8. & in tranſuerſo perticas arpennales 4. Si quis verò, quod nec fieri credimus, de hæredibus noſtris, aut qualibet perſona contra hanc commutationem venire conatus fuerit, inferat ei, cui litem intulerit, duas vncias de auro. Actum Fonte-Beſua Monaſterio publico 3. Calend. April. anno 13. Imperij Domni Hlucdouici Imperatoris.

Carta de Buſtello.

ANno quinto decimo Imperij Hlucdouici, Domnus *Albericus* Lingonenſis Epiſcopus emit terram de quadam fœmina, nomine *Adda*, & *Laburdo*, & *Albuino*, & *Laibulfo*, quæ ſita eſt in loco, qui dicitur Buſtellus, qui eſt in fine Vetus vineis, omnia quæ habere videbantur in ipſo Buſtello, & in Blaniaco, tam terris, curtiferis, quàm ædificiis deſuper poſitis, campiſque, pratis, ſyluis, exaratis, pomiferis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, acceſſibúſque omnibus. Omnia ex integro vendiderunt, & acceperunt pretium ſolidos quinquaginta.

Item Alia.

ANno 18. Imperij *Hlucdouici* iterum emit Domnus Albericus Lingonenſis Epiſcopus ſeruos, *Arlebardum*, atque *Hayconem*, cum ancilla, nomine *Humeldi*, & filiabus ſuis, *Adalberga*, & *Eldeardi*, de quodam, *Nerduino* nomine, qui accepit in pretium ſolidos 15.

Ludouico Pio terreni inſignia regni anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo quadrageſimo perpetuâ fœlicitate commutanti, &c.*

* *Chronic. S. B. p. 409. & ſeq. 412. 414. 416. & ſeq.*

De obitu Alberici Epiſcopi.

NOn eſt noſtræ poſſibilitatis verbis oſtendere, quantæ deuotionis erga hunc locum Domnus *Albericus* Epiſcopus extiterit, quantúmque eum dilexerit. Veruntamen ſi verba noſtra ad hoc non ſufficiunt, opera ipſius & beneficia

Digitized by Google

clamant & oſtendunt. In hoc enim apparet illum Monaſterium iſtud ſuper omnia dilexiſſe, quòd quæcumque potuit, & vndecumque huic loco attrahere, non omiſit. Adnotauimus quædam de donariis ipſius, prout tenuitas memoriæ noſtræ recordari potuit. Quorum quædam adhuc retinemus, & poſſidemus, quædam partim debilitate noſtra, partim infidelitate peruaſorum perdidimus. Eſt apud nos pallium ſatis pulchrum viſu, columbis in eo ſeriatim & pulcherrimè contextis, vnde ipſe multis diebus infulam habuit. Sunt apud nos de libris, quos ipſe ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo obtulit. Textus Euangeliorum vnus. Auguſtinus ad litteram. Liber Regum cum Actibus Apoſtolorum in eodem volumine. Beda ſuper Lucam. Quippe non immeritò ſperabat ſalutem, & vitam animæ per eos à Domino IESV CHRISTO conſequi, per quos ſanitatem corporis & valetudinem receperat. Huius itaque ſpei atque fidei conſtantia fiſus, poſtquàm plurima huic loco ante ſe præmiſit, ad extrema vitæ propinquans, in hoc Monaſterio ſe ſepeliri voluit: quod & factum eſt. Iacet námque benedictum corpus ipſius ad dexteram partem Altaris ſanctæ *Mariæ*: anima verò ipſius cum electis, & ſanctis requieſcat in pace, AMEN.

Carta de Auxiliaco.

Valcaudus Abbas Beſuenſis.

PEr idem tempus defuncto *Seraphim* Abb. qui vices Paſtoris in hoc loco tenuerat, ſucceſſit ad regimen animarum Vualcaudus Abbas, eundem in Eccleſiaſticis gerens officium. Obeunte itidem *Alberico* Epiſcopo Lingonum, *Teutbaldus* Epiſcopus adeptus eſt cathedram. Hic ſicut prædeceſſor ſuus, ſtudioſus huius loci cultor, fecit commutationes terrarum in aliquibus locis cum quibuſdam hominibus. Quidam námque, *Eurulfus* nomine, pro remedio animæ ſuæ per conſilium Teutbaldi Epiſcopi, dedit ſancto Petro Beſuenſis cœnobij vnum campum, ſitum in villa quæ dicitur Auxiliacus, cui terminatur de vno latere terra ſancti Leodegarij, de alio verò ipſi hæredes tenent, de vna fronte, fluuio percurrente, de alia verò fronte, ſtrata publica. Infra verò iſtas terminationes totum contulit ad integrum ſancto Petro. In

Digitized by Google

alio etiam loco campum vnum, in eadem villa, quæ habet terminationes; ex vno latere ſyluam communem, de altero verò latere viam publicam. Ex vna fronte terram *Godefredi*, de alia itidem fronte ipſi hæredes tenent. Similiter in alio loco pratum vnum, qui habet terminationes, ex vna fronte, fluuium procurrentem; ex alia verò fronte, & ex vno latere ipſi hæredes tenent. Signum *Adalmari*. Signum *Odolgarij*.

Carta de Maiaſco.

DOmnus itaque Teutbaldus Epiſcopus, & *Vualcaudus* Abbas fecerunt commutationem cum quodam Vulfrico nomine, de terris eorum. Dedit ergo *Vulfericus* de parte ſua ad partem ſancti Petri, campum vnum ſitum in pago Atoarienſe, in villa quæ dicitur Maiaſcus, ſeu in ipſa fine; qui habet terminationes ex vno latere terram ſancti Petri, ex alio verò terram ipſius Donatoris, & ex vna fronte terram ſancti Mammetis, ex alia verò fronte ſtratam publicam, & habet perticationes in longo, perticas 25. pedum 10. & in lato perticas 11. & ex ambabus frontibus perticas 11. pedum 4. E contra dedit Valcaudus Abbas de parte ſancti Petri ad partem Vulfrici, campum vnum ſitum in pago Atoarienſe, in villa quæ dicitur Maiaſcus.

Vbicumque ergo potuit, *Teutbaldus* Epiſcopus hunc locum noſtrum inmeliorari curauit. Poſt cuius obitum Domnus *Iſaac* ſuſcepit præſulatum. Hic prædeceſſorum bonum ſequens exemplum, multa bona huic Monaſterio contulit.

CAROLVS igitur, qui cognominatus eſt *Caluus*, Imperium adeptus, Eccleſiarum Dei cultor deuotus, omni niſu, quo potuit, ſtudebat in cultu Religionis deprauata corrigere, deſtructa reædificare, collapſa erigere. Anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXI. regens Francorum regnum erga cultum Eccleſiæ fuit ſtudioſiſſimus; quapropter multa euicit pericula, & regni eius ſemper augmentabatur gloria. Defuncto ſiquidem *Pipino* fratre ſuo Rege Aquitaniæ, filióque eius in regno ſubrogato, moderationem regni non ſtrenuè agens, à ſuis derelictus, ac deiectus eſt, & Monachus in 871.

Digitized by Google

Monaſterio ſancti Medardi factus: Carolus verò à cunctis Principibus expetitus, Aquitaniæ Regnum eſt adeptus. Poſt non multos etiam annos mortuo *Lothario* Imperatore fratre eius, Carolus ſuſcepit Imperium. Sed *Lucdouicus* alter frater cupiens inuadere Monarchiam Regni, iterum contra Carolum bellum concitat. Nortmannos, cæteráſque gentes in regnum Caroli euocat. Auxiliante autem Domino Carolus fratrem de finibus ſuis expulit, & Nortmannos intra Neuſtriam compreſſit. Hæc fuit ſecunda eruptio Nortmannorum in Francia. Aliquantis tranſactis annis Lucdouicus defunctus eſt, relinquens tres filios, *Lucdouicum* ſcilicet, *Carlomannum*, & *Carolum*.

Carta de Luco.

VVarinus Abbas.

DEfuncto igitur *Vualcaudo* Abbate Vuarinus ſucceſſit. Huius itaque diebus, quidam homo, *Baldricus* nomine pro remedio animæ ſuæ, & genitoris ſui, nomine *Romani*, reliquorúmque anteceſſorum ſuorum dedit ſancto Petro vnum manſum, qui eſt in Luco ſuperiori, vel in ipſa villa Lucenſi, cum omnibus appenditiis ſuis, & habet terminationes ex vno latere, & de vna fronte terram ſancti Marcellini, & ex alio latere, & de vna fronte, fiſcum ſimiliter. De rebus autem ſuis, quæ ſunt ſitæ in ipſo pago, & in fine Lucenſi, ſeu in ipſa villa Luco, manſum cum ſuprà poſitis, campis, pratis, curtiferis, ſyluis, paſcuis, pomiferis, & vno molendino in Buſceria, aquis, aquarúmque decurſibus, exitibus & regreſſibus, acceſſibúſque omnibus, quicquid de parte genitorum ſuorum, vel quicquid per inſtrumenta cartarum conquiſiuit, totum iure perpetuo, eidẽ cœnobio tradidit. Poſt aliquantos autem annos veniens quidam *Vtlaius* nomine, ante *Euam* dominam ſuam in campo limito, proclamabat, quòd partem habere deberet in molendino, quem *Ioſmundus* Clericus, & frater ſuus *Baldricus* dederunt ſancto Petro in Luco, abſque vllius contradicto. Iuſſit itaque Eua fidelibus ſuis, vt irent cum prædicto Vtlaio, ad Monaſterium Beſuæ pro tali cauſa inquirenda. Venit ergo *Aldricus* à partibus Vtlaij cum cæteris quàm plurimis, mouens rationem de prædicto molendino

Digitized by Google

contra Abbatem, vel Monachos. Itaque Monachi teſtes habuerunt quàm plurimos, è contra Vtlaius nullum inde habuit teſtem, quia omnes ſciebant eum eſſe mendacem. Sícque ſpe ſua fraudatus, quicquid calumniabatur, totum Monachis dimiſit, ac vuirpiuit. Poſteà verò *Teutbertus* Abbas qui ſuprà memorato Vuarino ſucceſſerat, ipſum molendinum Vtlaio ea ratione recondonauit, vt ſi in deterius deueniſſet, 30. ſolidos perſolueret. Habet autem idem molendinum terminationes de ambabus partibus tilam, & ex vnâ fronte Iſaccus & vxor eius tenent, & de alia fronte eſt exitus, & regreſſus, & ſemita, quæ ad ipſum farinarium pergit.

Teutbertus Abbas.

Carta de Vetus-vineis.

QVidam etiam Miles Diuionis caſtri, *Epplenus* nomine, pro remedio ſui, atque parentum ſuorum, dedit huic Beſuenſi Eccleſiæ, in villa, quam Veteres-vineas vocant, vel in finibus eiuſdem villæ tantum ſpatium de terra arabili, vbi poſſunt ſeminari annonæ modij centum.

Carta de Auxiliaco.

ALiùs quidam homo, nomine Rogerius, donauit eidem Eccleſiæ campum vnum, qui eſt ſitus in pago Atoariorum, in villa Auxiliaco, & habet terminationes de vno latere, terram ſancti Petri, de alio terram fiſcalem, de vna fronte ſtratam publicam, de alia Vincennam fluuium percurrentem.

Carta de Luco.

CVm reſideret Venerabilis Epiſcopus *Iſaac* in Cathedra Epiſcopali, in villa Baſiaco, omníſque clerus ipſius promptus vndique ad eum congregaretur: caterua quoque admodum nobilium Abbatum cum Archidiaconibus, & Preſbyteris, cœtúque vniuerſo in Synodo generali, quiddam de cauſis Eccleſiaſticis ordinatura: inter cætera ſancta colloquia, quæ pariter habuerunt, altercatio quædam exorta eſt

Digitized by Google

inter *Anſuinum* ſancti Martini Luenſis Preſbyterum, & *Adalardum* eiuſdem villulæ ſancti Marcellini Preſbyterum, de decimis ipſarum Eccleſiarum, loquente Anſuino, quòd omnis decima cum integritate ab antiquo ſuæ foret Eccleſiæ, quæ è contrario profitente, & toto anniſu Adalardo reluctante, ſuæ Eccleſiæ prorſus magis eſſe debere. Continuò itaque in ipſa ſynodo exurgentes teſtes valde præclari & idonei, ſuperiùs memorati Anſuini Preſbyteri, qui veris indiciis Adalardum refutantes, approbauerunt & definierunt, ſecundum quod antiquitus fuit, ſtare debere, ſcilicet *Magenardus* Abbas & Archidiaconus, *Otbertus*, qui eodem Archidiaconatus fungebatur officio, *Arnoldus* eodem florens honore, *Iſaac*, *Fredradus*, *Adalmannus*, *Euorinus*, & omnis ferè ſynodus, horum veridicorum teſtium teſtimoniis ſatis confirmatus, & roboratus eſt Preſbyter *Anſuinus*: & taliter vterque eorum querelæ huius finem accepit. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCC. LXX. indictione III. Regnante *Carolo* Rege, Eccleſiam autem Lingonenſem regente venerabili *Iſaac* Pontifice.

Obitus Domni Iſaac Epiſcopi.

Mortuo Iſaac Epiſc. ſubrogatur Geilo.

ISAAC deinde huius vitæ diem obeunte, eius loco *Geilo* ſubſtituitur Epiſcopus, huic Beſuenſi Monaſterio amiciſſimus, & nobis ferè omnibus melioribus optimus. Cùm enim alij nobis prouiderint terrena ſubſidia, iſte apud Deum nobis procurauit animarum patrocinia. Rediens enim ex Aquitania, Beatiſſimi Prudentij Martyris corpus huic loco intulit, & cum aliis multis ſanctorum pignoribus ad exorandum Deum pro ſe, & pro nobis, vt decuit, collocauit. Ad quorum honorem, & reuerentiam quædam de Epiſcopio ſuo ad luminaria obtulit exhibenda, & eorum quæ obtulit factâ legaliter & publicè donatione, ſcriptum edidit hoc modo.

Corpus S. Prudentij Beſuæ donatum.

De

De Collatis huic loco à Geilone Epiſcopo.

OMnibus dignitatibus, ſublimibus, ac mediocribus vtriuſque ſexus, & ordinis notum eſſe volumus, qualiter Ego *Geilo* Lingonenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus, Dei Omnipotentis inſpiratione commotus, beatiſſimum Prudentium Martyrem Chriſti, Beſuenſi Monaſterio in honore ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli conſtructo, digno honore collocauerim. Qui Beatus Martyr ante introitum atrij, & in ingreſſu tẽpli, ac deinceps miraculis, vt omnibus Chriſti circumquaq; fidelibus patefactum eſt, claruit. NUTU ergo diuinę Maieſtatis pulſatus, contuli illi aliquid ad luminaria præbenda ex redditibus ſancti Mammetis in Luco ſuperiori, Capellam videlicet ſancti Marcellini, cum appenditiis ſuis & mancipiis vtriuſque ſexus, quæ ab Epiſcopo Virdunenſi ante paucos dies digna commutatione euindicaui. Pontiliacum etiam cum adiacentiis ſuis, & Eccleſiam in honore ſancti Hyppoliti in eodem loco conſecratam, eidem ſanctiſſimo Martyri Prudentio contuli. Eccleſiam quoque de Chaſuit ad integrum cum omnibus appenditiis ſuis, eidem ſancto delegaui; ita vt ab hac die has donationes habeat, teneat, atque poſſideat in perpetuum, nullo contradicente. Hoc ſolùm à ſucceſſoribus meis in Deum, & propter Deum obnixis precibus exorando depoſco, vt ſi adiicere aliquid placuerit, faciant. Et ſi non, hæc parua à nobis tradita non demant, nec ſubtrahant. quod & ſi qui tentati à diabolo inuadere hęc dona conati fuerint, nec permittatur eis locus in Eccleſia cum cæteris Chriſtianis. Et niſi citò reſipiſcant, maledictionibus cum Dathan, & Abiron, & cum Iuda traditore Domini, pœnis gehennalibus ſubiiciantur. Inſuper & auri libras quinque in vltione Rectoribus Eccleſiæ Beſuenſis perſoluant. Ego *Geilo* humilis Epiſcopus hanc traditionem in Synodali Conuentu peregi, & confirmari rogaui. Anno ab Incarnatione Domini DCCC. LXXXIII. Indictione I. Epactâ IX. Regnante * Carolo Magno. Signum Domni Geilonis Epiſcopi, harum rerum donatoris. *S. Heliæ. S. Oberti. S. Galcaudi. S. Helgaudi. S. Arnaldi.* S. *Guntardi. S. Odonis*, Et

883.
f * Carlomanno.

reliquorum omnium, qui illi ſynodo affuerunt; die Dominico menſis Octob. VIII. Idus eiuſdem menſis.

Carta de Eccleſia S. Martini de Luco.

886. * Caroli Craſſi.

Synod. Cabilonenſis.

ANno Incarnationis Dominicæ DCCC. LXXXVI. Anno quoque Domni & Sereniſſimi* *Caroli* Imperatoris Auguſti in Gallia imperantis II. indictione V. XV. Kal. Iunij, ſacer Epiſcoporum Conuentus ob pacem & tranquillitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſtatuendam, & Eccleſiaſtica negotia decernenda, apud Eccleſiam ſancti Marcelli Martyris, in ſuburbio Cabilonenſi, in Chriſti nomine coadunatus eſt; vbi fuerunt Domni & ſanctiſſimi Archiepiſcopi, *Aurelianus*, *Bernuinus*, necnon & Reuerendiſſimi Epiſcopi, *Adalgarius*, *Geylo*, *Stephanus*, *Gyraldus*, *Adalbaldus*, *Iſaac*, *& Leboinus*. Geylo denique ſuprà memoratus Lingonenſis Eccleſiæ Reuerendiſſimus Antiſtes, vnà cum ſuprà ſcriptis Patribus in hoc ſacro-ſancto reſidens Conuentu, eorum auribus intimauit de ſuprà ſcripta notitia; qualiter Domnus Iſaac anteceſſor ſuus, res Eccleſiæ in Luco, in honore S. Martini, in ſua S. ſynodo à partibus ſancti Martini de Luco ſuperiori, capellę videlicet ſancti Marcellini, contra Adalardum eiuſdem Capellę Preſbyterum, iuſtè & legaliter euindicauit de rebus & decimis. Tunc omnes Epiſcopi præfati hæc audientes in communem relationem Geylonis, venerabilis Epiſcopi, & notitiam euendicationis Domni Iſaac, ſimul conſenſerunt, & conſentiendo roborauerunt, vt ſi quis temerariâ, ſacrilegáque præſumptione conuictus, atque cœca cupiditate cœcatus, hoc quod Dei, & Domni Iſaac, & noſtra confirmamus authoritate, in aliquo infringere præſumpſerit, æterna ſe ſciens damnatione mulctandum, & cum diabolo, & Angelis eius, ſempiterno incendio concremandum, atque cum Iuda traditore Domini, & cum Dathan, & Abiron perpetuali pœna cruciandum, & inſuper à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & cœtu omnium fidelium Chriſtianorum tandiu habeatur extorris, donec de inlicitâ præſumptione reſipiſcens, condignâ pœnitentiâ ſubleuetur.

Digitized by Google

Carta de Luco Mediano.

HIs diebus, homo quidam cuius nomen erat *Iſaac*, dedit Monaſterio Beſuenſi manſum vnum, qui eſt in pago Atoarienſi, in villa quæ dicitur Lucus Medianus, & habet terminationes de vna fronte Thilam fluuium procurrentem, de alia fronte ſtratam publicam. Donauit quoque ſupradictus Iſaac eidem loco in fine, quæ diciturmons Mainberti, in loco, qui dicitur Spinido, terræ iornales duos : in alio verò loco, qui dicitur Cabrario, iornales duos, & in alio, qui dicitur Fontinella, iornales tres. Ipsámque donationem Vualcaudo, tunc temporis ipſius loci Abbati, & ſucceſſoribus eius perpetuò contradidit.

Carta de Vetus-vineis.

ALius quidam homo nomine *Ingelgerius*, & vxor eius, *Amalildis*, vendiderunt fratribus Beſuenſis Cœnobij, in villa, quam Veteres-vineas appellant, vnum hortum, qui terminatur de vno latere, terrâ ipſius hæreditatis, de alio latere, terrâ ſancti Leodegarij, de vna fronte, terrâ ſancti Petri, de alia verò, ſtratâ publicâ. Habet etiam idem hortus *perticationes * agripennales de vna fronte à parte vineæ, ſancti Petri perticas duas, pedum ſex, de alia fronte perticam vnam. Habet & in longo perticas vndecim pedum nouem. Infra iſtas perticationes, ſeu terminationes, totum ad integrum vendidit prædictus Ingelgerius Monachis Beſuenſibus, acceptóque ab eis pretio ſolidis duobus, & denariis octo, conceſſit perpetualiter poſſidendum.

* terminationes *explicat infra.*
* *Quæ non in toto quadrata ſed in longo ſunt.*

Item Alia.

VIr quidam *Otgerius* nomine, pro remedio animæ patris ſui *Iſaac*, & fratris ſui *Vualdrici*, dedit ſancto Petro Beſuenſis cœnobij, ſeruum quemdam Amalerium nomine, eò quòd ipſe Vualdricus frater datoris, cuidam ſeruo ſancti Petri, qui Lanfredus dicebatur, oculos eruiſſet.

Digitized by Google

Carta de Nouo Vico.

ITem alius quidam *Bernardus*, & vxor eius *Imiltrudis* dederunt *Teutberto* Beſuenſi Abbati, & Monachis ſub eo viuentibus, partem de vinea quadam ſita in pago Atoariorum, in villa Nouo-vico, vt haberent poteſtatem faciendi de ea, quicquid potiùs elegiſſent.

Carta de Villare.

MIles quidam Portuenſis pagi, *Aigardus* nomine, & coniux eius *Rotlindis* vocata, conceſſerunt beatiſſimo Petro in Beſuenſi cœnobio famulantibus, cunctas res iuris ſui ſitas in pago Portuenſi, in villa nuncupata Villare, & totum quicquid in ipſa villa, vel in finibus eius poſſederant: campos ſcilicet, prata, paſcua, decimas, riuos, fontes, aquas, aquarúmque decurſus cum adiacentiis ſuis, & quodcumque dici, aut nominari poteſt, & quod per eorum nomen ibidem euendicare Monachi poſſent: acceptóque ob hoc ab ipſis Monachis pretio, quod conualuit ad IV. libras argenti, hanc tantam donationem teſtamento confirmauerunt, & poſſidendam eidem cœnobio perenniter decreuerunt.

Item alia Carta.

QVidam *Guttinus* nomine, dedit eidem Beſuenſi cœnobio manſum vnum in pago Atoarienſi, & quicquid ad ipſum manſum pertinebat, in campis, pratis, ſyluis, aquis, & mancipiis vtriuſque ſexus in eodem manentibus.

Carta de Ponto.

A*Vrailus* quidam & vxor eius *Ermengardis*, vendiderunt Monachis Beſuenſibus manſum vnum cum appenditiis ſuis, campis ſcilicet, pratis, ſyluis, paſcuis, arboribus pomiferis, aquis, aquarúmque decurſibus, quod ſitum eſt in pago Atoariorum, in villa quæ dicitur Pontus & habet

Digitized by Google

terminationes de vno latere terram ſancti Leodegarij, de alio terram fiſcalem; de vna fronte ſtratam publicam; de alia verò prata. Vendiderunt etiam & alias ſuas res ſitas in fine Vendourenſi, & in fine Pontenſi, & in fine Lulenſi; acceptíſque à Monachis pro hac largitione 60. ſolidis, poteſtati eorum eam perenniter poſſidendam tradiderunt.

Item alia.

QVidam miles nomine *Vualdrannus* pro requie animæ ſuæ, & parentum ſuorum, dedit præfato cœnobio ancillam vnam nomine *Lampacem*, vt ibidem deſeruiret, cum omni ſemine ſuo ex ea progenito: & annis ſingulis in feſtiuitate ſanctorum Petri & Pauli, denarios duos perſolueret, & vt cæteræ colonæ ſeruitium omne facerent.

Carta de Lujat.

LANDRADA quoque quædam fœmina manſum iuris ſui, in villa, quæ dicitur Lujat, ſitum, dedit eidem cœnobio Beſuenſi: quod manſum terminatur de vno latere terrâ Flammeriâ; de alio terrâ ſancti Leodegarij; de vna fronte ſtratâ publicâ; de alia verò Thilâ fluuio percurrente.

Item alia Carta.

QVidam etiam colonus ſancti Petri, qui *Vautſonius* vocabatur, & vxor eius *Manuheldis*, ſeruum iuris ſui, nomine *Gunduinum*, dederunt eidem ſæpe nominato loco; eâ tamen ratione, vt colonus permaneret, ſicut & ipſe Gautſomus.

Item alia.

MIles quidam *Hugo* nomine, pro requíe animæ ſuæ & anteceſſorum ſuorum, dedit ad ipſum locum Beſuenſem, ſeruum quemdam nomine Vulfingum, nec non vxorem illius, nomine Aymam, & infantes illorum, Ermenaſiam, Suffuciam, Suſannam, Adalſinam, Suppliciam, & Godolbergam.

Carta de Picangiis, & Mercennaco.

MVlier quædam nobilis, nomine *Vuandalmodis*, pro requie animæ mariti ſui *Humberti*, & reliquorum anteceſſorum ſuorum donauit ad locum SS. Apoſto. Petri & Pauli, nec non & ſancti Prudentij Martyris, in villa Fractomonte, ſeruum nomine Gundulfum, cum filiis ſuis Vulferio, Vuaringaudo, Rambaldo, & dimidium manſum, quem ipſi tenebant, tali ſeruitio, vt omnibus annis in coruata Monachorum, iornalem vnum de tritico, & alium de auena perſoluerent, & eulogias, & in cera duos denarios. Dedit etiam eadem Vuandalmodis ſupradicto loco in Villa Pichanias ſeruum nomine Humbertum cum matre Plectrude, & manſum vnum ibidem, & quicquid ad ipſum manſum pertinebat. Similiter etiam dedit eidem loco in pago Diuionenſi in villa Mercennaco iornalem vnum de vinea.

Carta de Viuers.

NObilis quædam fœmina, nomine Eua, dedit eidem Eccleſiæ Beſuenſi res proprij iuris ſitas in pago Atoariorum, in loco qui dicitur Viuarius, ipſam videlicet, villam Viuers appellatam, & quicquid ibi adiacet, totum ex integro prædicto loco conceſſit, manſa, ſeruos, ancillas, curtiferas terras, ſyluas, aquas, aquarúmque decurſus, cum mancipiis vtriuſque ſexus, & per ſeruum, nomine Aiembaldum, veſtiuit ex his rebus prædictam Eccleſiam Beſuenſem.

Carta de Breſcono.

LEuita quidam nomine *Helias*, dedit in pago Diuionenſi, in villa Breſcono, ad luminaria eiuſdem Beſuenſis Eccleſiæ, vineam vnam bene cultam, vt in perpetuum eam poſſideret ſine aliqua contradictione.

Digitized by Google

Carta de Fiſſiaco.

A *Doerius* quidam in eodem cœnobio ex Laïco conuerſus, in villa Diuionenſis pagi, quæ Fiſſiacus appellatur, dedit vineam vnam, quæ terminatur de vno latere terrâ ſancti Benigni de Longo-vico; de alio viâ publicâ, de vna fronte vineâ ſanctæ *Mariæ* de Balma; de alia terrâ ſancti Euſebij de Eſcubilibus.

Habet ipſa vinea ex vno latere in longum perticas agripennales 24. de alio perticas 20. pedum 2. de vna fronte perticas 20. de alia verò perticas 15. pedum 7.

KAROLVS autem Imp. ſecundo Romam ire diſponens, Italiam ingreditur: è contra *Karlomannus* Lucdouici Regis fratris eius filius, per aliam viam, eandem terram ingreſſus, cum immenſo exercitu fit ei obuius. *Karolus* verò Galliam regreſſus, atque fines Lugdunenſium pertingens, ibidem vitâ functus eſt, atque in Monaſterio Apoſtolorum Petri & Pauli conditus, loco, qui dicitur Nantoade à multitude aquarum inibi confluentium. Poſtmodùm per admonitionem Angelicam inde tranſlatus, Pariſius in Eccleſia S. Dionyſij regali ſepulturâ eſt tumulatus. Succeſſit Patris in ſolio *Lucdouicus*, biennio vix regio nomine functus. Huius in diebus *Ioannes* Papa Romanus Franciam venit, & apud Trecas ciuitatem cum eodem Rege colloquutus, paruo tempore ibidem moratus, ſícque Romam eſt reuerſus.

His diebus effera Danorum natio tertiam Neuſtriaſis inflictura cladem aduenit, intuliſſétque maiorem ſuperioribus, ni *Hugo* per Gallias Abbatis honore prædítus, eorum temerarios compeſcuiſſet auſus. Auxiliante námque Deo parua manu tantas hoſtium phalanges fudit, vt vix ſupereſſet, qui nuntiare potuiſſet. Quâ plagâ humiliati Dani, Gallias per aliquod ſpatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello præfuit *Lucdouicus* Rex. At *Hugone* vltimos vitæ ſuæ claudente ſoles, Lucdouicóque principe poſt adminiſtratum, vt diximus, biennio regnum, diem obeunte, *Carolus*, qui Simplex poſteà eſt dictus, in cunis ęuum agens patre orbatus remanſit. Supererant duo filij *Roberti* Andegauorum Comi-

tis, fratres *Hugonis* Abbatis. *Senior* Oddo dicebatur, *Rotbertus* alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Oddonem Franci tutorem pueri, regníque elegêre gubernatorem, quia recidiui Nortmannorum incurſus imminebant. In partibus verò Regni, quas *Lotharius & Lucdouuicus* tenuerant, filij eiuſdem Lucdouuici regnabant: Nam *Lotharius* ſine filiis obierat. Ex his tribus fratribus vnus patris nomine vocatus, alter *Carlomanus*, tertius *Carolus* eſt dictus. Sed duobus intra quinquennium defunctis, ad iuniorem Carolum rerum ſumma peruenit, poſtque Imperij Monarchiam eſt adeptus.

*Ch. S.B. p. 418.

Refert quidam ſcriptor, &c.*

891. His temporibus Incarnationis Chriſti DCCC. XCI. voluebatur annus.

De deſtructione huius loci.

VEniens ad obitum præfatus, ac venerabilis *Geylo* Epiſcopus, cognoſcens & ipſe multa ad dimittendum ſeu purgandum in ſeipſo, antequam occurreret cum omnibus nobis in Reſurrectione generali, ei in cuius conſpectu non ſunt mundi etiam ipſi cœli, quibus in vita déſeruierat, in morte non ſolùm animam, ſed etiam corpus commendauit. Præcepit itaq; corpus ſuum ad hoc Beſuenſe Monaſteriũ deferri, & ſe totum Deo, & SS. eius Apoſtolis, quibus datum eſt claudere cœlum, vel aperire quibus voluerint, committens, nec non & glorioſiſſimo aliorum Sanctorum quorum hîc reliquiæ habentur, patrocinio, cum prædeceſſore ſuo Alberico Lingonenſi itidem Epiſcopo ſepultus eſt.

Circa idem fere tempus, ſecundum quod ſcriptum eſt, Riſui noſtro dolor admixtus eſt, & extrema gaudij noſtri luctus occupauit Nam venientibus per Franciam in Burgundia Nortmannis, Monaſterium iſtud Beſuenſe penitus contigit deſolatum iri. Et cùm ſepties inueniamus locum iſtum à perfidis Chriſtianis, ſeu à paganis violatum, atque deſtructum, hæc vltima deſtructio non immeritò à nobis emphaticè dicitur, *Deſolatio deſolationum*. Dicamus igitur, ſicut in antiquis membranulis noſtris vix recolligere potuimus, quomodò, &

Prou. 14 13.

à

Digitized by Google

à quibus ſexies deuaſtatum ſit, vt tandem ad hanc vltimam, & atrociſſimam deſolationem paulò latius diſſerendam accedamus. Primâ vice à Chriſtianis per inteſtina bella, qui hunc locum inuadentes, abſtulerunt inde cum aliis rebus, etiam omnes Cartarum authoritates: vnde iam in præcedentibus aliquantulum mentionem fecimus. Alia vice à Vuandalis, perfidis paganis. Tertiâ vice à Sarracenis, qnando Auguſtidunum ciuitatem deſtruxerunt, Anno ab Incar. Domini DCCC. XXXI. Fertur etiam vna vice à Monachis, hunc relictum fuiſſe locum, ob metum cuiuſdam morbi, qui hanc vaſtabat regionem. Quarta vice tempore *Remigij*, fratris *Pipini* Regis, Magni *Caroli* patris, per quandam fœminam, nomine *Angla*, cui prædictus Remigius hunc locum donauerat: Vnde & nos in ſuperioribus mentionem fecimus. Cuius rei ordinem qui pleniùs noſſe deſiderat, ad eam deſcriptionis narratiunculam recurrat. Sed & hoc ſciendum, quòd ex hoc tempore vſque ad Domnum *Albericum*, qui hunc locum reparauit, ab ordine Monaſtico penitus ceſſauit.

Iam verò dicendum eſt de illa vltima deſolatione, quæ non ſolùm huic loco obfuit, verum etiam totam Franciam ipſis Nortmannis vaſtantibus, neque vſpiam francis tutam reſiſtendi firmitatem reperientibus, multa Sanctorum corpora Diuioni caſtro inuecta ſunt, eò quòd firmiſſimum, & inexpugnabile videretur, quorũ quædam poſteà ſunt relata, quibuſdam ibi remanentibus, alia ſunt ad alia loca tranſlata.

Delatum eſt à Sueſſionicis corpus beati Medardi Epiſcopi. Delatum eſt à Taruuanenſibus corpus beatiſſimi Siluini eorum Epiſcopi. Noſtri quoque patroni, beatiſſimi Prudentij corpus eodem delatum, & in baſilica beati Stephani collocatum, multis annis permanſit. Tandem de nobis propitio, parcéque redditâ beatiſſimi Prudentij corpus inde delatum, & beati Siluini corpus cum Beata Anglia, eius familiariſſima, nobis à Deo donatum. Sícque factum eſt, vt cùm huius loci protectionem principaliter habeat cum Paulo princeps Apoſtolorum Petrus, vnum ipſius exornet latus beatiſſimus Martyr Prudentius, alterum cum venerabili Anglia, beatus Siluinus Epiſcopus.

Aliquantiſper protelauimus deſolationis noſtræ narra-

Digitized by Google

tionem, nolentes ſilentio contegi, qualiter nobis, qui pntabamur noſtro patrono deſolati, poſtmodum à Deo ſint pro vno duo procurati. Nunc ad ea quæ omiſimus redeamus. Audientes hi qui hic erant Monachi Nortmannorum aduentum, quidam timore pœnæ, ac mortis ſe occultauerunt, quidam ad alia Monaſteria demigrauerunt. Nec mirum quoniam qui hic remanſerunt, gladio interfecti ſunt, quorum nomina hęc ſunt. *Ayrmannus* Monachus, *Geneſus* Monachus, *Beraldus* Monachus, *Sifardus* Monachus, *Rodco* Monachus, *Anſuinus* Preſbyter, *Adalricus* puerulus. Hi omnes pro Chriſto piè iugulati talionem Deo reddentes, ſacrificium Deo effecti ſunt. Anno ab Incarnat. Dom. DCCC. LXXX. VIII.

Normannos oppugnat Richardus Dux.

Veruntamen cum nemo repertus ſit, qui eis poſſet vel auderet reſiſtere, fuit iiſdem temporibus quidam Dux noſtrarum partium, *Richardus* nomine, qui à iuſtitiæ ſtudio dictus eſt, & ipſe iuſtificator. Hic pro libertate patriæ partim zelo ſuccenſus, plurimũ verò pro Eccleſiis Dei deffendendis, Deum habens adiutorem, expugnare illos aggreſſus eſt. Et licet vſq; ad hanc Beſuam hoſtilis impetus procurrerit, & hic rabies inſaniæ eorum adeò efferbuerit, vt & Monachos noſtros, vt prædiximus, gladiis interemerit, & omnia vaſtauerit, in tantum vt & fontem ipſum de ſe gurgitem magni fluuij euomentem, potatione quadrupedum innumerabilium per totum quatriduum exſiccauerit, ad Diuionem tamen eos aſpirare, nec loci firmitas, nec Ducis nominatiſſimi permiſit metuenda bellicoſitas. Quin immò occurens eis præfatus Dux *Richardus*, in loco vocato Argentoilo, commiſſo cum eis prælio cæſa eſt eorum quamplurima multitudo. Sícque Dani cum Nortmannis retrò redire ſunt coacti.

893. Anno Incar. Verbi DCCC. XCIII. *Odone* regnante, &c.*

*Ch. S B p. 410. & ſeq.

911. Anno DCCCCXI. Incarn. Verbi, XII. Kal. Aug. in Sabbatho, cùm obſiderent Nortmanni Carnotinam vrbem, & iam eſſet penitus capienda, ſuperuenientes *Richardus*, & *Robertus* cum ſuis, Dei auxilio, & Beatæ *Mariæ* patrocinio roborati, fecerunt ſtragem maximam paganorum à paucis, qui remanſerunt obſides capientes. Habuit idem *Richardus* filium nomine Rodulphum, qui fuit Rex Francorum. Alter filius vocatus eſt *Boſo*, qui Burgundiæ ſuperioris, quæ Gallia Comata dicitur, accepit regnum. Tertius filius dictus eſt

Ita Ch. S B. p. 421.

Digitized by Google

Hugo, cognomento Capito, qui fuit Dux inferioris Burgundiæ. Exortâ diſcordiâ inter *Karolum* & Regni Principes, lites ac bella, rapinæ & incendia innumera vndique ſæuiunt mala. Tandem Rex facti pœnitens Principes ad concordiam commouet, pacémque exoptatam cum eis firmat.

De commutatione facta inter Vualcaudum Abbatem, & Teutardum.

EO tempore facta eſt commutatio inter quemdam *Teuthardum*, & *Vualcaudum* Abbatem, de terris quæ ſub iure eorum videbantur eſſe. Dedit itaque Teuthardus de parte ſua ad partem Vualcaudi Abbatis campum vnum, ſitum in pago Atoarienſe, in fine Pauliacenſe: & contrà Vualcaudus Abbas de parte ſua dedit Teuthardo campum vnum ſitum in ipſo fine Pauliacenſe.

Obytus Geylonis.

DEfuncto verò Geylone Epiſcopo *Teutbaudus* ſucceſſit, Sed & iſto defuncto, *Agrinus* Epiſcopus ſucceſſit, in cura paſtorali valde ſollicitus. Hic Pontiliacum, & Eccleſiam S. Hyppoliti à quodam Vualtario nobis iniuſtè ablatam reſtituit, ſicut hîc demonſtrabimus.

Geiloni Epiſc. Ling. ſucceſſere Teutbaudus, & Agrinus ſiue Algrinus.

Carta & confirmatio Agrimi Epiſcopi de collatis à Geylone Epiſcopo huic loco.

AGRINVS diuinâ diſpenſante clementiâ humilis Epiſcopus. Omnibus Eccleſiæ Dei fidelibus vtriuſque ſexus & ordinis, vſquam locorum degentibus. Ad multorum conſtat peruenisſe notitiam, qualiter *Geylo* piæ recordationis Epiſcopus, prædeceſſor meus, ſanctum Prudentium de Aquitania transferens, in noſtrum Epiſcopium Lingonenſe detulit, & in Beſua Monaſterio ad laudem, & gloriam nominis Dei ſolemniter collocauit. Vbi ob amorem Dei, & reuerentiam eiuſdem S. Prudentij, quaſdam res Eccleſiæ ſuæ videlicet Pontiliacum cum adiacentiis ſuis, & Eccleſiam in honore

Digitized by Google

ſancti Hyppoliti conſecratam, eidem Monaſterio contulit, quatinus Monachis & Dei ſeruis ibidem Domino famulantibus, futuris temporibus proficiant in augmentum. Quo quidem de hac vita ſublato, ſicut reliquæ res Eccleſiæ noſtræ irrationabiliter ad votum diripientium diſtractæ ſunt: Ita quoque & Pontiliacus à loco vbi fuerat à præfato Præſule collatus, eſt à Vualtario, ſicut certiſſimum eſt, ſacrilegè inuaſus & indebitè alienatus. Vnde *Gaulcaudus* Abbas præfati Monaſterij Beſuæ, cum confratribus ſuis Monachis, noſtram humilitatem adiens, præiudicium iniuſtè loco illatum lacrymoſis queſtibus innotuit, & vt noſtra munificentia ſublata indebitè redderentur, pro amore Dei, & reuerentia Petri & Pauli Apoſtolorum Principum ſanctíque Prudentij humiliter deprecatus eſt. Nos igitur deprecationem illius paternè ſuſcipientes, eámque cum fidelibus Eccleſiæ noſtræ Clericis, ac Laicis pertractantes, & iuſtam rationabilémque, & rectam proſpicientes, conſilio, & conſenſu totius Eccleſiæ noſtræ, ſicut præfatæ res ab anteceſſore noſtro ſæpe dicto loco conceſſæ ſunt, & nos quoque præſentialiter concedimus, & hac noſtra authoritate regnante Domino noſtro, in perpetuum conſecramus.

Vt autem præſens noſtra reſtitutio futuris temporibus vigorem inuiolabilem obtineat, & de cætero indebitam, iniuſtámq; neſciat pati iacturam, manu propriâ roborauimus, fideliúmq; noſtrorum ſubſcriptionibus confirmare iuſſimus: Succeſſoribus noſtris per ſanctam & inextricabilem Trinitatem humiliter, obnixéque ſuggerentes, vt quæ à nobis piè ſtatuta ſunt, ab illis inuiolabiliter conſeruentur. *Agrinus* ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus in Chriſti nomine roboraui, & ſignaui. *Otbertus* Præpoſitus, & Archidiaconus ſignaui. *Bernardus* Arch. ſig. *Madalgaudus* Diaco. ſig. *Iſaac* Archid. ſig. *Emmarricus* Archid. ſig. *Euuardus* Diaconus ſig. *Helgaudus* Preſbyter ſig. *Arnaldus* Arch. ſig. *Fulculfus* Diac. ſig. *Albericus* Diac. *Acleuertus* ſubd. ſig. *Vulleus* ſubdiac. ſig. *Siquinus* ſubd. ſig. *Ioſſelmus* Acolitus ſig. *Giſlerius* Acolit. ſig. Ego *Brantio* indignus Preſb. hanc reſtitutionem
889. ſcripſi, & dictaui, 11. Id. Apr. Indict. VIII. anno 11. Regnante *Odone* Rege.

Digitized by Google

Carta de Taxnatello.

QVidam homo, nomine *Alardus* dedit res ſuas proprias, in villa quæ dicitur Taxnatello, velut in ipſa fine, id eſt, curtile vnum, quod terminatur de vno latere terrâ ſancti Leodegarij, de alio latere terrâ Vuilleri; de vna fronte, ſtrata publica, de alia fronte Fiſco. Infra ipſas terminationes, & quicquid ad ipſum manſum aſpicit, tam terris, quàm etiam pratis, ſyluis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus exitibus, & regreſſibus, omnia ad integrum dedit Deo, & Eccleſiæ Beſuenſi.

Carta de Luco.

EOdem tempore quidam homo, nomine *Karlus*, & vxor ſua *Retrudis*, dederunt Eccleſiæ Beſuenſi, & Abbati *Vualcaudo* res proprias, ſitas in villa, quæ dicitur Lucus, habentes terminationes de vno latere terram ſancti Vincentij, de alio ſtratam publicam; de vna fronte fiſcum; de alia fronte coturnum vicinorum. Similiter dedit in ipſa fine iornalem vnum, & peciolam de terra: & in alia fine, quæ dicitur Campania, dedit iornales duos. In alia autem fine, quæ dicitur mons-Mainberti, iornalem vnum, & peciolam de terra. In alio verò loco dedit vbi poſſunt ſeminari de tritico modij octo, & ancillam nomine Mainbergam, tempore Regis *Odonis*.

Defuncto igitur Agrimo Epiſcopo ſucceſſit Vuarnerius Epiſcopus. Hic petentibus Monachis huius cœnobij beatum Prudentium Martyrem retulit de Diuione, cum innumerabilibus Clericis diuerſi ordinis, à plebe innumerabili vtriuſque ſexus cum honoris tripudio ſuſceptus eſt. Denique monachis prædicti cœnobij cum infinito populo eminus à Monaſterio ei obuiam occurrentibus, cum immenſis laudibus receptus eſt, Anno verbi Incar. diuini DCCCC. XXI. IX. Kalen. Octobr. die.

Defuncto autem *Vualcaudo* Abbate, *Vualcadus* ſucceſſit, ſed & iſto obeunte *Galcaudus* ſucceſſor efficitur; ſed & iſto defuncto ſucceſſit Abbas, nomine *Milo*, poſtmodum Matiſ- Abbates Beſuenſis Cœnob.

Digitized by Google

Vuarnerius & Gotselmus Episc. Ling. Robertus Rex.

conensis Episc. qui nihil boni in hac domo gessit. Obeunte autem *Vuarnerio* Lingonensi Episcopo successit *Gotselmus* in Episcopatus honore, anno I. Regni *Roberti*. De quo quia mentio facta est, opportet dicere quomodo Regnum acceperit.

997. * *Ch. S. B. p.* 425. Episcopi Ling.

Odone Rege defuncto, Rotbertus frater ipsius sperans, &c.

Defuncto autem *Gotselmo* Episcopo, successit ei in Episcopatus honore *Letericus* Episcopus post hunc Ericus. Deinde *Achardus*. Atque pòst *Vuidricus*. Transierunt sub his Pontificibus anni ferme XL. & ampliùs, in quibus semper in deterius processit loci huius status, Episcopis, & Abbatibus alia magis, quàm id curantibus.

* *Ch. S B. p.* 427.

Rodulpho Rege defuncto absque liberis, &c.*

De Brunone Episcopo.

980. *sine* * 26.

ANno ab Inc. Dom. DCCCC. LXXX. Ind. VIII. Regni *Lotharij* Regis * XXV. anno, dedit idem Rex Brunoni Remensis Ecclesiæ Clerico, suo vero parenti propinquitate cõsanguinitatis existenti, Episcopatum Lingonicæ ciuitatis. Ordinatus est autem idem Bruno Episcopus per manus Burchardi Lugdunensis Archiepiscopi, in Ecclesia sancti Stephani viginti quatuor gerens annos ætatis: & eodem anno susceptus est à Clero Lingonicæ vrbis, ab Incarn. videlicet

981. Christi DCCCC. LXXXI. Is assecutus Episcopatum, omni, quo potuit, nisu, sequi studuit exemplum boni Pastoris.

Monasteria igitur ipsius ad Diœcesim pertinentia, in spiritalibus Religione, in temporalibus necessaria penè adnullata gubernatione considerans, cœpit quærere quatenus Dei dispensante nutu, suum in statum ea quiuisset reparare.

Cùm verò de huius Besuensis Monasterij multimodis desolationibus dissereremus, diximus prout memoriæ occurrere potuit, secundum quod in scedulis veteribus inuenimus, sexies desertum, & ferè adnullatum fuisse. Veruntamen posteà diligentius cætera perscrutantes, inuenimus hunc eumdem locum ab Hungris combustum quinquies, quippe cui nullum erat à terreno principe deffensaculum, nec loci ad

Digitized by Google

reſiſtendum inimicis munimentum. Harum combuſtionum duæ quo tempore euenerint, notum nobis eſt. Anno námque DCCCC. XXXVI. Incarn. verbi venerunt Hungri in Burgundiam menſe Iulio. Iterum anno DCCCC. XXXVII. Incar. verbi *Lucdouuico* filio *Karoli* vncto in Regem; & nondum eo anno euoluto, Hungri venientes per Franciam & per Burgundiam atque Aquitaniam, deuaſtauerunt omnia: quæ vaſtatio in tantum huic loco obfuit, vt per LI. annos, vſque ad annum ſcilicet Incar. verbi DCCCC. LXXXI. quo Domnus Bruno Lingonenſi Eccleſiæ præficitur Epiſcopus, reſpirare ad priorem ſtatum nequiuerit.

Videns igitur Domnus *Bruno* Epiſcopus ſtatum huius loci, & Abbatiam S. Benigni Diuion. in ambiguo poſitum, ſupplex adiit Domnum Maiolum Cluniacenſis Monaſterij Abbatem, multáque prece popoſcit, quatenus eius auxilio quiuiſſet eas reparare in meliùs & interiùs Religionem & exterius poſſeſſiones. Cuius precibus flexus, &c.* * *Ch S B p.* 419.

Tempore, quo hæc gerebantur, Hugo Rex, Hugonis magni filius, cum Rotberto filio, Francorum potiebatur regno, &c.* * *Ch S.B. p.* 432.

Domnus autem Epiſcopus *Bruno* conſiderans patrem *Vuillelmum*, ita feruentẽ in Religione, ac Monaſticâ inſtitutione, & loca ei commiſſa de die in diem in melius proficere, omnia in ſuo Epiſcopio Monaſteria ipſius delegauit prudentiæ. Videns verò Abbatiam iſtam Beſuenſem in honore, & nomine beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum dicatam, penè ad nihilum redactam, monuit inſtanti prece, vt eam ſecundum regularem emendare curaret inſtitutionem. Cuius annuens precibus iſtum cœnobium in paucis annis ad regularem commutauit ſtatum, &c. * *Ch. S. B p.* 433.

Cœperunt deniq; ex patria, ſua, hoc eſt, Italia multi ad eum conuenire, aliqui litteris bene eruditi, alij diuerſorum operũ magiſterio docti, alij agriculturæ ſcientia periti: quorum ars, & ingenium huic loco præfuit plurimum. Cùm verò Vuillelmus Abbas Auguſtorum ſeu Regum palatia adiit, in eis, non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI quæſiuit, vt ex eorum ſcilicet familiari collocutione ſubueniret oppreſſis ſua interuentione, aut certè ex ſæculari, vel Clericali habitu Deo

Digitized by Google

lucrifaceret; vt iuxta Domini præceptum propria relinquerent, & sæcularibus curis semotis, Deo in tranquillitate seruire* deberent, &c.*

al. studeret

* Ch. S. B. f. 439.

Cùm primum Abbatis susceptit officium venerabilis *Vuillelmus*, quidam castri Diuionensis ciuis, nobili genere ortus, *Rodulphus Albus* vocatus nomine, venit ad conuersionem inter ipsa primordia eius nouæ ordinationis; cuius pecuniis releuata est paupertas prædicti patris, & consilio, atque adiutorio subleuata sollicitudo regiminis huius loci Besuensis Monasterij. Adhuc quippe erat ei paucitas Monachorum, quem prædictus frater ita iuuabat in exterioribus curis, vt solus supplere videretur solamen plurium. Sed præter eius votum, hoc solatium tulit illi paucitas dierum.

De Rodulpho vices Abbatis agente sub S. Guillel.

Si huius viri mentionem facientes, paululùm excesserimus ordinem rationis, ne cuiquam veniat in fastidium; curæ enim nobis fuit, eos præcipuè annotare, qui erga hunc locum deuotiores, seu munificentiores extitêre. Hic verò *Rodulphus*, quoniam hæc Ecclesia secundum quantitatem quia parua erat, tantis Patronis, Petro, dico, & Paulo, non videbatur condigna, à fundamentis incipiens, & ad perfectum vsque perducens, in eo statu, quo modò est, consummauit. Rexit autem hunc locum sub Abbate Vuillelmo Prior Magnus, tam in exterioribus, quàm in interioribus prouidendis, & administrandis strenuissimus: quippe qui hoc ipsum iugi cura & exercitio didicerat. Fuerat námque antequàm veniret ad conuersionem vice-Comes Diuionensis. Conuertens itaque studium sæculare in Ecclesiasticum, ex bonis initiis meliores fines obtinuit. Obiit verò huius vitæ diem Idib. Nouemb. cuius anima requiescat in pace, Amen.

Alter quidam Monachus, vocatus *Hunaldus*, &c.*

*Eadẽ habet Ch. S B. p. 440. licet non eisdem verbis.

Longum est enumerare singula, quæ Domnus *Bruno* Episcopus in hoc loco egit bona, sed tamen, quæ in cartis nostris reperire potuimus, demonstrabimus.

In nomine Domini Dei, & Saluatoris IESV CHRISTI, *Bruno* diuina dispensante Clementia, sanctæ Lingonensis Ecclesię humilis Episcopus. Si locis omnibus, & pręcipuè sacris, eorúmq; Rectoribus nostræ indignitati diuinitus commissis, in sibi necessariis prout valemus piè & opportunè cõsulimus, eorúmque

Digitized by Google

eorúmque anxietatibus ſollicita cura ſubuenimus, non ſolùm in hoc venerabilium & Deo deuotorum Pontificum, piorúmque Paſtorum vſum, & conſuetudinem exequimur, ſed etiam ſaluti animæ noſtræ prouidemus. Idcircò nouerit omnium noſtrum, & noſtri ſolertia, quod veniens Domnus Abbas *Vuillelmus* (quem ob ſanctitatem, & venerabilem religionem locis in noſtra Diœceſi manentibus, Diuionenſi, atque Beſuenſi, amanter præfecimus) inſinuauerit nobis quaſdam res de ipſis Abbatiis inter ſe neceſſe eſſe, reddendi cenſus gratia transferri, nóſque id laudare, & omnimodo conſentire debere. Cuius prouidentiam & laudabilem diſcretionem non ſolùm laudauimus, ſed etiam, vt ſecundum ſuum velle locorúmque neceſſitatem id accelerare deberet, attentè monuimus. Sumptum eſt itaque de Abbatia ſancti Petri Beſuenſis, & coniunctum Abbatiæ ſancti Benigni Diuionenſis, quicquid habere dignoſcebatur in Bruciaco villa; eo tenore, vt omni anno octo modios vini ante feſtiuitatem S. Prudentij in cenſum reddant; & quicquid ſuprà diximus, perpetualiter Monachi S. Benigni poſſideant. Quòd ſi negligentiâ, vel obliuione hoc termino redditum non fuerit, cenſum duplo reſtituant, & Conuentum inconuulſum permaneat. Quòd ſi quiſque poſt deceſſum noſtrum, hoc decretum multorum nobilium ore laudatum, infringere tẽtauerit, niſi citò reſipuerit, & pœnitentiam cõdignam habuerit, anathematis iugulum caueat, quo ferire decreuimus quoſcumque, qui noſtrorum decretorum cupiunt ſtatuta euellere. Et vt hoc per ſæcula inconuulſum permaneat, manu noſtra ſubterfirmauimus, & vt à pluribus firmaretur rogauimus. Signum *Brunonis* Epiſcopi. Signum *Lamberti* Præpoſiti. Sig. *Teudrici* Archid. Sig. *Beraldi* Archid. Sig. *Vuidonis* Preſbyteri. Sig. *Teudonis* Archiclaui. Sig. *Vuidonis* Archid. Sig. *Beraldi* Hypodiaconi. Sig. *Oddonis*. Sig. *Amelij*. Sig. *Brunonis* pueri. Sig. *Humberti* pueri. Sig. *Niuardi*. Sig. *Gozelmi*.

De Conlatis huic loco à Brunone Epiſcopo.

CReſcente autem in hoc Religionis ſtudio, Domnus *Bruno* Epiſcopus nimium exhilaratus de bona eorum con-

uerſatione, de ſuo iure quodcumque neceſſarium & vtile eis foret, libenti animo tribuebat. Inter cætera igitur quæ huic loco contulit, ſtatuit, vt de Eccleſiis à ſex leugis vel infrà à Beſua, tempore Rogationum omnes tam viri, quàm mulieres cum oblationibus ad ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli limina conuenirent.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

COnſiderans ego Lingonenſium Bruno Epiſcopus officij mei negligentiam in damnationem animæ meæ cedere, iuxta ſenſus mei modum elaboraui Eccleſiis Dei prouiſores efficere, qui in eis talentum verbi Dei diſſeminantes, mecum pariter de eo, ipſi Domino IESV CHRISTO lucrum reportantes, æternæ vitæ remuneratione ditarentur.

Volui igitur Eccleſiæ Beſuenſi Domnum Vuillelmum virum Religioſiſſimum Abbatem præeſſe, qui dum in ea cuncta regulariter, ac religiosè diſponeret, intelligens propria in quibuſdam non ſatis ſufficere, quæſiuit ab Eccleſia Lingonenſi, Eccleſiæ Beſuenſi aliquid ad luminarij opus conferri. Cognoſcens itaque petitioni viri Dei non eſſe contradicendum, cum conſilio totius Capituli Lingonenſis ſtatui, vt de Eccleſiis à ſex leugis vel infra à Beſua, tempore Rogationum, tam viri, quam mulieres cùm oblationibus ad Sanctorũ Apoſtolorum Petri & Pauli limina conueniant. Illud quoque non otioſè mecum reputans, quia cum tempore eodem Lingonas venire deberent, alij longitudine viæ, alij imbecillitate corporis, ſeu aliquibus aliis occaſionibus retardati, pabulo diuini verbi, & peccatorum remiſſione, quam ibi deberent accipere, fruſtrabantur. Veniant igitur illo tempore ſtatuto, & de peccatis ſuis veniam poſtulantes ab eis, quorum linguæ claues cœli factæ ſunt, à Monachis illic Deo ſeruientibus de ſalute animarum ſuarum ammoniti, facta abſolutione, & data benedictione, læti reuertantur in pace. Quicumque verò huic noſtræ inſtitutioni contraire præſumpſerit, Dei omnipotentis authoritate, & eorum qui quæ ligauerint in terra, erunt ligata & in cœlo, atque omnium ſanctorum anathematizentur, & excommunicentur, Amen.

Oblationes Beſuenſi Eccleſiæ faciendæ.

Monachis facultas audiendarum confeſſionum.

Digitized by

Et vt hoc per ſæcula inconuulſum permaneat, manu noſtrâ ſubter firmauimus, & vt à pluribus firmaretur, rogauimus. Signum *Brunonis* Epiſcopi. Sig. *Vuillelmi* Abbatis. Sig. *Lamberti* Præpoſiti. Sig. *Beraldi* Archid. Sig. *Teudrici.* Archid. Sign. *Brunonis* Archid. Sign. *Teudonis* Archiclaui. Sig. *Vuidonis* Archid. Sig. *Amelij.* Sig. *Vuidonis* Preſb. Sig. *Beraldi Hypodiaco.* Sig. *Ntuardi.* Sig. *Gocelmi*, & aliorum multorum. Ego *Airardus* Cancellarius ſcripſi, & cum cæteris laudator, & roborator extiti. Acta ſunt hęc anno ab Incar. Dom. MVIII. Indict. VI. Epacta XI. concurrente IV. Regnante *Roberto* Rege, & Domno *Brunone* ſedem Lingonicam tenente.

Beniuolentiam Dom. Brunonis Epiſcopi atque deuotionem erga hunc locum, notitiæ futurorum commendare volumus, nobis, hodiéque, & poſteris noſtris, quandiu ſæculum durabit, profuturam.

Eſt Eccleſia non multùm diſtans ab hoc Beſuenſi loco in honore ſancti Leodegarij dedicata, largiſſimis prædiis & latifundiis à Regibus, & Ducibus, & Comitibus dotata. Cuius loci Monachi non minimas iniurias, & importunitates huic loco inferebant, terras noſtras occupantes, iniuſtas conſuetudines in ipſis terris imponentes. Et quoniam poſſeſſiones noſtræ intra poſſeſſiones eorum contiguæ erant, iuſto latiùs manus extendentes, vt pote terrenorum principum quamuis iniuſto auxilio confiſi, quacumque poterant de noſtris rebus locum ſuum ampliabant.

Eſt villa, quæ dicitur Cuſiriacus in parochia noſtra eius villæ qui dicitur Belenaua, vbi cùm Monachi S. Leodegarij Eccleſiam; & nouam parrochiam conſtruere voluiſſent: Audiens hoc Dom. Bruno Epiſcopus, excommunicauit, & anathematizauit eos, qui ibi Eccleſiam conſtruerent, & qui diuinum officium ibi celebrarent. Conſiderans tamen quoniam parrochialis Eccleſia, Belenaua ſcilicet, nimis longè aberat vt bonus paſtor animarum curæ proſpiciens, néve lõginquitate viæ, aut negligentiâ Sacerdotis, aut ignorantia plebis, animæ diuini verbi pabulo fraudarentur, ſtatuit vt ad villam, Beſuunculam nomine, quæ prope erat, ad Miſſas, & Chriſtianitatis officium conuenirent, eo verò tenore, vt quia dignus eſt operarius mercede ſua, medietatem eorum, quæ

ad Preſbyteratum pertinerent, illi Eccleſiæ condonarent.

Item in villa; quæ dicitur Anblins, quoniam ipſi in aqua partem nobiſcum habebant, cœperunt calumniari, & ſi quid vellemus ædificare, ipſi quantum poterant impediebant. Acceſſit Pater *Bruno* Epiſcopus, & ipſe in medio aquæ ſudem acutam infixit, quæ hodiéque ibi manet, vt monachi ſancti Leodegarij medietatem aquæ vſque ad palum haberent, & alia medietas vſque ad palum nobis in pace remaneret.

*Opera vestigalis. Gal. courvée.

In villa noſtra, quæ Trecaſas dicitur, voluerunt aliquando * coruatam conſuetudinaliter facere. Cùm verò non fuiſſet alius, qui reſiſteret, quidam ruſticus zelo iuſtitiæ & fidei accenſus, acceſſit vbi boues iuncti fuerant, & iuncturas ſuper capita eorum, quas ruſtici conuinculas appellant, omnes truncauit. Tamen timens ne pro hoc facto, quamuis iniuſtè ei malum inferretur, aufugit. Iterum Bruno Epiſcopus noſter, & nomine & re, cùm hoc audiſſet, non piguit ad locum accedere, & priùs quàm de hac re incœpiſſet diſſerere, ruſticum illum qui timore delituerat, nec audebat redire, demandans: vbi eſt, inquit, filius meus, qui hoc fecit, & ita viriliter loco mei egit? Qui cùm veniſſet ante eum: Tu es, inquit, filius ſancti Petri, & meus: ne paueas pro certo habens, quia qui te odit, me odit. Securus eſto; Nam qui te lædet, mecum quoque diuidet illud. His dictis, cùm per indigenas loci, & antiquos, quibus notitia, & memoria præteritorum fuerat, comprobatum fuiſſet, nullo modo Monachos illos conſuetudinem illam quam reclamabant, in noſtram villam habere, Domnus Epiſcopus remeauit ad ſua.

Carta de Decimis Nouæ Villæ.

De reſtitutione decimarum.

PEr idem tempus, quo Dom. *Vuillelmus* Abbas Beſuenſe regebat Monaſterium, Miles quidam, nomine *Gyrardus*, cognouit ſe non recta conſuetudine accipere decimas cuiuſdam Eccleſiæ ad ipſum Monaſterium pertinentis, quæ in Comitatu Atorienſe, loco nuncupato Noua villa, in honore ſancti Prudentij eſt conſecrata: eò quòd decimæ illius Eccleſiæ ad alteram quaſi matrem tranſportabantur Eccle-

Digitized by Google

ſiam, conſtitutam in villa, quæ dicitur Fraſnetum. Cùm igitur apud Caſtellum ſuum, cui nomen eſt Fonſ-venti, VII. Kal. April. reſideret, reddidit pro remedio animæ ſuæ, & vxoris, filiíque ſui, nomine Humberti, ipſas decimas ad iam dictum Monaſterium, cui ipſa iure hæreditario ſubiacebat capella. Hoc autem factum eſt ſub præſentia, & conſenſu vxoris ſuæ, nomine *Gertrudis*, & prædicti filij ſui Humberti, atque vt nemo de hæredibus, vel ſucceſſoribus eorum iam ampliùs ipſas decimas repetendi haberet licentiam, hanc fieri notitiam iuſſerunt: quam ſi quis calumniatus fuerit, perpetuæ excommunicationis feriatur Anathemate. Nomina teſtium qui hanc notitiam firmauerunt, hæc ſunt. *Theodericus*, *Humbertus*, *Aymo*, *Ioffredus*, item *Humbertus*, *Arembertus*, *Gybuinus*, *Mainfredus*, item *Haymo*, *Vuido Presb.* *Deodatus*, & alij quàm plures illuſtres viri, qui omnes teſtimonium firma ratione præbuerunt, meliùs & rectiùs iam dictam Eccleſiam per ſe debere ſtare cum decimis ſuis in parte, & poſſeſſione Beſuenſis Monaſterij, quàm alteri cuilibet ſubiacere Eccleſiæ.

Item alia.

CVm apud Lingonicam ſedem noſtram, Ego in Dei nomine Bruno Epiſcopus, noſtríque Archidiaconi, collecta Diœceſis noſtræ filiorum multitudine, generalem ageremus ſynodum adiit præſentiam noſtram quidam Monachus Beſuenſis Monaſterij, nomine *Benedictus*, præmonſtrans cartulam quam ante fecerat Miles quidam nomine *Girardus*, ex conſenſu vxoris ſuæ, nomine *Gertrudis*, & filij ſui *Hamberti*, reddens ad iam dictum locum decimas cuiuſdam Eccleſiæ in comitatu Atoarienſi, Noua ſcilicet villa, ſub honore ſancti Prudentij conſecrata. Quam videlicet cartulam omnes pariter audientes firmauimus, atque laudauimus. Et quia eadem Eccleſia in prædio præſcripti Monaſterij erat conſtructa, decreuimus, atque ſtatuimus, vt decimæ ipſius omni tempore iure hæreditario ad idem deuenirent Monaſterium, nullo de noſtris ſucceſſoribus, neque de hæredibus prædicti Girardi contradicente, neque calumniam faciente. Si quis hoc teſta- De eadem te.

mentum calumniatus fuerit repetantur ab eo cuncta delicta, vſque ad nouiſſimum quadrantem. Actum publicè Lingonis. Nomina teſtium, qui hoc teſtamentum firmauerunt. *Lambertus* Præpoſitus. *Teudo* Abbas & Archid. *Beraldus* Archid. Item *Beraldus* Archid. *Bruno* Archid. nepos Dom. Brunonis Epiſcopi.

Carta de Buſtello.

NOtum eſſe volumus præſentibus, & futuris, quòd *Fulbertus* & *Berengerius* fratres recedentes de Buſtello, pro inimicitiis, quas vicini eorum contra eos exercebant, dederunt alodum ipſius vici Buſtelli, S. Petro & ſeipſos, & omnẽ poſteritatem ſuam commendauerunt perpetualiter eidem ſancto, vnâ* denerata cerę omni anno, tam virum, quam mulierem. Eâ conuentione, vt ſi ipſi, aut aliqui ex eorum progenie reuerterentur in regionem, hæreditatem ſuam, quam ſancto dederant, ab Abbate loci & Monachis tenerent. Diſcedentes itaque de Epiſcopatu Lingonico, tempore *Brunonis* Epiſcopi, & Ducis *Henrici*, venerunt in Diœceſim Archiepiſcopatus Veſuncionenſis tempore *Hectoris* Archiepiſcopi, & Comitis *Vuillelmi*, peruenerunt in locum, qui dicitur Rollens, & remanſerunt ibi ſuper terram *Teduini*, & *Beroardi* fratris eius: qui ſcilicet *Teduinus* pater fuit *Bernardi*. Eâ verò conuentione in terra illorum remanſerunt, vt ipſis reditus, & conſuetudines terræ perſoluerent, ſancto verò Petro Beſuæ cenſum, quem debebant annuatim, deportarent. Timentes autem Monachi, ne per ſuccedentia tempora hæredes Teduini, & Beroardi fratris eius, ipſis hominibus aliquam violentiam irrogarent, vel in ſeruitutem eos redigere vellent, cum Abbate ſuo Vuillelmo adeuntes Concilium, in quo Archiepiſcopus Hector, & Epiſcopus Bruno cum aliis Epiſcopis reſidebant, deprecati ſunt, vt hanc Cartam pariter & libertatẽm iſtorum hominum Eccleſiaſticâ authoritate roborarent. Quod ipſi libenter concedentes cum conſenſu aliorum Epiſcoporum, & totius ſancti Concilij eoſdem homines liberos ſancti Petri eſſe ſtatuerunt, & perpetuo anathemate excommunicauerunt, qui illis ſeruitutis iugum vllo modo imponere auſi fuiſſent. Signum

**Eſt perſolutio duorum denariorum.*

Digitized by Google

Hectoris Archiepiſcopi. Sig. *Brunonis* Epiſcopi. Sig. *Vualterij* Epiſ. Sig. *Burchardi* Epiſ. Sig. *Goſleni.* Epiſcopi.

Carta de Buxiaco, & de Lama.

QVidam homo *Gybuinus* nomine, dedit Deo, & Beſuenſi Eccleſiæ, vnum ſeruum nomine Vualcaudum, cum ſua coniuge, atque omnibus, qui ex his fuerint propagati: & vnum manſum, qui diuiſus eſt in duas partes. Vna pars eſt in villa, cuius vocabulum eſt Buxiacus, quæ de duobus lateribus diuiditur à terra Girardi Militis, & de tertio à terra S. Petri Beſuenſis, & de quarto ab aqua, quæ vocatur Tyla, in qua 32. iornales appendunt; & alia pars eſt in villa, quæ dicitur de Lama; quæ partitur vndique à terra ſancti Petri, in qua appendunt 28 iornales. Poſtmodùm verò in die depoſitionis ſuæ cum fuiſſet delatum corpus eius ad ſepulturam, omnis affinitas eius dederunt vnam ancillam nomine *Abdiardam*, & confirmauerunt hanc iterum Cartam. Quicumque verò, dempſerit quippiam ex his ſupradictis rebus, ſit anima eius abſtracta à conſortio Dei.

Item Alia.

HIſdem etiam diebus, *Oggerius* calumniam inferens ancillis, cum propriis filiis, vni Suſannæ, & nomen alteri Hildegardæ, à Monachis S. Petri per multorum curricula tẽporum iure poſſeſſis, conabatur in ſuam pertinaciter tranſducere ſeruitutem. Quapropter iubente *Brunone* Epicoporum pręcellentiſſimo, fidelium ſuorum factus eſt conuentus, inſuper etiam * campiendi eſt dies ſtatutus. Sed ne homicidij, vel periurij noxã incurreret ipſe Oggerius, oblati ſunt ei à Monachis ibidem manentibus 50. ſolidi: quibus acceptis, ſic tandem ab hac querela ſponte reticuit. Et quamuis iniuſtè tentaſſet eas ad ſuum inflectere ſeruitium, accepto in redemptionem vt ita dicam, pretio, ſancto Petro, cui veriùs pertinebant, reddidit coram teſtibus; ita vt nec ipſe, nec ſui cohæredes, vel aliqua ſuſpecta perſona, audeat de his, aut eorum progenie aliquando aliquam calumniam inferre. Hì

* *Duellum in campo inicndi.*

Digitized by Google

ſunt teſtes. *Girardus* Comes, *Vualterius*, *Nerduinus*, *Aldo*, *Odo*, *Hugo* Comes, *Odilo*.

Carta de Gibriaco.

PEr idem tempus, quidam homo, *Ioſaldus* nomine, pro remedio animæ ſuæ per conſilium filiorum & amicorum ſuorum, dono tradidit ad locum ſancti Petri Beſuenſis, quandam vineam in villa Gibriaco, in loco nuncupato Caſallo, cum iacente, quæ habet in longo 26. perticas, in lato perticas 17. & terminatur de vno latere terrâ ſanctæ *Mariæ*, ex alio latere de ipſa hæreditate; de vna fronte ſtratâ publicâ; de alia terrâ fiſcali. Hanc autem hæreditatem duo anteceſſores ſui, *Vuicherannus* ſcilicet & *Archirannus*, donauerant ei, & vxori ſuæ *Tetſanæ*, & duobus infantibus ſuis Oſtrado, & Vucheranno. Sicut ergo ab ipſis duobus anteceſſoribus ſuis donata ſunt, ita & ipſe Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Monaſterio tradidit perpetualiter habendam, & poſſidendam.

Carta de Setis.

Vir & vxor ac filij ſua ſe ſponte mancipãt.

NOuerint fideles per ſuccedentia tempora, quòd quidã homo, *Lambertus* nomine, cùm eſſet ingenuus, & maneret apud Setas cum vxore ſua, nomine *Eremburgi*, ac liberis *Framuero*, & *Dominico*, eiuſdem conditionis, gratis ſe tradidit ſancto Petro ad ſeruiendum in loco, qui dicitur Fons-Beſua, ac Monachis ibi degentibus, famulantibus Deo; quatenus libertas proueniret animabus eorum. Sed hoc fecit eo tenore, ea conditione, eo fœnore, vt ipſe, & ſucceſſores eius, fideliter cuſtodirent eleemoſynam, quam Comes regionis *Rainaldus* vnà cum ſua coniuge tribuit ſupradicto ſancto Petro. Nam quicquid in lucro aut negotio aliquid exinde potuerint lucrari, reddant ad veſtitum fratrum in camera ſupradicti loci. Et vt hæc ſcriptio firma maneret, in præſenti dederunt in recordatione huic Conuentui, vir duos aſinos, & eiuſdem viri vxor 10. ſolidos ad reſtaurandam caldariam. Similiter & vnam nauim dederunt. Nam nouerint Monachi ipſius loci, non eum habere alium Aduocatum, niſi ipſos,

Digitized by Google

ipſos, & ideo omni tempore eum in veſtitu, in calceatu, ac cibo ſemper gubernari. Et vt inſuſpecti manerent, anathematizauerũt ſeniores loci quicumq; in aliquo aut quippiam ei moleſtè fecerit, aut eius liberis, perpetuâ anathematizatione, ex authoritate Dei, ſanctíque Petri, ob cuius amorem ſe tradidit ipſe Lambertus ad ſeruiendum, niſi ſatisfactio facta promeruerit veniam. Teſtes huic ſubſcriptioni omnes habitatores ſancti loci ipſi ſunt. *Aldo* Præpoſitus, *Humbertus*, *Vuido* Decanus, *Orbertus*, *Nectleus*, *Rainerius*. Hæc enim acta ſunt tempore Vuillelmi Abbatis, ac præpoſiti loci, Benedicti nomine.

Carta de Talamaro.

PEruerſorum calliditas dolos corde machinantium, exigit vt res decretæ litterali tradantur ſcedulæ, ob cautelę ſtudium, & munimen ſequentium. Quos ita ſæpe leuis circunuoluit inconſtantia, vt etiam teſtimoniali manu roborata, ſiniſtrorſum ſubdolâ certent refragari ſolertiâ. Talium præcauentes verſutias fratres loci Beſuenſis, ſub Domni Abbatis *Guillelmi* excubantes regimine, deſcripſimus conuentionem, quam fecimus cum Parrochianis villæ Talannaci, de atrio Eccleſiæ ſancti Valerij. Timentes enim hoſtiles impetus, ad nos venêre vnanimes, poſcentes ipſum atrium ſibi dari in auxilium, ad conſtruenda domicilia, & condendi propria. Horum itaque euicti importunitate, atrium in commune cenſûs ſub ratiocinio indulſimus; eo videlicet conditionis ordine, vt qui ſenum pedum vel 7. menſuram vſurparet in dominio, duorum, qui verò aut duodecim, aut tredecim, quatuor denariorum cenſum die feſtiuitatis ſancti Benigni ſolueret. Qui verò ſtatutum tranſiret terminum, iam ſciret cum vſura ſecundum legem reddendum.

Carta de Luco Ibuxiaco.

QVædam fœmina, *Hildegardis* nomine, pro remedio animæ ſuæ, & viri ſui, filiorúmque, ſcilicet *Norgaudi*, & *Heldeberti*, tradidit hanc terram cum appenditiis ſuis, quam iure hæreditario poſſidere videbatur, Monaſterio ſan-

ctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt ſitum in loco, qui dicitur Fons Beſuæ. Et vt profuturum poſteris foret, & firmiùs crederetur, litteris aſſignare rogauit.

Igitur in Buſſiaco villa 4. ſunt curtilia, 2. ex vna parte fluuij, qui dicitur Tila: & alia 2. ex alia parte eiuſdem fluuij. Ex vno latere eſt terra ſancti Saluatoris, ex alio terra Gibuini; ex vno capite currit prædictus fluuius, id eſt Tila: ex alio eſt via publica. Iuxta autẽ alia duo curtilia, quæ ſunt ex alia parte eiuſdem fluuij: Ex vna parte eſt terra Girardi: ex alia terra Gibuini, ex vna fronte terra prædicti Girardi ex alia ſæpe dictus currit fluuius. In Luco autem Villa ſecus pontem curtile vnũ: ex omni parte eſt terra eiuſdem prædicti Monaſterij. In eadem verò villa eſt & aliud curtile, ex vna parte terra ſancti Petri; ex alia terra Vuillerij, ex vna fronte via publica, ex alia ſæpe dictus fluuius.

Item in alia villa, Luco dicta, ad ſanctum Martinum, 2. curtilia; ex vna parte eſt quidam exitus ad aquam pergendi; ex alia eſt terra ſancti Leodegarij; ex vna fronte currit Tila: ex alia prædicta via. Item in iam dicta villa Luco ad pontem ſunt 3. curtilia modica, ex omni parte eiuſdem Monaſterij terra conſiſtit. Item in eadem villa vnum curtile, ex vna parte eſt terra Giraldi; ex alia terra ſancti Saluatoris, ex vna fronte tenet ipſum Monaſterium; ex alia fluuius iam iámque vocatus. Item in eadem villa vnum curtile ex duabus partibus terra ſancti Leodegarij; ex vna fronte terra Gibuini; ex alia ſæpe dictus fluuius.

Hæc ergo ſupradicta *Heldegarda* cum prædictis filiis, iam dicto contulit Monaſterio, & fideli ſubſcriptione legitimis teſtibus corroborauit, Regnante *Roberto* Francorum Rege. Contulit nihilominus cum omnibus his prædictis curtilibus, omnia quæ ad ipſa pertinent: id eſt prata 4. terras arabiles & paſcua, & cuncta quæ hæreditario iure poſſidebat in his prædictis tribus villis.

Carta de Lu, & Fracto monte.

ITem alia quædam fœmina, *Heremburgis* dicta, pro anima ſua, animabúſque ſeniorum ſuorum ſeu filiorum, dedit

Deo, nec non ſacro ſanctæ Eccleſiæ, in loco qui Beſua dicitur, in B. Petri Apoſt. honore dicatæ, quaſdam res iuris ſui ſcilicet colonicas 4. ſitas in pago Lingonico. Quarum in villa, quæ dicitur Lu, ad ſanctum Martinum tres ſunt.

Has igitur tres cum ſeruis ſupermanentibus iam dictę dedit Eccleſiæ, eo pacto, vt in vita ſua iure Vſuario eas poſſideret; poſt obitum verò ſuum ad Rectores illius Eccleſiæ perueniant. Alia autem colonica ſita eſt in eodem pago, in villa quæ dicitur Fractus-mons. Hanc iam dictæ Eccleſiæ in veſtitura tradidit, vt Rectores eiuſdem loci teneant & poſſideant. Nomina verò ſeruorum, & ancillarum his in terris degentium, hæc ſunt, Stephanus & vxor eius Deodata, & filij eorum Mainardus, Leotaſius, Danucia, Ermengarius, Rainardus, Ernincia, Mainardus, Bernardus, Fulgerius, Rotrudis, Oloſma.

Has igitur cum ſeruis & omnibus appenditiis ſanctæ Eccleſiæ prædictæ, cui D. Guillelmus Abbas præerat, iam dicto Conuentui conceſſit, pro his quorum ſuperiùs memoriam feci, nec non pro anima *Leudonis*, qui ei has contulit. Signum *Heremburgis*, quæ fieri, & firmare præcepit. Signum *Lebaldi* Præſulis. Sig. *Adalardi* Preſb. Sig. *Ioannis* Leuitæ. Sig. *Haymonis* Leuitæ. Sig. *Conſtantini*. Data per manum Rannulfi Leuitæ vi, feria primo die menſis Ian. Regnante *Roberto* Rege.

Item alia.

QVidam Miles vocabulo *Hirmuinus*, Beſuenſe adiens Monaſterium ex conſenſu vxoris ſuæ, nomine *Bertilæ* dedit ad ipſum locum pro amore ſancti Petri, ac ſancti Prudentij, nec non & pro remedio animæ cuiuſdam filij ſui, nomine, Hirmuini nuper defuncti, quendam ſeruum vocabulo Euuardum, cum vxore ſua, nomine Stephana, & infantibus illarum; eâ ratione, vt tam ipſi, quàm omnis poſteritas illorum, ab ipſa die in ſeruitio & dominatione Monachorum iam dicti Monaſterij iure hæreditario pertineant, nullo contradicente, neque calumniam faciente.

Carta de Flaciaco.

ALius Miles, *Hugo* nomine tradidit ſancto Petro pro ſepultura vxoris ſuæ *Vuandelmodis*, & pro remedio animæ eius manſum vnum, in vico qui Flaciacus dicitur, cum omnibus appenditiis ſuis, terris ſcilicet arabilibus, ſyluis, atque pratis. Et vt hæc donatio nulli vnquam calumniæ pateat, ſed iugiter inconuulſa permaneat, hanc Cartulam altari eius ſuperpoſuit, & eam manu ſuâ firmauit, roborandámque teſtibus fidelibus tradidit.

Carta de Beria.

NOtum eſſe volumus omnibus fidelibus, tam futuris, quàm præſentibus, quòd quidam Miles, *Milo* nomine; de villa, quæ dicitur Beria, Domni Vuillelmi Abbatis, qui huic Monaſterio Beſuenſi præeſſe dignoſcebatur, ac Domni *Benedicti*, qui poſt ipſum Prioratus officio fungebatur, clementiam adierit, poſcens ſibi de rebus eiuſdem Monaſterij in beneficio donari, promittens ſe in omnibus iam dicti Monaſterij ſeruitiis ſubditurum, eiuſque vtilitatibus pro poſſe omnimodis profuturum. Qui cùm in precibus ſuis, tam per ſe quàm per ſuos internuncios aſſiduus præſtaret, eius coactus poſtulationibus iam dictus Prior Dom. Benedictus, ex conſenſu ſupradicti Domni Abbatis Vuillelmi, dedit ei tertiam partem Eccleſiæ prę ſcriptę villę, Beriæ ſcilicet, parte alterâ retentâ. Nam tertiã Preſbyter pro ſeruitio tenebat. Dedit etiam ei manſum vnum in vico, quod dicitur Alta-villa, & vnum quartarium in villa, quæ dicitur Iuuenalis, & vnum iugerum de vinea in villa, quæ dicitur Curtis Adonis. Eâ tamen conuenientiâ vt hoc ipſum beneficium diebus vitæ ſuæ teneret: poſt obitum verò ſuum nec filius eius, nec filia, aut aliquis ex eius parentela, ſe de eo intermittere, aut præſumere auderet, niſi eis bona voluntate, aut gratanti donatione Abbatis, aut Monachorum eius concederetur. Quam conuenientiam in perſona ſua, ac filij ſui Aduini ſub iure iurando firmauit, præſente ipſo filio ſuo, ac gratanter conſentiente.

Digitized by Google

Cui rei etiam fideles teſtes adhibuit, quorum hæc ſunt nomina: *Odo*, *Rotbertus*, *Vuido* Decanus, *Luitprannus*, *Aldo* Præpoſitus, *Albertus* Monachus, *Rotbertus* Monachus.

De obitu Brunonis Epiſcopi.

QVia longum eſt enarrare cuncta, quæ huic loco collata ſunt tempore *Brunonis* Epiſcopi ad ipſius vitæ finem veniamus. Sed ante paucis deſcribere curabimus quis fuerit modus vitæ eius.

Fuit itaque in eleemoſynis largus, &c.* *Ch. S.B. p. 415.

Anno ab Incarnatione Domini M. XVI. Domnus Epiſcopus *Bruno* obiit 11. Calend. Feb. peractis in Epiſcopatu annis xxxv. Cui ſucceſſit *Lambertus* Epiſcopus, & ipſe augmentator bonorum huius loci deuotus.

Carta de Noua-villa.

IN cuius diebus, quidam *Henricus*, & filius eius *Vilgerius*, & vxor ſua nomine *Aduldis*, ſepulturam ſunt adepti in Monaſterio ſancti Petri Beſuenſis. Ex hac videlicet cauſſa, quòd villam Nouæ-villæ, quam tenuit pater eius in beneficium, reddiderint ſancto Petro pro remedio animarum ſuarum. Ne autem hæc redditio fruſtraretur, dedit ei Domnus *Benedictus* prior, manſum vnum in villa, quæ Corcellis vocatur, tempore vitæ ſuæ, & poſt obitum eius rediret ad ſanctum Petrum. Hoc autem ne oblitteraretur, Monachis ſibi tunc cognitis decedentibus, his litteris ſub teſtificatione priorum manifeſtandum rogauit poſteris adnectendum. Et hoc vt ſicuti fratrum defunctorum anniuerſaria dies celebratur, ita & ipſius celebretur. *Humbertus* Clericus Tilecaſtri teſtis. *Vuido* Decanus teſtis, & alij multi.

Item Alia.

IN nomine ſummæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Notum eſſe omnibus volo, quòd ego *Henricus*, quicquid ſanctus Petrus in Noua-villa videtur ha-

habere, quondam in beneficio tenueram, ſed à *Brunone* Epiſcopo ſublatum Monachis eſt reſtitutum. Sed ego poſt mortem Brunonis reſancciui; vnde Abbas *Vuillelmus* indignatus cum Monachis verſis ad Lambertum Epiſcopum clamoribus compulſus ſum nouam villam intermittere. Poſteà verò præſumptione in humilitate mutatâ, ipſum Lambertum Epiſcop. promerui adiutorem, quo intercedente ipſam terrã quæ tribus manſis, & dimidio diuiditur, hac conditione Monachi mihi reddiderunt, vt retentâ coruatâ ſuis vſibus, & Dauid, & filio, & Rainaldo, cum terra, quam tenent, alios iornales haberent,* & carroperam, & cenſum cum Eulogiis. Monachi verò de hominibus receptum & placitum reciperent, cum quo etiam quicquid ſuper tria manſa & dimidium in ipſa villa inuentum eſt. Quicquid etiam *aſſum eſt, & in curtilis & terra arabili, pratum quoque indominicatum, & ſyluam & molendina. Hoc etiam meâ promiſſione firmatum eſt, vt ab hominibus præter legalem cenſum terræ nec occaſione hoſpitij, nec noua neceſſitate aliquid exigerem. Quod ſi præſumerem, iterum terram perderem, niſi Monachos ſatisfactione placarem.

*Carroperã, hoc eſt vecturam.

* ſolum

Huius igitur terræ indulto ſeruitio militari, nihil aliud à me exigitur, niſi continua defenſio contra prędatores, & fraudatores eiuſdem Eccleſiæ. Sed ne in hoc viderer grauari non contra potentiores, ſed contra æquales mihi genere, & poteſtate, & contra inferiores mihi in vtroque; in qua defenſione ſi negligens comprobabor, iterum perdendi terram conditione conſtringor.

Hanc ergo terram Nouæ villæ hac conditione receptam cum omni alia, quam ex parte ſancti Petri habebam, id eſt, Monaſteriolum cum Eccleſia, in ipſo alodo ſita, & in fracto monte manſum vnum, & in Vuainart dimidium manſum. In Manneio quoque quartarium vnum pro remedio animæ meæ, in ius ac proprietatem præbendæ Monachorum retrado; & omnes poſteros meos alieno, & in omnibus bonis, quæ ex parte S. Petri pro beneficio tenui, ne ius hæreditarium requirant, exhæredo, & ad excludendam requirendæ hæreditatis occaſionem, omne quod habui per hanc cartæ Notitiam coram poſitis teſtibus reddo.

Digitized by Google

Ego quoque *Lambertus* Lingonicæ sedis Episcopus, huius redditionis testis adsisto. Et quia mea dispositione id actum est, vt ad præbendam Monachorum redeat Noua villa, & omnis alia terra, quam *Henricus* tenuit in beneficio, gratanter confirmo. Et ne vlterius beneficiali more post obitum Henrici ab vsibus Monachorum subtrahatur, interdico; & authoritate Patris, & Filii, & Spiritus sancti cum inuocatione S. Petri Apostolorum Principis consentientes & subtrahentes excommunico. Sig. *Lamberti* Episcopi. Sig. *Beraldi.* Sig. *Rotgeri.* Sig. *Vuidonis.* Ego *Henricus* propriâ manu firmo, testésque adhibeo. Sig. *Girardi* Comitis. Sig. *Milonis.* Sign. *Oldebranni.* Acta sunt hæc Tilecastro publicè, præsente Domno Lamberto Episcopo, Anno ab Incarnat. Domini nostri IESV CHRISTI M. XVII. Indict. xv. Regnante *Rotberto* Francorum Rege, mense Febr.

Carta Fontis Vennæ.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Omnibus Orthodoxæ fidei cultoribus. Luce clarius patet humanum genus tam diabolica seductione, quàm propriæ naturæ fragilitate Creatorem suum quotidie offendere, eiúsque iram inceſſanter irritare, iuxta illud Apostolicum: *In multis offendimus omnes*, & si omnes, quod verum est, offendere dicit, neque cautos, ac perfectos à generalitate offendentium excludit, quantò magis nos omninò sæculares, qui Dominicorum vix præceptorum meminimus, in quorumque actibus, nihil penè nisi peccatum cognosci potest, offendere credere debemus? Multa enim mala scienter perpetramus, & in multa ignoranter incurrimus, de quibus necessitas magna instat, vt antequam ad districti iudicij tribunal duci cogamur, quomodocúmque absolui laboremus Et quia Dominicis, & Euangelicis verbis receptorem Prophetæ & iusti, mercedem Prophetæ & iusti accipere instruimur, si quem Dei seruitorem, quod nomine iusti sonare videtur, receperimus, aliquantulùm offensarum nostrarum sarcinam leuiare existimamus. Sed ne diutiùs in loquendo moremur, iam cœptorum intentionem ad medium deducamus.

Monasterium condit Girardus Fontis-venæ Dominus.

propriâ manu firmo. Quam petitionis firmationem, ſiue conuentionem, ac ſcriptionem, ſi quis peruerſa mente deceptus aliter mutare, aut penitus euertere exorſus fuerit, anathematis ęterni, & perpetuę maledictionis vinculo vulneratus, ac legis rectitudine conuictus, centum auri libras perſoluat, & quę in iſta Carta continentur, inuiolata permaneant. Ego *Lambertus* Lingonicę ſedis Epiſcopus, vt ſit memorabile ſęculis, hãc cartam fieri iuſſi, & ſignaui. *Beraldus* Sueſſionis ciuitatis Epiſcopus ſignauit. *Beraldus* veteranus Archidiaconus & Abbas ſigna. *Girardus* Comes Fontis-vennę ſig. *Bruno* Archidiaconus ſig. Alius *Girardus* ſig. *Hugo* Comes ſig. *Oddo* Archidiaconus & Abbas ſig. *Vuido* ſig. *Rotgerius* ſig. *Hugo* Cappellanus ſig. Item *Hugo* ſig. *Rainoldus* ſig. Acta publicè Lingonas, Anno ab Incar. Dom. M. XIX. Indict. II. Epacta XII. Concur. III. menſe Maio. Regnante Rotberto Francorum Rege. Ego *Odolricus* dictaui ad vicem Beraldi Cancellarij, die Iouis ſcripſi, & ſubſcripſi.

Item Alia.

IN nomine ſanctę & indiuiduę Trinitatis. Ego *Girardus*, Notum volo eſſe omnibus fidelibus adhuc in carne degentibus, & in futurum venientibus, me cum *Gertrude* vxore mea quandam partem hęreditatis meę, Lamberto Epiſcoplo in excambio per vnum conuentum dediſſe.

Erat quædam campeſtris terra ſubtus meum caſtrum quod Fons venti vocatur, in qua Monaſterium conſtruere volebam. Videns ergo hoc me non poſſe adimplere, ſine Epiſcopi licentia, tantumdem terræ dedi ipſi Domno meo pro eodem loco in villa, quæ dicitur Arcuncurtis. Terminatur autem ipſa terra in fronte terra ſancti Petri Genouenſis Eccleſiæ, & circumquaq; hæreditas mea noſcitur cumiacere. Tali verò tenore tradidi, vt locus ille, in quo ſedes conſtructa eſt Monaſterij, in honore ſancti ſepulchri, & ſanctæ *Mariæ* ſemper Virginis, Abbatię Beſuenſi ſancti Petri ſemper ſubiaceat, & ſub Abbatis poteſtate permaneat.

Si quis ergo contra hoc factum (quod non ſpero per Dei gratiam futurum) ex hęredibus noſtris aliquam calumniam

inferre tentauerit, coactus legibus in fiſcum Regis perſoluat vnam libram auri. Hęc autem traditio omni tempore permaneat firma, & ſtabilis, quam propria manu firmaui & firmandam tradidi teſtibus ſubſcriptis. Sign. *Girardi.* Sign. *Gertrudis.* Sign. *Girardi* Clerici. Sign. *Humberti* filiorum eorum. Sig. *Haimonis.* Sig. *Otberti.* Sig. *Nocheri.* Sig. *Aymonis.* Sig. *Arluini.* Sig. *Nerduini.* Sig. *Vuillelmi.* Sig. *Lentilli.* Sign. *Arulfi.* Sig. *Otberti Normanni.* Sig. *Teubaldi.* Acta ſunt hæc Lingonis XVI. Cal. Maij, Indict. II. Regnante Rege *Rotberto* XXXII. anno. Et Hugone filio eius III. Ego Odolricus dictaui ad vicem Beraldi Cancellarij die Iouis ſcripſi, & ſubſcripſi.

Carta de Arcionis Curte.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Manifeſtum iri cupimus tam præſentibus quàm futuris, quòd ego *Lambertus* gratiâ Dei Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, dedi Deo & Monaſterio ſancti ſepulchri, & ſanctæ *Mariæ* quod eſt conſtructum ante caſtellum Fontis-vennæ à Girardo & *Gertrude* vxore eius in terra caſamenti noſtri, me laudante, terram Arcionis curtis, quam mihi ipſe *Girardus*, & vxor eius pro commutatione terrę caſamenti noſtri, in qua Monaſterium ædificauerant, reddiderunt. Ergo illis rogantibus tradidi eam liberam Deo, & ſancto ſepulchro, & ſanctę *Mariæ*, & ſancto Petro, ad Monaſterium Fontis vennæ, eo tenore vt ipſe particeps fiam eorum eleemoſynæ. Et quia ipſa terra de poteſtate Louuncurtis erat, ſeparauerunt eam ab ipſa poteſtate, & ex toto liberam fecerunt, vt nullus miniſterialium ipſius poteſtatis in ipſa terra ampliùs præſumat accipere, aut tollere, & homines, qui in ipſa terra habitauerint, ſyluam ipſius poteſtatis ad ædificandas domos & faciendum ſibi focum, ſicut ante, vtantur, & paſtionem ad ſuos porcos, & alias beſtias, quas habuerint, conſuetudinaliter ſimiliter vtantur. Et quicumque pro ipſa ſylua, aut pro ipſa poteſtate aliquid demandare præſumpſerit, perpetua maledictione, & excommunicatione feriatur. Sig. *Lamberti* Epiſ. Sig. *Girardi.* Sig. *Geretrudis.* Sig. *Humberti* patris Theoderici. Sig. *Haymonis* patris Vuidonis Burgundionis villę. S. Haymonis patris Manaſſe.

Digitized by Google

Carta Helprici curtis.

IN nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ego *Lambertus* gratiâ Dei Lingonenſis Præſul. Notum cupio fieri omnibus Chriſtum Deum verè credentibus, quòd cùm quadam die eſſem apud Lingonas, & pro modulo cum meis tractarem Clericis, ſimul & Catholicis Laïcis, de ſtatu S. Matris Eccleſię confirmando, & de religionis deprauatæ vigore recuperando: ecce quidam Beſuenſis Cœnobij fratres meis ſe ſe præſentauere obtutibus, ſupplicibus efflagitantes precibus, quo eorum neceſſitudini charitate fraternitatis compatiens, altare Eccleſiæ Helprici Curtis concederem ad ſupplementum præſentium ac futurorum fratrum. Cuius petitionis imploratione auditam incunctanter ſtudui rebus adimplere, quoniam ſubſidio fulciebatur mercedis futuræ.

Conſentientibus itaque Lingonenſis Eccleſiæ Clericis pariter ac fidelibus Laïcis: B. videlicet Præpoſitus, nec non & L. Archidiaconus, in cuius ſupra dictum eſt altare miniſterio, Beſuenſi Eccleſiæ prælibatum altare æternæ retributionis gratia ad fratrum releuandam neceſſitatem tradidi, eâ conditione, vt obſequia noſtræ ſedi debita, temporibus congruis perſoluantur. Inter cæteros præſens aderat Miles quidã *Humbertus* nomine, in cuius beneficio altare prędictum videbatur ſitum. Hic Dei gratiam conſequi deſiderans beneficiũ illud fratribus eiuſdem loci conceſſit, dicens: Ego Humbertus ob omnipotentis Dei amorem, & animę meæ ſaluationem dono ſancto Petro, & fratribus Beſuenſis cœnobij beneficium Eccleſiæ Helprici-curtis, conſentiente mea coniuge, *Hiſtiburge* ſcilicet nomine, & *Siguino* filio meo, perpetuo iure poſſidendum, ita vt ab hac die ſuis vſibus illud adtribuant, & inde ſubminiſtrent, & licentiam faciendi quicquid inde ſibi placuerit habeant. Si quis verò hæredum meorum, quod abſit, huic donationi calumniam inferre tentauerit, legibus coactus auri libras decem perſoluat; & hęc donatio firmitatis, & ſtabilitatis vigorẽ perpetuò obtineat. Actum Lingonis publicè VI. Id. Ian. Ind. V. Anno Incar. verbi M. XXII.

Regnante Rotberto. Signum *Lamberti* Epiſ. Sig. *Brunonis* Archiclaui. Sig. *Girardi.* Archid. Sig. *Humberti* Archid Sig. *Oddonis.* Decani. Sig. *Anſculfi* Preſbyteri. Sig. *Hugonis* Preſbyteri. Sig. *Conſtantij* Preſb. Sig. *Mauricij* Preſb. Sig. *Vuidonis* Laici. Sig. *Gotzelmi.* Laici. Sig. *Odolrici.* Laici. Sig. *Vuidonis* Laici. Sig. *Rotgerij* Laici. Sig. alterius *Rotgerij.* Sig. *Humberti.* Sig. *Siguini* filij eius.

Carta de Vetus-vineis.

NOtum ſit fidelibus Chriſtianis, præſentibus, & futuris, poſt conſtructionem Beſuenſis Cœnobij ab *Amalgario* Duce in honore Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, non paruæ amplitudinis prædia inibi ab eo collata: cum quibus & alodum quod dicitur ad Vetus-vineas conceſſit. In quo loco ſeruorum Dei aggregans multitudinem ſub regulari diſciplina viuere paratos, filium ſuum eis prefecit nomine *Vuandalenum.* Poſt multorum verò temporum curricula, partim inuaſione hoſtium, partim irruptione Hunorum, à quibus idem locus quinquies traditur concrematus, nec minùs incuriâ Pontificum vt priùs augmentum, perpeti cœpit detrimentum, donec *Betto* Lingonenſem promeruit adipiſci ſedem; qui quandiu rebus humanis interfuit, vt idoneus Paſtor prefuit. Quo decedente *Albericus* ſucceſſor eligitur. Quique per viſitationem Apoſtolicam, diuinâ ſibi opitulante miſericordiâ, ipſum locum in priſtinum reparauit ſtatum. Nec non ſuis ampliauit donis, diúque in honoris perſeuerauit ſtabilitate, & Religionis. Poſteà autem vtrum gratiâ beneficij, an præſumptionis, Vetus-vineas quidam *Hugo* tenuit: Quo defuncto iterum locus reſumpſit, & quietam ac ſolidam tempore *Brunonis* Lingonenſis Epiſcopi poſſedit. Poſt cuius deceſſum, ſicut cætera loca ſanctorum, locus Beſuenſis in direptionem cecidit. Tunc qui videbantur pacifici, prædones ſunt effecti. Inter quos quidam *Gerardus*, & frater eius *Lambertus*, de progenie ſupra-ſcripti *Hugonis* progeniti, quaſi iure hæreditario Vetus-vineas inuaſerunt. Sed cùm tali inuaſione nihil proficerent, tandem conuicti iuſtitia, loco ſponte reſtituerunt. In qua reſtitutione, ſi qua ſibi ab ante-

Digitized by Google

teſſoribus rectitudo videretur, ſponte indulſerunt, tam pro remedio animarum ſuarum, quàm parentum ſuorum, & pro promerenda indulgentia, Prædę porcorum, & arſuræ Fielinx villæ quam iniuſtè fecerunt, adhibitis teſtibus, qui reſtitutionem viderunt, & ſatisfactionem. Et vt hæc reſtitutio, & ſatisfactio memorialiter permaneat, hanc notitiam fieri petierunt, manu ſuâ, & horum teſtium corroboratam. Sign. *Girardi.* Sig. *Lamberti,* qui hanc Cartam fieri petierunt. Sig. *Heluidis* matris eorum. Sign. *Vuidonis*, & vxoris eius. Sign. *Vualterij* Clerici. Sig. *Vuidonis* Decani. Sig. *Oddonis.* Sig. *Rotberti.* Sig. *Erlebaldi.* Sig. *Aldonis.* Actum publicè apud Diuionenſe caſtrum XIII. Cal. Mart. Anno ab Incarn. Domini M. XXIII. Regnante *Rotberto* Rege.

Item alia, & de Tuſleto.

QVædam mulier nomine *Ezelina*, vxor *Nerduini* Militis, Tradidit vnum manſum pro redemptione animæ præſcripti mariti ſancto Petro Beſuenſi, in villa, cui vocabulum eſt Vetus-vineis, cum vno ſeruo, & cum omnibus, quæ ad ipſum manſum pertinent. Dedit etiam ad Tuſleium vnum manſum in quo ſunt quatuor iugera, & de terra arabili 29. & pratum ad vnam carratam. Vt hęc donatio in perpetuũ firma ſit, & ſtabilis, his ſubſcriptis teſtibus firmauit, & firmare rogauit. Hi ſunt *Gibuinus* frater ſupradicti Militis, *Bernardus*, *Aldo.* Reddidit etiam ſaluamentum de villa, quæ vocatur ad Septem-fontes, quæ iam ſancto Petro fuerant. Acta publicè Beſua anno ab Incar. Domini M. XXVII. Ind. x. Epacta XI. Conc. VI. Menſ. Octob. Regnante *Rotberto* Francorum Rege. 1027.

Carta de Flaciaco.

QVidam etiam homo nomine *Haymo*, vnum manſum cum omnibus appenditiis ſuis, terris ſcilicet arabilibus, ſyluis atque pratis, in vico, qui Flaciacus dicitur, Monaſterio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctíque Prudentij Martyris dedit, quod eſt ſitum in loco qui dicitur Fons-Be-

Digitized by Google

ſuæ. Et vt hoc profuturum poſteris foret, & firmiùs crederetur, litteris adſignare rogauit ſub legitimis teſtibus, Anno ab Incar. Domini ſupradicto. Hi ſunt teſtes. Sig. *Bernardi.* Sig. *Odonis.* Sig. *Rotberti.* Sig. *Aldonis.* Sig. *Hugonis.*

De obitu Abbatis Vuillelmi.

SVnt adhuc plurima, quæ deſcribi poſſent, ſed his omiſſis obitum patris Vuillelmi intimare curamus, &c.* * *Ch. S. B. p. 458.*

Ipſo eodem tempore quo Rex *Rotbertus*, Monarchiam Regni tenebat, cùm audiſſet in partibus iſtis quoſdam exiſtere, qui circumquaque res alienas violenter diripientes, vt liberiùs impunéque retinerent, firmitates, & caſtella noua ſibi conſtruxerant, cum copioſo, vt regem decebat exercitu, Miribellum ad expugnandum & diruendum aduenit: erat enim illud vna ex manſionibus raptorum: quod & Deo fauente in breui effecit. Sed dum ibi obſideret, nuncius aduenit, dicens patrem noſtrum Vuillelmum Abbatem ab hac vita deceſſiſſe.

Nolens itaque *Rotbertus* Rex locum iſtum diu ſine paſtore manere, ne lupi rapaces gregem inuaderent, Domnum *Vlgerium*, qui tunc vicem Prioris ſub Abbate Vuillelmo tenebat, huic loco Abbatem ſubſtituit. Obiit verò prædictus pater noſter *Vuillelmus* anno ab Incar. Dom. M. XXXI. &c. * * *Ch. S. B. p. 459.*

De Abbate Vulgerio.

HVius itaque *Hugonis* ordinatione inſtante, cùm eſſet deductus ab *Henrico* Rege iuuene ad ciuitatem Lingonas cum magna ambitione, nunciata eſt Regi mors patris ſui *Rotberti* Regis. Qui regnauit annis XLI. & ipſe Henricus Regni VI. iam annum agebat. Supradictus verò Epiſcopus cùm ſuſcepiſſet Epiſcopatum, non fuit, vt decuiſſet, circa Dei Eccleſias ſollicitus augmentator, ſed è contrario negligens, & diſtractor. quapropter cùm huic loco multas importunitates inferret, & exactiones inſolitas, & Domnus *Vlgerius* Abbas nullomodo ei vellet adſentire, ipſe *Halinardum* Diuionenſem Abbatem, huic loco conſtituit Abbatem. Qui

Digitized by Google

veniens cum ſuis Monachis per violentiam Hugonis Epiſcopi Domnum Vlgerium Abbatem noſtrum, cum quibuſdam ex noſtris Monachis captos Diuionem duxit. Suos autem Monachos hic dimittens, non ad conſeruandum, & ædificandum, ſed ad deſtruendum, & diripiendum quæ intus erant, locum iſtum eis contradidit. Quod poſteà claruit, nam quadam vice ſimulantes ſe ituros vt vinum deferrent, vas vinarium, quod tunnam vocant, plauſtro ſuperponentes, ornamenta cum libris & theſauri maxima parte in vaſe illo repoſuerunt. Sed huius villæ homines hoc intelligentes, maximè ex eo, quia tunna erat nimis ponderoſa, eam aperiunt, & res noſtras intus inuenientes, retinuerunt. Ferunt quidam ex noſtris tunc temporis, exceptâ aliorum ornamentorum non minimâ quantitate XVII. cappas, cum textu Euangeliorum, & cruce precioſiſſima, Diuionem à Monachis illis deportatas.

Monachi Beſuenſes vi expelluntur.

Factum eſt autem dum Domnus *Vlgerius* Abbas ita Diuioni haberetur, Monachi illius, qui ex hoc loco diſperſi fuerant, notificauerunt ei, quatinus ad exeundum de Monaſterio ſe præpararet. Illi verò mittentes ei equos cum quibus aufugeret, competenti loco collocauerunt. Quo comperto ipſe de Monaſterio exiens, equos aſcendit, curſúque perpete caſtrum illud, quod iuxta nos eſt, Bellimontem dictum, expetiit. Vnde ipſe cum ſuis Monachis, Diuionenſes, qui malè locum iſtum inuaſerant, expugnans, vellent, nollent, ad propria redire coegit. Ipſe autem Eccleſiæ ſuæ redditus & locum iſtum poſteà diu bene, ac regulariter gubernauit.

Carta de Mornaldo.

CVlpâ primi parentis faciente, accidit eius generi poſt ipſum, vt qualis ipſe extitit, tales poſt ſe natos relinqueret. Qua de re ſicut ipſe miſeriâ non caruit, ita omnes miſeros genuit: & ſicut ipſe oblitus eſt beatitudinis à Deo ſibi conlatæ, ſic omnes homines obliuioſos reddidit. Quia ergo obliuioſum eſt animal, & ſæpè labefactari poſſunt cauſæ rerum geſtarum à mente humana, niſi atramento ſcribantur, & cartarum apicibus inſerantur, quibus futuri ea quæ

Digitized by Google

vel viſu, vel auditu non didicerunt, harum exemplis eruditantur: Idcircò nos quæ temporibus noſtris acta ſunt, & priſcorum ſenectus meminit, notificanda intimamus.

Omnibus itaque notum eſſe volumus, præſentibus & futuris, qualiter quandam terram in villa Mornado ſitam, quæ iure ſancto Petro debebatur, tres fratres his nominibus, *Vuido*, *Odilo*, *Anſericus*, ſanxiuerunt. Nam tempore Brunonis Epiſcopi extitit quidam Miles, *Lezelinus* nomine, qui ipſam terram contra ius ipſius Epiſcopi & ſeniorum loci ſuprà ſcripti tenere voluit, quod videlicet nequiuit. Poſt hunc extitit alius *Humbertus* cognomine, qui ipſam terram ſimiliter inuaſit: qui ad obitum veniens, reddidit ad limina ſanctorum Petri & Pauli loco iam dicto, quæcumque in ipſa terra tenere videbatur, ſiue iuris ſui, ſiue iniuſtè ablata, omnia reddidit per caligulam ſuam, quæ vulgò oſa dicitur, quam impleuit de ipſa terra, & virgulam de viridario ſumpſit ad teſtimonium; quæ videlicet tranſmiſit pernuntios ſuos, ſed per incuriam non admiſſa fuerunt ſancto loco.

Hinc ergo fratres ſupra ſcripti hęreditari cupientes, terram inuadunt, quaſi à proauis ſibi dimiſſam, & vt eis libitum fuit, agentes, multáque vi inſiſtentes, contra voluntatem ſeniorum loco ſancti Petri degentium, conati ſunt agere, quod & fecerunt. Attamen illi non deſtiterunt à propoſito voluntatis ſuæ, tam per ſemetipſos, quàm & per Principes regni ſemper clamantes, & iniuſtam eorum calumniam patefacientes. Tandem Deo volente, & ipſis reſipiſcentibus, cum conſilio ſuorum ſeniorum, adierunt ſimul limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, pœnitentiam agentes, ibique quicquid in ſupradicta terra tenere videbantur, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, omnia contulerunt ad ipſum locum eo ſcilicet tenore, vt poſt obitum eorum ipſa terra in teſtimonium ſit ſepulturæ, & ſocietatis eorum, quam & pro hoc reddiderunt. Inſuper etiam aliam terram ſitam in villa Oſiliaco dicta, quæ in conuadio contra ipſos erat, illis reddiderunt ſeniores loci ſuprà ſcripti. Actum eſt publicè Beſua Monaſterio, die feſto ſancti Benedicti Abbatis videlicet XII. Cal. Apr. Anno I. ordinationis D. Vlgerij Abbatis Sig. *Hugonis* Comitis Belmontis, qui hanc redditionem fieri iuſſit. Sig. *Oddonis* nepotis eius.

Vuidonis

Digitized by

Vuidonis Decani. *Vuillerij*, *Odonis* Militis. *Leutpranni*, *Aldonis* Præpoſiti. Et hæc nomina fratrum. Sig. *Vuidonis*, *Odilonis*, *Anſerici*.

Carta de Fracto Monte.

PRæſentium ac futurorum pro certo Charitas agnoſcat, quod *Milo* quidam de Tilecaſtro dedit ſancto Petro, ſanctóque Prudentio, pro remedio animæ ſuæ apud Fractum montem, vnum manſum, ad quem appendunt 9. iugera de terra aratoria, & vna ſectura prati. Et vt hoc profuturum poſteris foret, & firmiùs crederetur, litteris adſignare rogauit ſub legitimis teſtibus. Anno ab Inc. M. XXVI. Ind. VIII. Ep. nulla concur. 4. Menſis Iulij, Regnante *Rotberto* Francorum Rege. Hi ſunt teſtes. Sig. *Vuidonis*. Sig. *Oddonis*, & fratris eius *Rotberti*. Sig. *Aldonis*, & filij eius *Milonis*. Sig. *Otberti*.

Carta de Beria.

HOc etiam anno *Milo de Beria*, dedit ſancto Petro in Monaſterio qui dicitur Fons-Beſuæ, pro remedio animæ ſuæ in ipſa villa vnum manſum; ad quem adiacent 9. iugera de terra aratoria, & vna ſectura prati, cum ſeruo nomine Lamberto, vxore, & infantibus. Teſtes *Vuido*, *Bernardus*, *Aldo*, *Lambertus*, *Grimeius*, *Romarus*, *Hugo* filius *Aldonis*.

Carta de Icio.

E*Linandus* etiam dedit vnum manſum ſancto Petro Beſuenſis cœnobij apud Icium, pro animæ ſuæ remedio, cum ſeruo nomine Teduino, vxore, & infantibus, ad quem appendunt 9. iugera de terra aratoria, & vna ſectura prati. Teſtes *Vuido*, *Hugo*, *Aldo*, *Stephanus*.

Item alia.

ODilo dedit ſimiliter in eadem villa ſancto Petro Beſuenſis Cœnobij vnum manſum, cum ſeruo nomine Anſaldo, cum vxore, & infantibus. Teſtes *Vuido*, *Aldo*, *Ber-*
Armannus, *Robertus*.

Digitized by Google

Carta de Beſueta.

Odonis Militis donum inſigne.

IN Dei omnipotentis nomine. Notum fore volumus quibuſque ſcire cupientibus, qualiter pro remedio animæ Odonis optimi Militis, atque elegantiſſimæ iuuentutis filij, videlicet *Nerduini*, ictu repentino interfecti, dederunt ad memoriam SS. Apoſt. Petri & Pauli, ſanctíque Prudentij Martyris in loco Beſuenſis Monaſterij, auunculus eius, *Hugo* videlicet Comes Belmontenſis, & ipſius *Odonis* vxor *Gertrudis*, fratérque eiuſdem *Hugonis* ſeruum nomine *Theodericum*: itémque alium nomine *Stephanum*, atque ancillam vnam nomine *Leutgardam*, cum omni ſucceſſione generis filiorum, & filiarum earumdem.

Item dederunt manſum vnũ liberrimi alodi permaximum, ſeu coloniam pergrandem in villa Beſueta, cum omnibus appenditiis, quæ ad ipſum manſum pertinent, id eſt, terris cultis, & incultis, & pratis, & curſus, & decurſus, & vſus aquarum, & vſus ſyluarum in gyro circumiacentium, tam circa Beſuam, quàm circa Vinzennam fluuios, quemadmodum prædictus Oddo, vel pater eius, ſeu auus, in vita tenuerunt, abſque vllo contradicente illorum generis, ſeu extranei. Debet enim prædicta terra per annos ſingulos, frumenti modios IV. & de tremiſſe modios III. & dimidium: & menſe Maio denarios VI. Deinde multonem, & porcum, & per vindemias carroperum, & vini ſextarium: & in Natiuitate Domini, vini ſextarios duos. Et vt ab hodierna die, & deinceps ſit in Dominium prædictorum ſanctorum Beſuenſis cœnobij, vt faciant Monachi inibi Deo deſeruientes quicquid illis vtilitatis meliùs videbitur, & placuerit.

Et vt hęc firma in omni tempore, & ſtabilis eleemoſyna, ſiue donatio maneat, cum voluntate parentum, & conſenſu omnium fideliũ noſtrorum publicè tangentes manibus propriis roboramus, & nomina noſtra, & præcipuorum noſtrorũ conſcribi facimus. Si quis verò, quod abſit, huic noſtræ factioni, quam pro Dei amore, & animæ chari parentis noſtri redemptione fecimus, in aliquo contrarius calumniator extiterit, iram æterni iudicis, eiuſque Clauigeri Petri ſentiet, ſi non cum ſatisfactione emendauerit.

Digitized by Google

Nomina firmatorum, qui hanc Cartam firmauerunt. Sig. *Hugonis* Comitis. Sig. *Letgardis* Comitiſſę. Sig. *Gertrudis*, vxoris Odonis Militis. Sig. *Gybuini*. Sig. *Richardi*. Sig. *Nerduini* filij eius. Sig. *Vuidonis* Archid. Sig. *Hugonis*. Sig. *Vuidonis* & *Odilonis*, & *Ioffredi*. Sig. *Bernardi*. Sig. *Bernardi* alterius. Sig. *Vuillerij*. Sig. *Richardi*. Sig. *Vlrici*. Sig. *Olgerij*. Sign. *Vuillenci*. Sig. *Humberti*. Actum Beſua, publicè, Anno ab Incar. Dom. M. XXXIV. Indict. II. Epa. XXVIII. Regnante Henrico Rege VIII. anno Regni eius. Menſe Nouemb. Ego *Heldemannus* Monachus, ſcripſi & ſubſcripſi.

Carta de Fontanellis.

QVidam Miles, *Richardus* nomine, mente non inconuenienter pertractans, & admodum timens, ſacri eloquij conſilio fretus, confidenter aggrediens illud: *Facite eleemoſynam, & ipſa orabit pro vobis, & omnia munda ſunt vobis.* Et, *Date, & dabitur vobis*, atque ſimilia. Vnde pro remedio animæ ſuæ cœleſti Ianitori, atque Apoſtolorum Principi ſancto Petro Beſuæ-Fontis donauit manſum vnum, in loco qui vocatur Fontanellas. Quod quidem coniux ſua, *Radmodis* nomine, & filius eius *Hugo*, fautores libenter conceſſetunt, immò ampliùs etiam ſe daturos ſancto loco promiſerunt. Actum verò hoc publicè in præfati ſancti cœnobio, & ſuper eiuſdem altare. Regnante Domino noſtro IESV CHRISTO cum Spiritu ſancto in paternæ Maieſtatis dextera. Anno Incarnationis ipſius M. XXXVI. Indict. IV. Epacta XX. pridiè Cal. Iulij, IV. feria, III. Lunæ, in qua B. Pauli paſſio celebris recolitur, pridiè Coapoſtoli eius Petri, feſto debito honore peracto, Rege Henrico in ſceptris Francorum agente, *Hugone* verò in Pontificatus honore Eccleſiam regente ſanctæ ſedis Lingonicæ.

Carta de Cauiniaco, & Priniaco, atque Blaniaco.

QVidam *Gybuinus* Clericus, tactus timore diuino, ob peccaminum ſuorum remiſſionem, ſeu fratris ſui *Nerduini*, filiorúmque eius nepotum ſuorum. *Oddonis* videlicet,

& Hugonis, donauit dimidium manſum vnum in villa, quæ Priniacus dicitur, & vnum curtile cum ſeruo, qui in eadem terra ſtabat, nomine Humbertus, cum filiis duobus Dodone, & Humberto. Reddidit etiam terram quandam ſitam in Cauiniaco villa, quam frater ſuus ſuprà nominatus *Nerduinus* tenere viſus eſt aliquando iniuſtè. Reddidit ſaluamentum de villis Auxiliaci, atque Blaniaci. Reddidit etiam Oldierium cum fratre eius nomine Hugone, & ſorore, nomine Fratburga, quos tenebant in ſaluamentum ſupradictus frater ſuus, & nepotes ſui. Donauit etiam ſeruum Guntarium & Ingerranum cum filio Stephano. Nam *Ingerrannus* pro Oddone ante fuerat datus: filius verò eius pro Hugone. Ipſe Gybuinus, qui donationem fecit, firmauit Cartâ.

Carta de Vetus-vineis.

QVidam homo *Otbertus* nomine, reddidit ſancto Petro Beſuæ-Fontis, quicquid reclamabat in villa, quæ Vetus-vineas dicitur, die ſcilicet qui Dominicus habetur, cum in media Quadrageſima *Lætare Hieruſalem* in voce exultationis ſacris concentibus ad miſſas extollitur: vbi à Domno Olgerio eiuſdem loci Abbate & Monachis peram peregrinationis ſimul & abſolutionem Romam profecturus ſuſcepit. Actum verò hoc publicè ſuper Altare memorati ſancti Apoſtoli Principis v. Kalend. April. xxvi. Lunæ, Rege Francorum Henrico ſtrenuè in ſceptris agente. Hugone verò Pontificali in Cathedra fœliciter præſidente, Eccleſiámque Lingonicæ ſedis piè regente, Anno ab Incarnatione Domini M. XXXVI. Indict. iv. Epact. xx.

Carta de Blaniaco.

LVce clarius conſtat quemque cupientem vafri hoſtis proterere molimina, indefeſſo niſu ſectatorum Chriſti ſequi debere veſtigia. Rectorum quippe operũ caſta geſtans pręcordia, cœlorũ gliſcit gaudia capeſcere fœlicia. Quę procul dubio conſequitur ad cœleſtes theſauros terrena transferens patrimonia, & inopum ſolans miſerias liberalitatis mu-

Digitized by Google

nificentiâ. Admonet hoc nos diuina ſcriptura, redemptionẽ animæ viri conteſtans proprias diuitias. Redimuntur námq; miſericordiis pauperum peccata, & vt ignis aqua, ſic eleemoſynis ęterni rogi reſtinguitur flãma Ob quam rem ego *Gybuinus* Clericus, frater Hugonis caſtri Bellimontis, diuinâ reſpectus miſericordiâ & ad dierũ meorum perductus extrema, concedo, & do Deo Omnipotenti, & S. Petro omnem hæreditatem meam in villa, Blaniaco nuncupata. Omnem ſcilicet terram arabilem cum campis, pratis, ſyluis, paſcuis, ſiue piſcatoria, ex quibus eiuſdem villæ conſtat pars maxima. Prætereà addo ſeruos Rotgerium, & Alcherium, Vtbaldum, Vuarnerium, Sendradum, Archimbaldum, cum vxoribus eorum, & filiis, omníque familia, & omnes ſeruos, & ancillas ad eandem hæreditatem meam pertinentes, quibuſlibet locis habitent, vt ab hinc ſancto, & Monachis ei ſeruientibus, ſicut hactenus mihi, ſeruiant, & conſuetudines perſoluant mente deuota. Ne verò poſt deceſſum meum, huius eleemoſynæ aliquis violator, vel falſator accedat, pręſumptione iniuſta, *Vlrico* nepoti meo commendo, coram omni populo ad altare ſancti Petri ſua ratione eam demonſtrare, & vice mea ſancto, & Monachis tradere & teſtem veritatis cartam fieri, ſubnixâ ſtipulatione, adhibitíſque teſtibus, & ſignantibus roborare. Signatorum nomina ſubſequenter exprimit ſceda. Sig. *Vlrici* nepotis eius. Sig. *Anſerici* Militis. Sig. *Vuillenci* Militis. Sig. *Vualterij* Militis. Signum omnium Monachorum qui adfuerunt. Sig. *Vuidonis* Archipreſb. Sig. *Conſtantij* Preſb. Sig. *Rotberti* Preſb. Sig. *Haymonis* Clerici. Sig. *Hugonis* Præpoſiti, & totius familiæ. Actum publicè Monaſterio Beſuenſi. Anno ab Incarnat. Domini M. XLIV. Indict. XII. Epacta exiſtente XVIII. III. Idus Iunij, die feſtiuitatis ſancti Barnabæ Apoſtoli: Henrico Regnum Franciæ tenente. *Rotberto* fratre eius Burgundiam imperante, & Hugone, qui poſteà repulſam meruit, in præſulatu ſanctæ Lingonenſis matris Eccleſiæ, nunc verò Paſtoris nomine præſidente.

Item Alia.

SAnè poſt defunctionem ante fati *Gybuini* in illa terra, & ſeruis qui eam incolebant, quos ipſe ſancto Petro, & Monachis reliquerat, *Fulco* qui neptem eius in matrimonio habebat, conſuetudines cœpit requirere, & quidam duo Milites, Hugo frater *Oddonis* Montis Saligonis, & *Vuilencus* de villa ſancti Sequani, quibus in beneficium eas tradiderat. Sed ſæpe ammonitus, & iuſtitiæ ratione compulſus, ad Monaſterium veniens, coram Altare Deo & ſanctis, Monachíſque ipſis, ſeruis & ancillis, eaſdem conſuetudines perdonauit, & eiſdem, qui à ſe in beneficio tenebant hoc ipſum facere coëgit, & à ſe & ab omnibus hominibus liberos eoſdem ſeruos & ancillas conſtituit. Sig. *Fulconis*. Sig. *Vlrici*. Sig. *Vualterij*. Sig. *Vuidonis*.

Carta de Luco, Genciniaco, & Cinciaco.

IN nomine Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quia mens humana labilis eſt, & citò excidunt memoriæ res geſtæ, niſi Cartarum apicibus inſerantur, dignum ducimus nos minimi ea quæ noſtris modò temporibus geruntur mandare poſteris, ne ſicut præmiſimus, obliuione depereant.

Notum eſſe volumus omnibus tam præſentibus, quàm futuris, qualiter *Erembertus* quondam Miles, beneficium, quod temporibus priſtinis, videlicet Domni *Vuillelmi* Abbatis, ſeu *Rodulphi* Præpoſiti tempore viſus eſt tenuiſſe, reddiderit. Hic enim *Erembertus* nobili erat ortus proſapiâ, ſecundum ſæculi dignitatem, ſed propter inteſtina bella, quæ inter falſos Chriſtianos geruntur, penè ad nihilum redactus erat, ita vt beneficium, vnde agimus vendere vellet, & manibus alienis tradere. Quod nos agnoſcentes, fratres videlicet ſancti Petri Beſuenſis, damnum eſſe arbitrantes, ſi alienis manibus terram ſancti venundaret, ipſum aduocantes in noſtro conſilio, ammonuimus eum non rectè agentem erga fidelitatem ſancti Petri, verùm ipſum pretium, quod ab aliis

Digitized by Google

cupiebat ſibi tribui, noſmet perſolueremus. Quod & factum eſt. Nam ipſe Milesadiens cœnobium ſancti Petri Beſuenſis, Dom. Olgerio Abbate præſente, & cæteris fratribus eiuſdem congregationis adſumptis, ſed & aliis quam plurimis Deum timentibus Clericis, ſiue Laïcis adunatis in Conuentu ipſorum, ante altare Principis Apoſtolorum Petri Apoſtoli, reddidit ipſe, & filius eius *Vuido* nomine, accepto pretio centum ſolidorum, pro commutatione terræ. Non habens omninò, neque ipſe, neque vllus hæredum eius aliquam occaſionem repetendi, quod ſi repetere præſumpſerit, anathematis vinculo, agnoſcat ſe arceri, authoritate Petri Apoſtoli. Beneficium verò, vnde res agitur, diuerſis in locis continetur. Nam in villa, Luco nomine, ibi terminatur dimidium manſum, nihilominus aliud dimidium, Vendouera villa, Taſnato vnum manſum, Genciniaco vnum manſum, Cinciaco vnum manſum. Teſtes ſunt hi, quos adnotamtus. Sig. *Vuidonis* Decani. Sig. *Hugonis* Præpoſiti. Sig. *Odolrici* Belmontis, filij Hugonis Comitis. Sig. *Vualterij*. Sig. *Odilonis*. Sig. *Haymonis*. Sig. *Alerici*. Sig. *Brunonis* Camboni. Sig. *Rainaldi*. Sig. *Rotmari*. Sig. *Heruæi*. Sig. *Raineri*. Sig. *Otberti*. Sig. *Vmberti*. Actum publicè Beſua in Monaſterio. Anno ab Incar. D. N. I. Ch. M. XLIII. Regnante Henrico Rege in Francia, *Rotberto* fratre eius Burgundiam imperante.

Carta de Gibriaco.

EGo in Dei nomine vocatus, *Higmarus*. Notum eſſe volo cunctis ſanctæ Dei Eccleſię fidelibus, & cunctis meis parentibus, ac propinquis, præſentibus ac futuris, quoniam ſanctæ Religionis cultor eximius, & Monaſterij, quod Beſuenſe vocatur, Almiclauigeri Petri ſub nomine, & honore dicatum, Abbas nomine *Olgerius*, cum pluribus ſuæ ditionis Monachis adiit fundum nomine Gibriacum, ſitum in comitatu Oſcarenſi mecum placitandi gratiâ, pro quibuſdam querimoniis, quas inibi contra eum eram habiturus.

Conſiderans igitur prædicti Abbatis, & eius cœnobitarum in Dei ſeruitio innocentiæ puritatem, & per eos placare Deum mihi poſſe conſiderans, conſultu bonorum homi-

minum, qui aderant, & præmaximè *Rotberti* Monachi, atque *Otberti* Militis, nec non *Henrici* ſororij mei, pro Deo & animæ meæ, & patris, & matris, atque omnium parentum meorum requie beata, perdono omnem querelam, quam contra præfatum Abbatem, eiuſque Monachos habebam. Seruos meos Fulcherium & Albertum, pro quibus calumnia creuerat, abſque vllo contradictore mea ex parte dono Deo & S. Petro, ad Monaſterium Beſuenſe monachis ibi degentibus, quoad vixerint ſeruituros, & filios eorum, quos habent, & habituri ſunt, omnéſque, qui ex eis proceſſuri ſunt vſque in æternum.

Hanc autem donationis Cartam fratri meo *Bernardo*, & ſorori meæ *Euæ* confirmare faciam, & filio eius *Odiloni*. Si quis verò hanc donationem calumniare conatus fuerit, non euindicet, ſed inſuper iram ſuperni iudicis incurrens, prædicto loco decem libras auri coactus ſoluat. Actum Gibriaco publicè. Sig. *Higmari*, qui fieri & firmare rogauit. Sig. *Bernardi* fratris eius. Sig. *Henrici* ſororij eorum. Sign. *Euæ* vxoris eius. Signum *Odilonis* filij eorum. Signum *Otberti*. Sign. *Giſleberti*. Sig. Item *Giſleberti*. Sig. *Vualdrici*. Sig. *Humberti*. Sig. *Arnulfi*. Sig. *Vuidonis*. Sig. *Vualterij*. Sig. *Otranni*.

Carta de Renauis.

EGo *Helgerius* cum fratre meo *Guntardo* beneficiis Domni Benedicti, Prioris Beſuenſis Monaſterij & Monachorum eiuſdem loci præuocati, pro beneficio, quod dederunt nobis in villa, quæ Colonica dicitur; dedimus ſancto Petro. In villa, quæ Renauis dicitur, de alodo noſtro manſum vnum habentem, appendentia decem & octo iugera, & pratum ad tria carra fœni, & Vſuarium ſyluæ, quæ ad eandem villam pertinet. Ipſa autem terra ex vna parte villam ingreditur, ex altera ſtrata publica, quæ ad campanias vadit, terminatur. Tertia quoque noſtro alodo concluditur. Dedimus etiam & alium manſum, in iam dicta villa colonica, habentem appendentia 6. iugera, & pratum ad vnam carradam fœni, & vſuarium ſyluæ, quæ ad eandem villam pertinet. Ipſa autem terra ex vna parte villam ingreditur,

Digitized by Google

ditur, ex altera terra S. Petri diuiditur. Tertia terra Arembert̃i determinatur. Quarta autem proximo riuo concluditur.

Hanc autem donationem eo tenore fecimus, vt tempore vitæ noſtræ, cum prædicto beneficio ipſam terram teneremus, ſoluentes pro ea cenſum duorum ſolidorum annuatim in feſtiuitate ſancti Petri. Si autem vnus ex nobis prior mortuus fuerit, eius pars ſtatim ad eos reuertetur, niſi fortè eorum ſpontanea voluntate, iterum alteri concedatur. Et vt hæc donatio firmior permaneret, hanc Cartam manu noſtrâ firmauimus, atque Altari ſancti Petri ſuperpoſuimus. Teſtéſque fideles adhibuimus. Sign. *Guntardi.* Sig. *Helgerij.* Sign. *Oddonis.* Sig. *Rainardi.* Sig. *Saleconis.* Sig. *Bernardi.* Data 2. Non. Iunij:

Carta de Fontinellis.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Hildebergæ* præſentibus, & futuris manifeſto, quia filius meus *Odilo* immaturâ ætate præuentus, diem clauſit vltimum, qui & ſepultus eſt in cimiterio ſancti Petri Beſuenſis cœnobij. Pro cuius animâ, ſimul & meâ, dedi ad ipſum locum, vnum manſum apud Fontenellas, quem tenebam lege dotalitij, in quo manebat quidam ſeruus, Hamedeus nomine, ea ratione, vt quandiu viuam, vſu fructuario teneam, & vno quoque anno, feſtiuitate ſancti Petri in veſtitura duodecim denarios perſoluam, atque poſt meum deceſſum ad dominatum ſancti Petri eiuſdem loci ſine omni contradictione pertineat. Et vt hæc donatio firma permaneat, hanc Cartam ob notitiam poſterorum fieri iuſſi, & manu mea, cum filio meo *Ioffredo*, coram teſtibus firmaui, quorum iſta ſunt nomina. Sig. *Landrici* filij mei. Sig. *Hagani* Longi. Sig. *Girardi* Deuiuſtrui. Sig. *Humberti* de Campanis. Sig. *Rotberti* de Baleneua. Sig. *Oddonis.* Sig. *Aldonis* Præpoſiti.

Carta de Gentiniaco.

QVidam Miles *Arembertus* nomine, de Longo campo, tenens beneficium ſancti Petri Beſuenſis in diuerſis locis, adiens locum ſupra nominatnm, reddidit illi quandam

Digitized by Google

partem, hoc est beneficium, quod situm est in villa, quæ Ginciniacus vocatur, ad integrum, ita vt neque ipse, neque alius hæredum suorum repetere valeant. Istam redditionem fecit præsente D. Abb. Olgerio, & aliis ex Mon. eius adstantibus ante altare S. Petri.

Carta de Cauiniaco.

OVædam mulier, *Alburga* nomine, in coniugio iuncta cuidam Militi, nomine *Poncio*, dedit, siue, vt quidam putant, reddidit terram, quæ est sita in villa vocitata Cauiniaco, quam & antecessor quidam non mediocris nobilitatis progenitus, nomine *Gibuinus* sancto Petro concesserat, sed ab ea iure hæreditario, sicuti videbatur, taxata, atque retenta fuerat. Sign. *Olgerij* Abbatis. Sig. *Moroni* Præpositi. Sig. *Ioannis* Prioris, & aliorum multorum.

Carta de Calmontis-villa.

IN nomine summæ, & indiuiduæ Trinitatis. Notum esse volumus tam præsentibus quàm futuris, quod ego *Moronus* cognomine, timore Dei, & timore peccaminum meorum tactus, adij Besuense Cœnobium, vbi multorum sanctorum patrocinia continentur, præcipuè sancti Petri Apostolorum Principis, cum collega suo Paulo Apostolo, vbi præesse dignoscebatur Dom. Abbas *Olgerius*. Ibi ergo adstantibus quibusdam eiusdem Cœnobij Monachis, & fidelibus Christianis Deum timentibus, quorum nomina subtus annectentur, feci me tonsurari, & Monachum deuoui sub norma Regulæ sancti *Benedicti* Confessoris permansurum.

Dedi ergo ad prædictum Cœnobium medietatem, quicquid iure hæreditatis possidere videbar Calmontis-villa, vel cæteris circumiacentiis possessionibus, in pratis, in aquarum decursibus, in syluis, molendinis, sicut præfatus sum, omnem medietatem per seruum nomine Arnaldum, quem dedi sancto Petro, & per ipsum omnes seruos, & ancillas tradidi sancto loco, astipulatione subnixa. Actum publicè Besua Monasterio, *Benedicto* Præposito adstante, *Heldelmanno* Monacho, *Adelmo* Monacho, *Oddone* Monacho, *Girberga* Comitissa Fontis-Vennæ, & aliis multis.

Digitized by Google

Carta de Altriſiaco, Maxiaco, Bodenaco, Lentiliaco.

IN nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Notum ſit omnibus fidelibus, tam viuis, quàm & futuris, quod ego *Gibuinus*, & neptis mea *Eraungardis*, tradimus ſancto Petro quatuor colonias in vico qui Altriſiacus dicitur, pro remedio animæ fratris mei *Hugonis*, qui iam dictas colonias adhuc viuens B. Petro deſtinauerat, cum ſeruis, & ancillis, quorum hæc ſunt nomina. Rodulphum cum vxore, & infantibus ſuis. Abraham & Danninum fratres, cum vxoribus & natis eorum. Orrannum & Laibonem cum vxoribus & cum infantibus eorum. Lambertum cum vxore & infantibus ſuis. Erbertum qui adhuc erat puer. Concedimus hæc Beato Petro liberè cum omnibus appenditiis ſuis, vt ſicut à diebus *Gibuini* proaui mei, & filij eius Hugonis, nec non & Hugonis patris mei ſtetit in noſtra poteſtate, ſic permaneat in poteſtate ſancti Petri, ab iſta die, & deinceps, pro remedio animæ fratris mei *Hugonis*, vt ipſi habeant cõſuetudinem, quam ante habebant, tam in ſyluis, quam in pratis, aquis, campis, & cunctis confiniis. Et vt nullus deinceps Maior, ſiue Foreſtarius, vel Decanus, de poteſtate Altriaci, hominibus iam dictis vel natis eorum, qui de progenie eorum per ſuccedentia tempora exierint, aliquam moleſtiam inferre præſumat. Et ſi per negligentiam acciderit, vt beſtiæ iſtorum hominum ſine cuſtode in prato indominicato, vel coruata incurrerit, non cogantur per legem emendationem ſoluere, ſed tantummodò æſtimationem damni reddant. Hanc eandem conſuetudinem concedimus ſancto Petro de duobus curtilibus, quos antè habebat in eadem villa. Item damus ſancto Petro manſum vnum in villa, quæ Maxiacus dicitur, cum appenditiis ſuis.

Prætereà dimittimus, & abnegamus omnes conſuetudines, quas pater meus, & fratres mei, *Hugo, & Vuido* accipiebant in villa, quæ Bodens dicitur, & in Lentiliaco pro remedio animarum illorum, & noſtrarum, excepto coruatam, quam pro ſylua faciunt. Et ſi quis hæredum meorum (quod minimè futurum eſſe credo) hæc calumniari tentauerit, re-

petere non valeat, & in dextera Dei Omnipotentis, & authoritate Petri Apoſtolorum Principis, anathema maranatha fiat. Et vt hæc Carta firma, & ſtabilis permaneat, manu propriâ firmaui, nepti, & ſponſo eius Fulconi, cæteríſque fidelibus firmare præcepi. Signum *Gibuini*. Sig. *Fulconis*. Sig. *Ermingardis*. Sig. *Bernardi*. Sig. *Vuidonis*. Archid. Sig. *Richardi*. Sig. *Goffredi*. Sign. *Vuidonis*. Sign. *Odilonis*. Sig. *Odolrici*. Sig. *Vuillenci*. Sig. *Leubranni*. Sig. *Milonis, & Gosberti, & Humberti, & Lamberti, & Vlgerij*.

Carta de Luco.

EOdem tempore quædam mulier Adilina nomine, cum filiis ſuis Nocherio, & Poncio, dedit vnum manſum in villa, cui cognomen eſt Luco, cum omnibus appenditiis ſuis, & cenſualibus penſionibus, domumque in eo conſiſtentem, & ſeruum nomine Albericum.

Carta de Buxiaco.

SImiliter *Ezilinia* dedit alodium in vico, cui nomen eſt Buxiaco, cum omni integritate ſua, appenditiis, colonicis, campis, ſyluis, aquis, laudante Kalone filio ſuo.

Item alia.

ALius quidam homo, *Bernardus* nomine, dedit quicquid iuris ſui videbatur eſſe in finibus Vetus-vineis.

Carta de Longa Boëlla.

ITem Bernardus, qui vocabatur *Francus*, dedit ſancto Petro 2. iornales de terra, in fine quæ vocatur Longa Boëlla.

Alia.

EVuardus etiam de Ponto dedit duas petiunculas de prato, in loco, qui vocatur Molonga prata, & duos campos, ad Montannos vnum, & alium ad Pontem-villam.

Digitized by

Item Alia.

ANna quædam fœmina, pro ſepultura ſua dedit ſancto Petro vnum curtile ad Pontem.

Carta de Mariaco.

BEnigna mente futuris conſulentes ſepia membranus imprimere cupimus, quòd *Milo*, qui dicebatur Bicellus, frater Maioli, cuius cognomen Mazilinus, dederit ſancto Petro in Mariaco-villa, vnum manſum cum appenditiis ſuis, & ſeruum nomine Girardum, cum vxore & infantibus ſuis.

Carta de Vachiriaco.

ADnotandum credimus futuris, quòd *Teto* Montis Salionis Miles, tradiderit ſancto Petro vnum manſum in Vachiriaco quondam vico, ſed nunc deſerto, ſimulque ſeruum nomine Euurino fratre ſuo.

Carta de Luco.

IVſtum arbitramur memoriæ tradere, quòd *Hugo* Clericus de Launna delegauerit S. Petro vnum manſum die feſtiuitatis eiuſdem generalem Miſſam celebrantibus ſenioribus. Publicè itaque accedens ad Altare tradidit donationem circumſpiciente populo, affirmans patrem ſuum *Gibuinum*, ipſum manſum ſibi dediſſe die, quo benedicta eſt ei capitis corona. Eſt autem ipſe manſus in Luco villa: Terra autem ad illum pertinens coniacet in valle, quæ pro fluuiolo Vernela, qui per eam fluit, Verneuallis dicitur. Signum *Olgerij* Abbatis. Sig. *Hugonis*. Sig. *Ioannis*. Sig. *Vuidonis* Decani. Sig. *Rotberti* Preſbyteri. Sig. *Giraldi* Clerici.

Eodem tempore Henricus III. Imperator, Burgundiæ Regnum gubernabat, &c.*

Veniens ergo idem Papa* ad ciuitatem Lingonas ordinauit ibi Dom. Arduinum Epiſcopum pro illo, qui fuerat eiectus.

* *Videbis in Chr. San Benigniano p. 461 fine.*
* *Leo IX.*

Digitized by Google

Dúmque ibi demoraretur, proferrentúrque in medium diuersæ diuersarum Ecclesiarum disceptationes, ac inter se calumniç, vt pote ante patrem vniuersalem & Apostolicum rectè, & Canonicè terminandæ. Contigit etiam de nobis, & de Canonicis Lingonensibus rationem haberi. Ipsi námque volebant de vinea nostra, quæ est sub Gibriaco decimam habere. Vnde cùm rationem intellexisset Domnus papa *Leo*, erupit in voce, & quid in Archiuis sanctæ Romanæ Ecclesiæ inde viderat, ostendit dicens. Sanctorum Patrum, qui ante me sanctæ Romanæ sedi præfuerunt, authoritate sancitum est, vt nulla Ecclesia quæ in honore B. Petri Apostolorum Principis sit fundata, alteri Ecclesiæ censum vel decimas persoluat. Cuius rationis & authoritatis, pondere repressi ipsi Canonici conticuerunt.

Isdem vero venerabilis *Arduinus* Episcopus inter cætera beneficia, quæ huic loco contulit, petente Abbate Olgerio, à summo Pontifice Romanæ Ecclesiæ petiit fieri decretum, in quo continetur, vt nullus præsumat huic Monasterio vim inferre, vel eum in subiectionem cuiuscunque Monasterij redigere; & vt nullus audeat infrà vnam * leuuiam à Monasterio vim aliquam inferre cuius exemplar decreti placuit huic libro inserere, vt audientes discant quantum immineat illis periculum, qui non timent obligari anathematis vinculo per Petri Apostoli Vicarium. Anno Incar. Dom. M. LII. præsidebat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Domnus Leo papa. Cuius hæc sunt verba.

* leucam

Priuilegium Domni Leonis Papæ.

LEo Episcopus, seruus seruorum Dei, *Olgerio* Abbati Besuensis Monasterij, Tuisque successoribus, perpetuam in Domino salutem.

Conuenit Apostolico moderamini piâ Religone pollentibus, beniuola compassione succurere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Quapropter inclinati precibus tuis, fili Carissime, decreuimus more Antecessorum nostrorum hoc nostro priuilegio Apostolicæ tuitionis, vestro Besuensi Monasterio propter imminentes persecutio-

Digitized by Google

nes, & propter innumeros caſus, qui ſuperueniunt, dignam concedere libertatem. Videlicet vt nulla perſona, aut vlla poteſtas, ſiue Eccleſiaſtica, ſeu ſæcularis, ſuper eam audeat dominationem aut poteſtatem vſurpare præter Lingonenſem Epiſcopum, qui ei patrocinetur iuſtè & canonicè.

Sic tamen vt ei non liceat, neque miniſtris eius terras aut beneficia Monaſterij commutare, vel dare, nec vaſa, nec ornamenta, ſeu volumina ſubtrahere, aut qualicumque occaſione diripere. Omnia verò quæcumque habet vel tenet, vel ac quiſierit, ſupradictus locus habeat, & teneat noſtra Apoſtolica confirmatione iure perpetuo, in cuiuſcumque Diœceſi ſit.

Interdicimus etiam noſtrâ authoritate, vt nullus audeat ſupradicto Monaſterio vim inferre, vel eum in ſubiectionem cuiuſcumque Monaſterij redigere. Raptores, cuiuſcunque ordinis, vel dignitatis ſint, qui res quæ ad ſupra nominatum cœnobium pertinent, ſiue de hominibus, ſeu de terris, vel de qualibuſcunque rebus vnde ſuſtentare, & viuere debent inibi Deo ſeruientes, rapuerint vel ſubſtraxerint, ligamus eos ligamine ſancti Petri vſquequo congruè ſatisfaciant.

Prohibemus etiam ne infra, vnam leuuam à Monaſterio liceat alicui aliquem inuadere, vel eius res auferre. Statuentes Apoſtolicâ cenſurâ, ne vlla hominum perſona magna, vel parua, contra hoc noſtrum priuilegium venire pertentet. Quod ſi fecerit, Apoſtolico anathemati ſubiacebit, vſque ad dignam ſatisfactionem. Qui verò ſe ſeruauerit, benedictionis noſtræ gratiâ cumuletur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Datum IV. Non. Octob. Per manus Petri Diaconi, Bibliothecarij & Cancellarij ſanctæ Apoſtolicæ ſedis. Ind. V. Anno ab Incar. Dom. M. LII. Pontificatus autem Domni Leonis IX. Papæ III.

De obitu Olgeri Abbatis.

DEfuncto igitur Abbate Olgerio ſucceſſit in regimine paſtoralis officij Abbas *Oddo*. Quæ autem in diebus eius data, vel empta ſunt in poſſeſſione agrorum, non eſt ſilendum. Odo Abbas Olgerio ſucceſſit.

Digitized by Google

perductus iteratò confirmauit, & calumniatores æternæ maledictioni, in ipſa mortis hora obligauit. Omnem partem alodij in Altriſiacenſi villa, cum omnibus conſuetudinibus in omni poteſtate Altreiaca, in ſyluis, in campis, in pratis. Apud villare etiam omnem partem ſuæ hæreditatis, ſicut ipſe in vita ſua tenuit. Noua caſa, cunctum ſuum alodum, ſicut ipſe poſſederat. In Cinciaco verò ſimiliter alodum ſuum, cum omni conſuetudine, in aquis, in campis, in pratis, in ſyluis. Calmetis, nec non totum ſuum alodum, ſicut ipſe poſſedit. Romaniaca etiam, & Ponto, cunctum alodum cum omni conſuetudine in aquis, in pratis, in campis, in ſyluis. Eſt etiam ibi molendinum vnum, cuius tertiam partem ſancto Petro tradidit. Beriæ etiam omnem partem alodi ſui, in aquis, in campis, in pratis, in ſyluis. In Comitatu Alſenſi, in villa quæ dicitur Velinniaco, & in Villari Corcellis. Bretoneria omnem alodum ſuum, cum omnibus appenditiisin campis, in pratis, in aquis, in ſyluis. Sig. Dom. *Oddonis* Abbatis. Sig. *Moroni* Monachi. Sig. *Hugonis* Monachi. Sig. *Theoderici* Mon. Sig. *Vuillelmi* Comitis. Sig. *Fulconis* ſenioris Bellimontis. Sig. *Giſleberti* ſenioris Reſeiæ. Sig. *Vuallonis* ſenioris Beriæ. Sig. *Odilonis*. Sig. *Vuillenci*. Sig. *Landrici*. Sig. *Vuidrici*. Sig. *Rodulphi, & Olgerij* fratris eius. Sig. *Vuidonis*. Sig. *Tetzilini*. Sig. *Rotberti*. Sig. *Bernonis*. Sig. *Herialdi*. Sig. *Girardi*. Sig. *Iſamberti*. Sig. *Hugonis*. Hanc donationem frater ipſius Humberti Hugo coram omni populo laudauit, & omnem partem ſuam ex ipſo alodo, quia tantumdem habet poſt mortem ſuam, ſancto Petro conceſſit.

Carta de Mornado.

NOuerint omnes præſentes, & futuri, quia quidam Miles, Rotbertus nomine, pro timore & amore Dei delegauit ad locum ſancti Petri Beſuenſis Monaſterij, quoddam manſum, quo quædam matrona, nomine *Ermengardis*, & filius eius *Odricus* Clericus, deſtinauerant. Coniacet autem manſum illud in Mornado villa, & habet ad ſe terras pertinentes, cultas, & incultas, ſeruos, & liberos in eis manentes, prata, pomiferas arbores, & aquarum curſus, & re-

curſus, quæ omnia ad iam dictum locum ſancti Petri deſtinauit, atque reſtituit. Et vt ex meliori voluntate hoc factum eſſet, accepit à Monachis ipſius loci caballum vnum, & ſocietatem in omnibus benefactis eorum, & ex inde hanc Cartam fieri curauit, quam propria manu firmauit, & amicis atque parentibus ſuis tradidit firmandam atque laudandam. Actum Beſuenſi Monaſterio publicè VI. Id. Febr. Signum *Rotberti*, qui hanc Cartam filij mandauit. Sign. *Oddonis*. Sign. *Goffredi*. Signum *Achardi*, & aliorum multorum.

Carta de Geneurerias.

QVædam mulier *Sufiſia* nomine, pro remedio animæ filij ſui *Vuidonis*, quem ex *Giſleberto* ſuſcepit, dedit vnum manſum ſancto Petro, in villa Bellifontis cum omnibus appenditis ſuis, & habet omnem conſuetudinem in campo, in aqua, in ſylua. Seruum etiam in eo habitantem, nomine Martinum. Alterum manſum apud Geneurerias, cum omnibus appenditiis ſuis habentem conſuetudinem in campo, in aqua, in ſylua; eâ conuentione vt 15. iornales arabiles de alodo ſuo in fine eiuſdem villæ eidem manſo ad perficiendum quod minus habebat, adderet. Seruum quoque in eodem commorantem, nomine Albericum, cum vxore Fratburge appellata, cum infantibus ſuis. Et vt perpetuali fulcimento perduraret eleemoſyna, horum teſtium ſubtus inſcribi rogauit nomina. Signum *Sufiſiæ*. Sign. *Æduini* patraſti eius. Sign. *Vuarnerij* mariti ſororis eius. Sign. Domni *Oddonis* Abbatis. Sig. *Moronis* Monachi, & aliorum multorum.

Carta de Mariaco.

MAnifeſtum etiam eſſe volumus modernis, & ſucceſſuris, quod quidam Miles, nomine *Seuualdus* ex monte Saligone, dederit ſancto Petro pro redemptione animæ fratris ſui Eliranni, vnum manſum apud Mariacum villam prope Tilecaſtrum, cum omnibus appenditiis ſuis, ſimulque vnum ſeruum, nomine Odilardum. Sig. *Seuualdi*. Sig. Dom. *Oddonis* Abbatis. Sig. *Moroni*. Sig. *Petri*. Sig. *Pontij* Militis.

Digitized by

Carta de Flaciaco.

NOtum eſſe volumus omnibus poſt nos futuris, quòd quidam Miles, nomine *Sigefredus* dederit ſancto Petro ad extrema perductus 2. manſos apud Flaciacum villam. In vno quidem Erbertus manebat eius ſeruus, & debet feſtiuitate Omnium Sanctorum dimidium ſextarium vini: Natiuitate autem Domini vnum ſextarium vini, duos panes, & 2. gallinas. Alius verò in eadem villa coniacet deſertus, tradidit etiam 10. diurnales terræ in finibus eiuſdem villæ, ad eoſdem manſos pertinentes, cum pratis, ſyluis, & omnibus appenditiis ſuis. Signum *Ruzindis* vxoris Rotberti, fratris eiuſdem Sigifredi, quæ hanc donationem loco ipſius Sigifredi ſuper altare poſuit. Signum. *Oddonis* fratris Mazilini. Sig. *Vuillerij*. Sig. *Amalrici*. Sig. *Petri* Clerici.

Carta de Bodens, & de Lenteleio.

DIuina authoritate inſpirata nobilis matrona, *Ermengardis* nomine, ſanctum Petrum ſibi fecit hæredem, omnéſque fratres Beſuenſis Monaſterij Deo ac ipſi ſummo Apoſtolorum Principi ſeruientibus, ſuis vſibus admiſit, reddens illis ſaluamentum de Bodens, & de Lentileio, atque de cunctis quæ ad ipſum ſaluamentum pertinent, pro remedio animæ ſuæ, ac ſenioris ſui *Hugonis*, filiique ſui *Vuidonis*, qui tunc fuerat defunctus, quique ipſum ſaluamentum poſt mortem patris iure hæreditario poſſidebat. Cuius rei cooperatores fuerunt filij ipſius, *Hugo* videlicet, & *Nerduinus*, ſimul *Gibuinus* qui adhuc vitâ perfruebantur. Et vt hæc traditio nota fiat futuris, ſicut eſt præſentibus, ſcripto mandare fecit, vt quod poſt mortem teſtare non poterat, teſtetur Carta ſeruata, in ipſius Monaſterij arcario. Hanc ergo, vt inconuulſa permaneat, teſtibus adhibitis ſubſcripſit manu propriâ. *Ermengardis* ſubſcripſit, *Hugo*, *Nerduinus*, *Gibuinus*. Hi ſunt teſtes.

Carta de Buxiaco.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quod *Gertrudis* vxor *Girardi* Militis de caſtro Fontis-Vennæ cum filiis ſuis *Girardo & Humberto*, tradidit vnum manſum pro redemptione animæ præſcripti mariti ſui, & filiorum ſuorum ab ipſo iam donatione facta ſancto Petro Beſuenſi in villa, cui vocabulum eſt Buxiacus, ad integrum ſicut tenere videbatur Rotbertus Maior, cum ipſo videlicet Rotberto, & vxore, & filiis, cum omnibus quæ ad ipſum manſum pertinent, tam in terris, quàm ſyluis, & in pratis, vel in paſcuis, ſiue in aquis. Et vt hæc donatio in perpetuum firma ſit, & ſtabilis, his ſubſcriptis teſtibus firmauit, & firmare rogauit. Hi ſunt, *Aymo*, *Olgerius*, *Ioffredus*, *Librandus*, *Oddo*, *Arlebaldus*, *Vuido*, *Aldo*. Reddidit etiam vnum manſum, quod dudum ſancti Petri alodus fuerat, in villa Patriniaco, acceptis pro pretio duobus militantium inſtrumentis, quæ vulgò dicuntur* Helmum, & Oſbergum.

* Galea, *Gal.* Heaume, *Ital.* Elme.

Carta de Moringas, & Mornado.

NOtum ſit præſentibus, & futuris, *Richardum de Belmonte* quandam terram ſitam inter Moringas, & Mornadam villas, ad Abbatiam ſancti Petri Beſuenſis Monaſterij pertinentem, diu calumniaſſe mulieris ſuæ ex parte, & multa præiudicio abſtuliſſe. Quam calumniam Monachi ſancti Petri ſatisfactionis cauſa ſæpe voluerunt iuramento, vel qualibet lege determinare, cùm præfatus Richardus Dei nutu aſpiratus, eandem calumniam, ſiue iuſta, ſiue iniuſta eſſet, ſancto Petro donauit, præſentibus ſenioribus loci ſub ſtipulatione ſuper altare poſita. Ego *Richardus* cum vxore mea *Vuandelmode* firmauimus, & teſtibus roborandam tradidimus. Sig. *Vuidonis* Decani. Sig. *Aldonis*. Sig. *Benedicti* Mon. Sig. *Heldemni*. Sig. *Alberti*.

Carta de S. Mauricio.

NOtum facimus charitati fidelium, quia Miles quidam, nomine *Herembertus*, diu languoris moleſtiis preſſus,

Digitized by Google

tandem cum ſibi finem vitę imminere ſentiret, ad memoriam Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in Beſuenſi loco ſe ſepeliri rogauit, quod & factum eſt. Pro cuius animæ abſolutione pater eius, nomine *Oddo* eidem loco dimidium manſum cum dimidia manſione, quia partem alteram frater eius cum manſo tenebat in villa, quæ dicitur ad ſanctum Mauricium cum terris adiacentibus pratis, & ſylua. In ipſa, & in altera villa Romania nominata, cum legali traditione dedit, & manu teſtium corroborari fecit; quorum iſta ſunt nomina. *Hugo*, *Theodericus*, *Alelmus*, *Ioannes*, alter *Hugo*, *Teudinus*, *Hemma*, quem ipſe in breui tempore ſubſecutus, non ſolùm apud eundem locum eſt ſepultus, ſed etiam ſicut petierat, Monachili habitu indutus, huius vitæ in bono fine diem clauſit. Poſt cuius obitum nos vnum fœdiolum, quem tenebamus, filio eius dedimus, & tria iugera in commutatione accepimus, & noſtris terris iunximus, & duobus hominibus ſub ſeruitio manendum dedimus, ex quibus vnus ſeruus eius & loco dedit.

Carta de Taſnato, & Germanico.

MAnifeſtum eſſe volumus tam præſentibus, quàm futuris, quòd quidam Miles nomine *Vualo* pro redemptione animæ coniugis ſuæ, vocabulo Addilæ, dedit ſancto Petro vnum manſum alodi apud Taſnatum, & alium apud Germaniacum, qui perſoluit in debito cenſus dimidiam heminam frumenti, dimidiam heminam auenæ, vnum ſextarium vini, vnum porcum pretij 6. denariorum, quinque denarios pro cenſu prati, vnam rotam & vnum bouem tempore vindemiæ. Dedit etiam ſeruos Hunaldum cum vxore, & infantibus ſuis, & Mainerdum, & medietatem infantum eius, abſque vlla calumnia Et vt hæc donatio perpetuum obtineret vigorem, litteris petiit notum fieri, & teſtibus corroborari. Signum *Vuallonis*. Sig. *Fulconis*. Sig. *Odilonis*. Sig. *Milonis*. Sig. *Vuarnerij*. Sig. *Vuidonis*. Sig. *Henrici*. Sig. *Vuidrici*. Sig. *Vuarnerij*.

Carta de Colonica villa.

NOtum esse volumus omnibus fidelibus tam futuris, quàm præsentibus, quòd quidam Miles, *Gontardus* nomine, cum fratre suo Helgerio, nos adierit deprecans, vt eis aliquid daremus de terra sancti Petri in beneficio, promittentes se omnimodis in seruitio S. Petri; & nostro fideliter permansuros. Quod cùm diu peterent, victi eorum precibus, dedimus eis, quicquid sanctus Petrus in villa, quę Colonica dicitur, habebat, quam dudum tenuerat frater eorum *Henricus* cum Ecclesia in ipsa villa positâ, indicentes eis annuatim in festiuitate sancti Petri censum duorum solidorum, eo scilicet tenore vt tempore vitæ suæ idipsum, quod dedimus tenerent, post decessum verò eorum ad ius sancti Petri, & Monachorum eius rediret; ita vt nullus posterorum eorum vllo modo ex eo se intermitteret, ni spontanea voluntate, vel amicabili Abbatis, aut Monachorum eiusdem loci concessione. Si autem vnus ex eis prior mortuus fuerit, eius pars statim ad nos reuertatur: nisi fortè nostra spontaneâ voluntate iterum ei concessum fuerit. Vt autem hæ conuenientiæ firmiùs permanerent, hanc Cartam manu sua firmauerunt, testésque fideles adhibuerunt. Signum *Gontardi.* Sig. *Helgerij.* Sig. *Rainardi.* Sig. *Saleconis.* Sig. *Bernardi.* Data 11. Non. Iunij.

Carta de Lu.

NOtitia, quam *Bernardus* Belmontis, & nepos eius defunctus, nomine *Richardus*, fecerunt sancto Petro Besuensi de terra quadam cumiacente in fine villulæ, quæ vocatur Lu, sancti Martini, in ipsius finibus dedit mansum vnum, 9. iornales habens, de terra arabili cum duobus seruis.

Carta de Villa curte.

QVidam Miles, nomine *Stephanus*, in graui infirmitate decidens, adiuit Monasterium, quod in honore Principis Apostolorum est consecratum, quod dicitur Besua, ibí-

que ob remedium animæ ſuæ tradidit ad ipſum locum vnum manſum, qui eſt in villa, quæ Curtis dicitur, & 4. iornales de terra in campo, qui appellatur Feſtilliacus, cum ſeruo nomine Gaudio, & eſt de ambabus partibus terra Giſlerij. Cuius cooperatores ſunt filij ſui, Vuido, Vualterius, Hugo, & vxor ſua, nomine Fera, in cuius dotalitio erat ipſa terra, quam reddidit ei. Et vt hæc donatio eius nota fiat poſteris, hanc Cartulam fieri iuſſit, & ſuper altare ſancti Petri poſuit, teſtibúſque roborandam tradidit. Ego *Stephanus* ſubſcripſi. Sig. *Vuidonis* filij mei. Sig. *Vualterij* filij mei. Sig. *Hugonis* filij mei. Sig. *Aymonis*. Sig. *Vuidonis*. Sig. *Milonis*.

Item Alia.

ALij verò duo Milites, Aduinus, & Milo frater eius, & Teburgis ſoror eorum, tradiderunt Deo, & ſancto Petro Girbergam cum infantibus ſuis. Et vt hæc donatio eorum nulli calumniæ pateat, in Conuentu publico ſtatuerunt decretum vt nullus hæredum eorum nullam partem iure hæreditario violentiam inferat. Quòd ſi fecerit, excommunicationis vindictam ſoluat. *Aduinus* & frater eius firmauerunt hanc Cartulam. Sig. *Sophiæ*. Sig. *Teburgis*. Sig. *Vuidonis* Archipreſbyteri. Sig. *Lezelini*. Sig. *Hugonis* Præpoſiti, & totius familiæ. Actum publicè Monaſterio Beſuenſi, præſente Domno Oddone Abbate.

Item alia.

SImiliter & Humbertus, & coniux eius, & filij, qui iniuſtè conabantur detinere ſeruum ſancti Petri, Fuldradum ſcilicet, & coniugem eius, nomine Richeldem, & filios eorum, dimiſerunt eos liberos, quatinus ad proprium dominum Cœleſtem Clauigerum redeant.

Carta de quadam vinea.

ITem *Samſon* de Vadona, & vxor eius dederunt, Deo & S. Petro vnum iugerum de Vinea in loco, qui dicitur Ada-

lechaſſana. Item in alio loco, ad Auſtiuacca dicto, duo. Teſtes donationis hi ſunt: *Syluester* Mon. ſuſcepit, *Grimaldus Villicus*. *Harbertus*.

Carta de Mariaco.

DOda etiam de Mariaco, conſentiente viro ſuo, Iocero, dedit vnum pratum habentem ad ſummum excluſam molendini eiuſdem villæ, ſancto Petro, nec non Monachis ibidem Deo ſeruientibus. Huius autem donationis, quam viua voce fecit, viuos teſtes adhibuit; quorum nomina hæc ſunt: *Folradus*, *Nero*, *Grimaldus*, *Lambertus*.

Carta de Icio.

NOtificamus Modernis, & ſucceſſuris, quod *Hildeberga* ſoror Ærleij ſapientis Clerici, delegauit ſancto Petro manſum vnum in villa, cui nomen Icio, & vnius diei arationem in fines eiuſdem villæ ad eundem pertinentem, eo tenore, vt in eo conſiſtens homo, & excolens eum, cui nomen Iordanius, liber tamen, vt cenſum, quod ſibi reddere conſueuerat, Monachis perſoluat. Inſuper etiam vnam ancillam, quæ vocatur Raimburgis, ſolitum capitis ſui duorum denariorum omni anno reddituram debitum. Teſtes huius donationis ſunt hi. *Robertus*, *Vuidricus*, *Ioannes*, *Hugo*.

Item alia.

HIldeſendis ſanctimonialis dedit ſancto Petro puellam quandam, nomine *Oſannam*, filiam Humberti, & Retrudis.

Item alia.

ALtrudis etiam nobiliſſima fœmina mater *Aduini*, & *Milonis*, dedit ſancto Petro vxorem Vlrici Preſbyteri Granantis-villæ, *Girburgam* nomine, cum infantibus ſuis.

Carta

Digitized by Google

Carta de Buxiaco.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus, quàm futuris, quod *Betta* vxor Hermuini Militis cum filiis ſuis tradidit vnum manſum pro redemptione animæ præſcripti mariti ſancto Petro Beſuenſi in villa, cui vocabulum eſt Buxiacus ad integrum, ſicut tenuit Lambertus Maior, cum omnibus quæ ad ipſum manſum pertinent, tam in terris, quàm in ſyluis, & in pratis, vel in paſcuis, ſiue in aquis. Et vt hæc donatio in perpetuum firma ſit & ſtabilis, his ſubſcriptis teſtibus firmauit. Hi ſunt: *Vuido, Aldo, Gonterius, Otbertus.*

Carta de Pruncethel.

SImiliter *Seiuuoldus* & *Ida* coniux eius, dederunt S. Petro Beſuenſis Cœnobij, manſum vnum, cui terræ arabilis 9. iugera adiacent, & pratum vnum, ex quo 2. carratæ fœni poſſunt per ſingulos annos colligi, in loco, qui Pruncethel vocatur. Eâ videlicet ratione, vt quicquid exinde facere Monachi eiuſdem loci voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi. Teſtes verò huius donationis hîc ſunt ſubnotati: *Albertus* Monachus. *Odo, Rotbertus* Sacerdos, Dares, *Ioannes* cocus.

Carta de Vetus-vineis.

A*Ymo* etiam de Vetus-vineis natus, frater *Vuidonis*, & *Vuaroni* Monachi alodum ſuum in ipſa villa exiſtentem ſancto Petro dedit, & cum filio ſuo Vuidone ſuper altare ſancti Petri poſuit, & filiam ſuam Gertrudam laudare fecit. Signum Domni *Odonis* Abbatis. Signum *Girardi.* Signum *Vlrici.*

Carta de Flaciaco.

QVidam Archidiaconus, Ærleius nomine, Canonicus ſancti Mammetis, dedit ſancto Petro vnum manſum, in villa, quæ Flaciacus dicitur cum ſuis appenditiis pro remedio animæ fratris ſui *Milonis.* Addidit etiam vnum

ſeruum, binâque tapetia mirifici operis & enormis magnitudinis. Ne verò per ſuccedentia tempora ab aliqua oppoſita perſona quiuiſſet fruſtrari, rogauit propinquos & circumſtantes huius donationis Cartam manu propriâ, teſtimonióque firmari. Sig. *Ærleij*. Sig. *Odonis*. Sig. *Ioannis* prioris. Sig. *Vuidonis* Decani.

Carta de Dalaima.

NOtum facimus præſentibus, & futuris, quod *Hugo* ſummæ probitatis Canonicus, ædificator Monaſterij ſanctæ *Mariæ* Lagonniacenſis dedit ſancto Petro ſuam partem de omni alodo patris ſui apud Dalaimam villam ſitum, laudantibus fratribus ſuis, & nepotibus. Sign. *Hugonis*. Sig. *Ottonis*. Sig. *Radaldi*. Sig. *Petri*.

Carta de Luco.

NOtificamus quibuſque modernis & ſucceſſuris, quod quædam mulier nomine Helizabeth filia Vuillerij, ex Campanis villa, nuperrima viri ſui *Ozilini* morte deſtituta, adierit Beſuenſe Monaſterium, tradideritque ſancto Petro vnum manſum in villa quæ vocabulum eſt Luco, congruum valde, & opportunum cum ſuis appenditiis. Sig. *Helizabeth*. Sig. *Ezilinæ* matris eius. S. *Hugonis*, & *Radalonis* fratrum eius Monachorum.

Carta de Blaniaco.

MAnifeſtum iri cupimus, quòd quidam nomine Rainardus ex villa Varona natus, conceſſit ſancto Petro alodum, quod ipſe dudum in Blaniaco villa comparauerat pro abolitione ſuorum criminum. Cuius donationem eleemoſynæ fratres ipſius, *Seuuinus* Clericus, & *Albericus*, benignè annuentes, feretro impoſitum corpus eius deducentes ad Monaſterium, firmiter ſtabilierunt, & ad altare vice ipſius, ſancto, & fratribus delegauerunt, & ſubnixis teſtimoniis coram omnibus roborarunt. Sign. *Seuuini*. Sign. *Alberici*. Sig. *Vilrici* Militis.

Digitized by Google

Carta de Buſciaco, Lujato, Luco.

SCripto etiam volumus digerere, quòd Helizabet, quæ etiam *Liezilina* cognominata eſt, mater *Hugonis* Monachi, dederit ſancto Petro in villa Buſciaco dicta, vnum manſum cum colonica ſua, & cæteros manſos ad ipſum pertinentes, cum colonicis ſuis, & omnibus appenditiis ſuis, in campis, in ſyluis, in pratis, in aquis, in aquarum decurſibus, in piſcatoriis, ſiue in eadem villa, ſiue in aliis eidem adiacentibus, id eſt, Luiato, Luco, Dalaima, vel vbicunque ipſa terra coniacet, ex integro, cum conſenſu filiorum ſuorum, atque fratrum ſuorum, tradidit Deo, & ſancto petro, in præſentia vniuerſorum Monachorum. Signum *Hugonis* Monachi filij eius, *Richardi* filij eius. *Bernardi* fratris eius.

Carta de duabus Præbendis ſancti Gengulfi.

HEnricus igitur Rex Francorum cùm iam morbo & ſenectute premeretur, *Philippum* filium ſuum congregatis Francorum primoribus, cunctorum conſilio, conſortem ſibi totius Regni conſtituit. Impoſitóque capiti eius diademate, Regem iuſſit appellari. Henricus Rex filium Philippum inaugurari iuſſit.

Anno autem primo Regni eius Domnus *Arduinus* Lingonenſis Epiſcopus pro ſolo orationum præmio, dedit ſancto Petro, ac Beſuenſi Congregationi, laudantibus cunctis Canonicis, duas præbendas, quantum accipitur à duobus Canonicis, ſicut hîc demonſtrabimus. 1060.

Priſcorum fœlix ſolertia hoc ſalutiferum remedium prouidere ſtuduit ſuccedentibus ſibi, vt quod non poterant tempora meantia mandare poſteris, allegare & apicibus, authoritate fultus illius principis, ſub cuius præſentia firmatio foret cum ſcriptione cartis, aut impreſſione ſigilli. Quod & nos prouidentes Eccleſiæ noſtræ filiis, & ſancti Mammetis ſacræ concioni fore commodi, qualiter vnanimes ſint effecti, litteris adnotamus iuxta tenorem vtriuſque partis.

Largitione itaque famoſi *Hugonis* Præſulis Lingonenſis, Eccleſiæ Beſuenſi attributa eſt Eccleſia ſancti Gengulfi, pa-

Digitized by Google

ritérque ſtipendium, quod conſequebatur is qui famulabatur in loco deſeruiens liminaribus ſacris.

Non hæc ſolummodò venerabilis Epiſcopus contradidit, quæ prædiximus, verùm etiam villam quæ vocatur Bannus iure perpetuo conceſſit. Quod poſteà quidam indignè ferentes exemptum rebus humanis, antequam venerabilis *Arduinus* decoraretur ſede Pontificali, auxilio fulti *Girardi* Præpoſiti ſua procurantes, non quæ IESV CHRISTI, redegerunt in poteſtatem, vt poſſeſſum fuerat priùs ab eis. Quod venerabilis *Arduinus* infula Pontificali iam inſignitus vt cognouit, compati cœpit, pietatéque qua affluebat, vniuerſam congregationem rogare cœpit, vt qui villam abſtulerant, quã prædeceſſor contulerat, ſaltem miſererentur Deo ſeruientibus inibi, & aliquam rem prouiderent, ex quo ſuſtentari poſſent Eccleſiæ alumni. Exegit denique ab eis in præſentia *Alberonis* Abbatis Diuionenſis, laudantibus cunctis Canonicis, vt bis edentibus ſupradictis Canonicis quantum percipiebatur à duobus ex illis, tantum ſuſciperent & ipſi Monachi, videlicet manè, & ſerò, & ſi ſemel cibum ſumpſerint, eodem modo, quo & ſuprà quantitas tribuatur panis, & vini, vt accipitur à duobus Canonicis.

Quia verò pecunia tunc defuit, quâ debebatur conſuetudinaria lege cibus præberi vniuerſis Eccleſiæ filiis, conditione vſi ſunt tali, ratumque viſum eſt cunctis, vt ſuſciperent ſocietatem, quæ offerebatur illis pro commutatione cibi eo tenore, vt ſi aliquis nuntiaretur exuiſſe hominem taliter celebraretur dies depoſitionis à Monachis, ſicut conſueuerunt pro cunctis congregationibus ſibi coniunctis. Inſuper & nomina eorum inſcriberentur cum nominibus fratrum, quo agnoſci poſſet dies eorum anniuerſarij, & celebrari à cunctis. Et vt hæc quæ diximus firmiùs teneantur, à noſtris eadem & ipſi laudauere agere pro noſtris.

Ne quando ergo aboleatur in ſuccedentibus ſchedis quæ conſcripſimus, præſente viro venerabili *Arduino* Epiſcopo huius ſanctę ſedis, ſubtus adnotamus eiuſdem iuſſione præſulis nomina viuorum, qui interfuerunt, conditione tali. Sig. eiuſdem *Arduini* Epiſcopi. Sig. *Vuillenci* Archidiaconi. Sig. *Rainardi*, qui cognominatus eſt Hugo. S. *Rogeri* Theſaurarij.

Digitized by Google

Sig. *Euuardi* Decani. Sig. *Ærlei* Archidiaconi. Sig. *Girardi* Archidiaconi. Sig. *Vuarneri*. Sig. *Gybuini*. Sig. *Hildegari*. Sig. *Milonis* de sancto Lupo. Sig. *Emmarrici*. Signum insuper omnium Canonicorum, qui vnanimiter laudauerunt in capitulo. Actum Lingonis Anno Incar. Domini M. LVIIII. Ind. XII. Epacta IV. Quicumque autem hoc violare præsumpserint, vel aliquid abstulerint sancto Petro rectoribúsque Besuensis cœnobij contraire conati fuerint, authoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, beati quoque Petri, omniúmque sanctorum, & nostrâ sint excommunicati, anathematizati, & à sorte iustorum expulsi, & æternaliter, nisi dignè satisfaciendo emendauerint, damnati. Signum *Oddonis* Abbatis, & omnium Monachorum ipsius cœnobij.

Carta de villa Coriaut.

NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quod *Berno* villicus Ianlint villæ, quoddam alodum iuris sui, quod iacet in villa Coriaut dicta, eâ conditione dedit S. Petro, & propriâ manu super altare misit, vt ipsius alodi vsuarium fructum retineret tempore vitæ suæ: post discessum verò vitæ suæ ad locum sancti Petri rediret cum omni integritate. Huius donationis, quam viuâ voce fecit viuos testes adhibuit; quorum nomina hæc sunt: *Odilo* præpositus, *Rodulphus*, *Bado*, *Aldo*, *Euuardus*.

Carta de vinea, quæ est in Briscona.

Albordis matrona pro remedio animę quondam senioris sui, nomine *Eremberti*, consentiente fratre eius *Ozelino* nomine, tradidit sancto Petro Besuensis cœnobij vineam, quę appellatur Clausmors, in villa, quę Briscona vocatur.

Carta de Vetus-vineis.

ITEM *Alburgis* filia *Vuillenci* fratris *Hugonis* senioris castri Belmontis, quicquid in villa Vetus-vineas habebat in pratis, campis, syluis, pariterque seruos Vuidonem, Theodericum, Bilinamque sororem eorum trésque

Digitized by Google

alias ancillas, Heldegardam, Euizaidam, & Teodradam ſancto Petro dedit perpetualiter poſſidendas. Sig. *Pontij* ſenioris eius. *Vuidonis* Militis. *Vualterij* Militis.

Carta de Moringis.

ADnotandum credimus futuris, quod *Vuillencus* dedit Deo, & ſancto Petro 2. manſos in Moringis vico cum omnibus appenditiis ſuis, & ſeruum nomine Vlricum cum vxore, & infantibus ſuis. Et vt hæc donatio perpetuam firmitatem obtineat, ſignatorum nomina ſubtus demonſtrat ſcheda. Sig. *Pontij* filij eius, *Fulconis*, *Odilonis*, *Bernonis* Clerici.

Carta de Condilico.

NOtificamus modernis quibuſque, & futuris, quod *Heluindis* quædam matrona, dederit ſancto Petro pro *Vualterio* marito ſuo, qui vocabatur Albus, vnum manſum apud Condiliacum, & ſeruum nomine Erimbertum. Signum *Giſleberti*, *Hugonis*, *Vuillerij*, *Mauricij* filij eiuſdem dominæ.

Carta de Vaunna.

EAdem videlicet, *Heluidis*, tradidit poſt primam donationem ſancto Petro vnum manſum apud Vaunnam pro ipſo Mauricio filio ſuo, quem ex præfato Vualterio habuerat. Qui ſcilicet manſus ita liber eſt ab omni conſuetudine alicuius hominis, vt non dux, vel miniſteriales ſui in eo aliquid requirere poſſint ab aliorum etiam principum vel hominum exactione omnino extraneus ſit. Dedit quoque ſeruum nomine Richardum. S. *Haymonis* filij eius Giſleberti.

Carta de Creponenſi villa.

VOlumus quoſque præſentes & futuros ſcire quòd *Rainaldus* de Autriaco delegauerit ſancto Petro vnum manſum apud Creponenſem vicum cum omnibus appenditiis ſuis, qui debet miniſteriali Fontanæ poteſtatis, ſingulis

Digitized by Google

annis vnum denarium, ſi tamen homo in ipſo manens, ſyluam ipſius poteſtatis frequentauerit. Sig. *Rainardi*, *Odilonis*, *Odonis*.

Carta de Fontanellis.

EIuſdem *Rainardi* conſilio, & exemplo prouocatus quidam ſobrinus eius *Oddo*, qui appellabatur Gibboſus, dedit & ipſe ſancto Petro quicquid alodi in vico Fontanellas vocitato, habebat. Signum *Oddonis*, *Odilonis*, *Rainardi*.

Carta de Buciaco vico.

CLarum eſſe cupimus omnibus, quod *Arlebaldus* & *Odo* fratres, conceſſerunt ſancto Petro vnum campum quindecim iugerum, in Buciaco vico. Signum Domni *Odonis* Abbatis, *Moroni*, *Benedicti*.

Carta de Flaciaco.

MAnifeſtum iri optamus tam præſentibus, quàm futuris, quod *Odilina*, mater *Pontij* de Beſoeta, attribuit ſancto Petro vnum manſum in Flaciaco. Sig. *Pontij*, *Hugonis* Præpoſiti, *Ioannis*.

Carta de Liſciaco.

PAtere volumus cunctis præſentibus & futuris, quod Vuido de Liſciaco, dedit ſancto Petro apud eundem vicum Liſciacum, vnum manſum, cum omnibus appenditiis ſuis. Dedit etiam ſedem molini, vbi ipſe molinus conſtrueretur, cum vno ſeruo, nomine *Drogone*; reddidit quoque ſeruum quem ante pro fratre ſuo Anſerico dederat, cui nomen *Odo*. Sig. *Odilonis*, *Anſerici*, *Hugonis* Præpoſiti.

Carta de Moringis.

COgnitio, quòd *Aduinus* tradidit ſancto Petro pro *Milone* fratre ſuo, qui vocabatur Albus, quamdam partem

Digitized by Google

alodi, quem habebat in vico, Moringas nominato; eo tenore, vt poſt exceſſum ſuum alia pars in dominicatum Monachorum deueniret. Dedit quoque ſeruum, nomine Ærbertum. Nec non ante donauerat pro matre ſua, *Altrudi* nominata, vxorem *Vlrici* Preſbyteri Granantis villæ, cum omnibus infantibus ſuis. Signum *Aduini*, Henrici filij eius, *Æremberti*.

Carta de Donno Apro.

NOtum iri volumus omnibus quod Hugo Lanfredi curtis conceſſit ſancto Petro, vnum manſum in villa quæ vocatur ad Domnum Aprum propter Eccleſiam, quæ in eadem villa conſtructa eſt in honore ſancti Apri. Dedit quoque ſeruum in eo manentem cum vxore, & infantibus ſuis. Sig. *Landrici* filij eius, *Hugonis* filij eius. *Odonis*.

Carta de Arciaco villa.

TRadimus litteris ad poſterorum memoriam, quòd *Odo* Clericus de Gimellis, conceſſit ſancto Petro vnam villam in Arciaco villa, pro *Dodone* fratre ſuo. Sig. *Odonis*, *Bernardi*, *Beraldi*.

Carta de Beria.

APertum eſſe deſideramus omnibus ſecuturis, quod *Aduinus de Beria*, tradidit ſancto Petro vnum manſum apud eandem Beriæ villam, cum omnibus appenditiis ſuis, & vnum ſeruum nomine Algrinum. Sig. *Vualonis*, *Vuarnerij*, *Milonis*.

Item Alia.

SCire volumus quoſque tam modernos quam futuros quod Vualo conceſſit ſancto Petro vnum manſum in Beria, cum appenditiis ſuis, & vnum ſeruum nomine Hugonem de vado, cum vxore, & infantibus ſuis. Signum *Aldonis*, cuius nomen Ruſticellus, *Milonis*, *Maioli*, cognomento Mazilinus.

Cartæ

Digitized by Google

Carta de Nogdanti Villa.

OMnibus cognitum iri cupimus, quod *Hildelerius*, delegauit ſancto Petro pro filio ſuo Vuidone apud ſanctum Iulianum à baliſtario occiſo, vnum manſum in Gnodanti villa cum appenditiis ſuis, & conſuetudinibus; paritérque duas ancillas, quæ erant ſorores. Signum *Odonis*, *Vualterij*, *Bernardi*, *Beraldi*.

Carta de Albiniaco villa.

IDem quoque *Hildelerius* conceſſit ſancto Petro in villa Albiniacenſi, quæ eſt in comitatu Diuionenſi pro vxore ſua duos manſos, cum appenditiis ſuis, in terris, campis, pratis, ſyluis, paſcuis. Sig. *Odonis*, *Vualterij*.

Carta de Pinriaco.

CLareſcere voluimus cunctis, quod Milo de *Bellomonte* conceſſit ſancto Petro pro vxore ſua, vnum manſum in Pinriaco vico cum appenditiis ſuis, & vnum ſeruum nomine Euuardum, cum ſorore ſua. Sig. *Milonis*, *Fulconis*, *Odilonis*.

Carta de Campanis villa.

HOc etiam ad monimentum futurorum pandere volumus, quòd *Giſlebertus* de Reſcia conceſſit ſancto Petro pro vxore ſua vnum manſum in Campanis villa cum omnibus appenditiis ſuis, ſimúlque ſeruum nomine Lotzelmum. Sig. *Frodonis*, *Vuidrici*.

Item alia.

CVnctorum notitię patere volumus, quòd *Odo* Montis-Salionis ſenior dedit ſancto Petro pro Hugone fratre ſuo, vnum manſum in eadem Campanis villa cum appenditiis ſuis; paritérque ſeruum nomine Lozuinum. Sig *Pontij*, *Hugonis*, *Arlebaldi*.

Digitized by Google

Curta de Genciniaco.

MAnifeſtare iuſtum duximus, quòd *Vualo* de Scuuiliaco, dedit ſancto Petro pro prædeceſſoribus ſuis, vnum manſum cum appenditiis ſuis, in Gencinniaco villa,& ſeruum nomine Iſembardum, cum ſorore ſua. SignumDom. *Odonis* Abbatis. *Moroni*, *Benedicti.*

Carta de Nogdanti.

OPeræ pretium duximus literis tradere, quòd *Hilderius*, quem præfati ſumus, dedit ſancto Petro pro filia ſua, vxore ſcilicet *Odonis* qui dicebatur Vetulus, vnum manſum in villa prænominataNogdanti, cum vna ancilla. Sig. *Odonis*, *Bernardi*, *Beraldi*, *Vualterij.*

Carta de Vaura.

PAndi volumus modernis, & futuris quòd *Hugo* Rufus, tradidit ſancto Petro pro Humberto patre ſuo, filio Hildebranni, duos manſos cum appenditiis ſuis, in villa quæ dicitur Vaura,cum ſeruo. Sig. *Formaldi*, *Theoderici*,*Bernardi*, *Beraldi.*

Item alia.

HOc quoque incauſto diplomati inſeri volumus, quòd pro *Viſlerio* Milite, delegauerit vxor ſua ſancto Petro in præſcripto vico Vaura, vnum manſum cum appenditiis ſuis. Sig. *Milonis*, *Rotberti* Preſbyteri, *Hugonis* Præpoſiti.

Carta de Curte Salonis.

CEnſemus apicibus notificandum præſentibus, & futuris quod Rotbertus Montis *Salionis* Miles, frater *Vuidonis* Magni conceſſerit ſancto Petro ad exitum veniens, & Monachicum indumentum capiens, vnum manſum in vico Curtis Salonis, in parrochia Ruciacenſis villę ampliſſimum,cum

Digitized by Google

vno ſeruo, nomine Alberico. Sig. *Vuidonis* fratris eius. *Odonis* ſenioris montis Salionis. *Hugonis* fratris eius. Item *Hugonis* Lanfredi curtis.

Carta de verona villa.

CVnctorum notitię patere cupimus, quod *Milo Balbus*, Tilenſis caſtri Miles, delegauerit ſancto Petro vnum manſum in Verona villa pro vxore ſua cum appenditiis ſuis. Sig. *Formaldi*, *Aldonis* priuigni ipſius *Milonis*.

Carta de Luco.

ISdem quoque Milo cum Odone Diuionenſi Præpoſito, qui neptem eius in coniugio habebat, monomachi certaturus pugnâ, attribuit ſancto petro terram, quam habebat in Luco prope atrium Eccleſiæ, quò ſibi adiutor in diſpoſito bello exiſteret. Sig. *Lamberti*, *Odonis*, *Formaldi*.

Item Alia.

OMnium cognitioni clarum eſſe volumus, quòd *Pontius* de Beſoeta pro violentia, quam irrogauit aſylis ſancti petri, adita violando, quando quemdam Harduinum inde abſtraxit, dederit ipſi ſancto vnum manſum ampliſſimum cum appenditiis ſuis in Luco. Sig. Dom. *Odonis* Abbatis. *Moroni*, *Benedicti*.

Item alia.

HOc etiam de eo grammis allegare congruum duximus, quia pro multis tortitudinibus, ſceleribus, ſiue deprædationibus, in loco ſancto, vel in pauperibus eiuſdem loci, ab eo commiſſis quodammodò pœnitens delegauerit ſancto petro alium manſum in eadem villa cum appenditiis ſuis, & vnum ſeruum nomine Ioſbertum, qui etiam Babilinus appellabatur. Sig. Dom. *Odonis* Abb. *Moroni*, *Benedicti*.

Carta de Villari vico.

COngruum ducimus litteris notificare omnibus, quòd *Hugo* præpoſitus, pro vxore ſua conceſſerit ſancto Petro vnum manſum in vico, Villari nominato, prope Gradicum caſtellum; & vnum ſeruum vocabulo Lambertum. Sig. Domni *Odonis* Abb. Sig. *Benedicti*, *Tetbaldi*.

Carta de Auxiliaco.

NEceſſarium remur pro vtilitate ſequentium, ſcripturæ tradere, quòd *Vuillerius* de Criciaco dederit ſancto Petro vnum manſum in villa Auxiliacenſi cum appenditiis ſuis, & ſeruum nomine *Humbertum*. Sig. Domni *Odonis* Abb. *Benedicti*. Girardi Leuiri eius, *Humberti*, exactoris cuponum.

Carta de Bettonis Curtis.

NOtum eſſe volumus præſentibus, & futuris, quòd *Hagano* de Viſſiaco, veniens ad mortem, dedit ſancto Petro pro redemptione animæ ſuæ, vnum manſum apud villam Bettonis-Curtis, & vnum ſeruum, nomine Dominicum, cum vxore ſua, & filiabus. Et vt hæc Carta perpetuam firmitatem obtineat, nomina teſtium ſubter adſcribi rogauit. S. *Giſleberti*, *Hugonis*, *Vuillerij*, *Rotberti*.

Carta de Rainaldi Curte.

QVidam Miles *Humbertus*, in extremo vitæ conſtitutus, pro remiſſione peccatorum ſuorum dedit ſancto Petro apud Marceacum-villam, dimidium manſum, iam pridem à fratre ſuo *Girardo* alterius medietatis donatione facta ipſi ſancto Petro. Tradidit etiam ſeruum nomine Conſtantium cum vxore & infantibus ſuis: pariter etiam vnum apud Rainaldi-Curtem, in quo habitabat Dauid, cum omnibus appenditiis ſuis, in campis, in pratis, in ſyluis, in aquis, in aquarum decurſibus. Piſcatoriam etiam prędicti Conſtantij, ſicut

Digitized by Google

viuente eo tenuerat, attribuit monachis loci. Et vt hæc donatio obtineat firmitatem vigoris perpetui, litteris ſolemniter adnotauit. Sig. *Girardi* fratris eius, *Odonis*, *Hugonis*, & *Adelaidis* vxoris ipſius Humberti.

Carta de S. Sequano.

SCire volumus quoſque futuros, quòd *Raimodis* quædam Matrona ſpectabilis, ad exitum veniens, & multæ quantitatis pecuniam diuerſarum ſpecierum ſancto Petro relinquens, dimidiam coloniam apud ſanctum Sequanum Helpricurtis dedit, cum vna ancilla. Ne verò per ſuccedentia tempora hanc eleemoſynam vlla obliuio valeat delere, membranis deprecata eſt ad confirmationem tradere. Sig. *Hugonis* filij eius. *Gertrudis* filiæ eius. *Reginæ* filiæ eius. *Landrici* generi eius.

Carta de Picangiis.

NOtum iri volumus omnibus præſentibus, & futuris, quòd hac ſpe animatus *Hugo*, qui pro ſaluamento Crilliacenſis villæ ſaluator dicebatur, pro anima ſua, & filij ſui Vuidonis dudum interfecti, dedit ſancto Petro 7. manſos apud Picangias villam, & ſeruum nomine Halinardum conductorem ſuum, ancillámque, nomine Addetam, cum filio vocabulo Giraldo, & ſorore ipſius. Sig. *Hugonis*, *Formaldi*, *Halinardi*, *Odonis* filij ipſius Hugonis.

Carta de Euualdi Curte.

NOtum eſſe volumus præſentibus & futuris, quod *Riſmodis* vxor *Otberti*, ad exitum veniens, & diuinâ inſpiratione tacta, dedit ſancto Petro apud Euualdi-curtem vnum manſum cum ſeruo, nomine Haymone, in eo habitante, & vxorem eius, & infantes: & in villa quæ Fontanas dicitur, proxima Vilecaſtro, vnum manſum cum vno cliente, qui Chriſtianus dicitur. Sig. *Otberti*, *Humberti* filij eius, *Aldonis* filij eius.

Carta de Vetus-vineis.

NOtum iri volumus tam præſentibus, quàm futuris, quòd *Heinricus*, pro fratre ſuo Vlrico, dedit ſancto Petro dimidium manſum apud Vetus-vineas, & ſeruum eius, nomine Giraldum cum vxore ſua, eo tenore, vt quos ex hoc tempore genuerint infantes, in ſeruitium Monachorum cedant. Sig. *Henrici*, *Humberti* Rufi.

Carta de Icio.

PAtere volumus modernis, & ſucceſſuris, quòd Odo, qui dicebatur vetulus, ad extrema perductus tradidit S. Petro in villa Icio vnum manſum, & 3. iugera terræ in finibus eiuſdem villæ cum vno ſeruo, nomine Erberto, & filium eius cum eo. Sig. *Formaldi*, *Vualterij*, *Bernardi*.

Carta de Icio & Verona.

COgnitum eſſe optamus omnibus, quòd *Vuido* de Foſſato delegauit ſancto Petro pro fratre ſuo *Aldone* pincerna, duos manſos, vnum in villa Icio, alterum in villa Verona, cum vnò ſeruo, nomine Aldone. Sig. *Vuidonis*, *Amalrici*, *Aldonis*.

Carta de S. Sequano.

NOtitia quomodò quidam Miles, nomine *Vuido* pro remiſſione peccatorum ſuorum apud S. Sequanum Helpricurtis attribuit S. Petro manſum vnum, & vnum curtile in ipſa villa, & quartam partem Vachiriacenſis ſyluę, & vnam ancillam nomine Annam, cum duabus filiabus ſuis. Sig. *Pontij*, *Vuidrici*, *Belini*.

Carta de Pauliaco.

OMnibus præſenti vitâ vigentibus, & futurâ ſeruiturus manifeſtum eſſe volumus, quòd *Formaldus* de Icio dederit ſancto Petro pro anima vxoris ſuæ, quæ fuit

Digitized by Google

ſoror Vuillenci, manſum vnum apud Pauliacum, ſub teſtimonio vtrorumque parentum. Sign. *Formaldi*, *Bernardi*, *Beraldi*.

Item alia.

QVia labilis eſt huius vitæ ſtatus, notum iri volumus mortalibus, quòd quędam matrona vxor Hildemodi, *Emma* nomine, tradidit ſancto Petro vnum manſum apud Pauliacum cum vna cortina ſub teſtimonio præſentium fratrum. Sig. *Vuidonis*, *Æremberti*, *Anſelmi*.

Carta de Lalandi curte.

QVidam etiam Miles, *Lambertus* nomine, Vitricus Vuilenci, pro remedio animæ ſuæ, conceſſit ſancto Petro vnum manſum apud Lalandi-curte. Sig. *Vuillenci* priuigni, *Formaldi*, *Pontij*.

Carta de Sauiniaco.

SCire quoſque volumus, quòd *Vuido* de Porta ad exitum veniens conceſſerit ſancto Petro 2. manſos; vnum in Sauiniaco, alterum in Granciaco in regione Diuionenſi, & vnum ſeruum nomine Tedonem, habitantem in villa Verona. Sig. *Tetbaldi*, *Vuidonis*, *Humberti*.

Carta de Arciaco.

MAnifeſtum iri volumus omnibus, quòd *Tetbaldus* filius ipſius Vuidonis, tradiderit S. Petro vnum manſum in Arciaco-villa, & vnum ſeruum nomine Mauricium, ſororémque eius, quam Euuardus recalueſter de Acetis villa in coniugium habebat. Sig. *Vuidonis* fratris eius, *Humberti*, *Gunzonis*.

Carta de Auxiliaco.

PAndi volumus quibuſcunque, quòd pro *Moranno* vxor eius, & filius dederunt ſancto Petro vnum manſum

apud Auxiliacum, ſimúlque ſeruum, nomine Vualdricum. Sig. vxoris eius, *Ioffredi* filij eius, *Heinrici.*

Carta de Ponto.

COgnitio, quòd *Vuido* frater Moranni, delegauerit ſancto Petro vnum manſum in Auxiliaco, & alium in villa, quæ dicitur Pontus, beneficium quod à Monachis tenebat reddiderit, & manu miſerit. Sig. *Vuidonis*, Dom. *Odonis* Abb. *Moroni*, *Benedicti.*

Carta de Calmis.

MAnifeſtum eſſe volumus omnibus præſentibus, & futuris, quòd *Mainfredus*, pro Mauricio filio ſuo, dederit ſancto Petro 2. manſos apud Auxiliacum, & quicquid alodi in villa Calmis, quæ propinqua eſt Miribello caſtello, habebat, conceſſit. Sig. *Mainfredi*, *Leutbranni* filij eius, *Arlebaldi.*

Carta de Ponto.

ISdem quoque *Mainfredus*, pro vxore ſua priori, quæ fuit ſoror Tetbaldi Abbatis, dedit ipſi ſancto Petro vnum manſum in villa Ponto. Signum *Mainfredi*, *Mauricij*, *Leutbranni.*

Item alia.

APud Cuſciacum etiam dedit pro 2. vxore, quicquid alodi ex eius parte in eadem villa tenebat; laudantibus fratribus eiuſdem dominæ. Signum *Mainfredi*, *Theoderici*, *Vuidonis.*

Carta de vico Chimiſcenſi.

SCire volumus quoſque quod *Odo*, & Hugo, tradiderint S. Petro, pro fratre ſuo Vuidone interfecto, vnum manſum cum appenditiis ſuis, in vico Chimiſcenſi, cum vna ancilla nomine Helgardi. Sig. *Odonis*, *Hugonis*, *Milonis.*

Carta

Digitized by Google

Carta de Vuandaleni-curtis.

VNiuerſorum notitiæ cupimus patere, quod *Hildemodus*, delegauerit ſancto Petro omnem alodum quem habebat in vico Vuandaleni curtis, qui eſt in poteſtate Hortesis, cum vno ſeruo nomine Theoderico ſub cenſu pretij duorum denariorum ceræ. Sig. *Odonis*, *Pontij*, *Hugonis*.

Carta de Nogdanti villa.

LImitis vitæ velocitas cogit, vt memoranda quæque grammis Cartarum imprimantur, ne longitudine temporum intercurrente à memoria hominum deleantur. Quapropter notificare omnibus optamus, quod Arlebaldus Montis Salionis Miles, tradidit ſancto Petro vnum manſum in villa Nogdanti, cum vno ſeruo. Sig. *Odonis*, *Hugonis*, *Pontij*.

Carta de Villari vico.

OMnium nouerit induſtria, quòd *Aymo*, qui erat glabrio, conceſſerit ſancto Petro manſum vnum in vico, Villari vocabulo, cum vno ſeruo nomine Raimbaldo. Sig. *Henrici*, *Odonis*, *Vuidonis*.

Carta de Auxiliaco.

HOc etiam ſimili modo intimare curauimus, quòd *Ioſfredus* dederit ſancto Petro in vlla Auxiliacenſi 10. iugera terræ. Sig. *Oddonis*, *Henrici*, *Vuillerij*.

De obitu Arduini Epiſcopi.

DEfuncto autem venerabili *Arduino* Epiſcopo, *Raynardus* adeptus eſt Cathedram. Obeunte itidem *Odone* Abbate, ſucceſſit in locum eius *Vuido*, ex Monaſterio Areomarenſi Monachus. Hic paucis annis in regimine peractis repedauit ad ſuum Monaſterium, dimiſſâ huius loci guber-

Rainardus Arduino Epiſc. ſucceſſit. Et Odoni Abb. Vuido.

Digitized by Google

Et huic Gauſbertus

natione; cui ſucceſſit ad regimen animarum *Gausbertus* in Monaſterio ſancti Benigni Diuionenſis, Prioris gerens officium.

Carta de Eccleſia S. Remigij.

IN nomine ſanctæ Trinitatis & vnicæ Deitatis. Nouerit omnis ſæculorum tam præſentium, quàm futurorum ſucceſſio, quòd Dom. *Rainardus* Lingonenſ. Epiſcopus petente Abbate *Gausberto*, & eiuſdem loci Monachis, fecerit liberam ſancti Remigij Eccleſiam ab omnibus conſuetudinibus, quæ in *polyptico continentur; paratas, ſiue debitum, quod in Synodo debebat Preſbyter, remittens, ita tamen, vt Preſbyter quidem ad Synodum conſuetudinaliter cum cæteris pergat, cenſum verò alium nullum perſoluat. Quod vt immobile perſeueraret, iam dictus Pontifex exemplar huius ſubſcriptionis, firmitatíſque fieri iuſſit, ne quiſquam ſuorum ſucceſſorum hanc donationem euacuare præſumeret: interminationem damnationis perpetuæ ab omnipotente Deo ſubſtituens, qui huic notioni infracturam tentauerit inferre. Actum Lingonis in plenaria ſynodo. Anno ab Incar. Domini MLXXX. Ind. III. Sign. *Rainardi* Epiſc, qui hanc notitiam fieri iuſſit. Totius ſui ſynodalis conuentus Archidiaconorum ſuorum, ſeu Decanorum. Sig. *Girardi* Archid. *Ærleij* Archid. *Vualterij* Decani. *Hugonis* de Butgiaco Canonici.

Libro cenſuali.

1080.

Item Alia.

IDem etiam Epiſcopus reclamabat quemdam hominem vocabulo *Rotbertum* de Gurziaco, cum vxore ſua, & vnica filia, paritérque ipſius filię infantes, quos ex Lamberto ſeruo ſancti Petri habebat, ſed acceptis centum ſolidis, quicquid in eis rectitudinis ſibi habere videbatur, fratribus conceſſit, & ex ſuo iure in eorum dominicatum transfudit. Sig. *Vualterij*, *Rainerij*, *Richardi*, *Giſleberti*, *Aymonis*.

Digitized by Google

Carta de Eccleſia S. Valeriani, & villa.

CONſtat omnes perfectionis ſummam volentes arripere, Dominici præcepti regulam mentis oculis anteponere, quo ſuum quemque pro ipſo ſua diſtrahere, & pauperibus mandat deuotè diſtribuere. Quia talium iuſtitia per cuncta manebit ſęculorum volumina, & cornu ipſorum, id eſt, remuneratio certaminis eorum cœleſti exaltabitur in gloria, cum ad cœleſtes theſauros tranſlata terrena patrimonia, dantibus proderunt in perenni vita. Hac ergo ſpei fiduciâ confortatus ego *Pontius* caſtelli Bellijoci dominus, Redemptori omnium volo tradere de meis rebus, quæ mihi iure hæreditario relictę ſunt à parentibus. Do itaque Deo, & ſancto Petro Beſuenſi capellam conſtructam in honore ſancti Valeriani cum honore, & liberè ſicut hactenus viſus ſum habere, fratre meo *Eromuino* laudante, cum vinea; & campum vſque ad petroſam, & vſque ad fontem, & quicquid de ſylua, quæ eſt iuxta vineam Monachi, vel homines illorum ad culturam agri poterunt trahere. Nec non etiam de illa ſylua, quæ inter Eccleſiam & Sagonnam flumen eſt, quicquid ad vſum prati ipſi & homines eorum voluerint adquirere.

Concedo etiam mercatum cum omni libertate, & omnes conſuetudines, quas ego & frater meus videbamur habere; aliámque conſuetudinem paſtionis, quam nos, & homines noſtri in cunctis ſyluis, quæ in circuitu caſtelli Belli ioci ſunt, habent Monachi, & homines illorum ſimiliter habeant, ita vt homines illorum noſtræ partis paſtionaticum ipſis Monachis ſoluant, & materiam ædificandi domos ipſis, & hominibus eorum, qui illic voluerint remanere concedimus ex ſyluis noſtris ſine pretio; & inuentionem venationis, ſiue apum, quæ noſtræ partis eſt, & quam homines illorum inuenerint, Monachis concedimus, & totius culturæ terræ, quam eis damus, decimas, & tertias, Monachi habeant, & vbicumque carruca illorum cuiuſcunque hominis terram infra parochiam exercuerit, damus eis decimas.

De latrocinio verò, vel qualicumque proclamatione ex delicto in ipſa terra commiſſo, Monachis concedimus legem,

& errantem, & vetitum legaliter habeant, & nullius diſtrictione iudicabitur deprehenſus, niſi iudicio Monachi.

Si autem homo Monachorum delictum commiſerit, nullius violentia conſtringetur, antequam proclamatio ad Monachos facta fuerit; & ſi Monachi rectitudinem executi non fuerint, ad Abbatem priùs ipſa proclamatio referatur. Actum publicè Belloioco, vigiliâ Aſcenſionis Domini. Anno ab In-
1083. carnat. Domini M. LXXXIII. *Hugone* ex Notario Archiepiſcopatum Biſonticenſis Eccleſiæ gubernante, *Philippo* Francorum Rege exiſtente, *Oddone* Ducatum Burgundiæ regente. *Rotberto* fratre eius Lingonenſis Eccleſiæ præſulatum moderante. *Vuillelmo* Comite in rebus proſperè agente. *Gausberto* Beſuenſis Abbatię moderamina prouidente. Sign. *Pontij*, *Hermuini*, *Herluini*, *Vualterij* Vice Comitis, *Heurelmi*, & *Pontij* alterius.

Carta de Saluamento Neronti villæ.

NOtum eſſe voulumus præſentibus & futuris, quòd *Fulco*, & *Ioffredus* filius eius, ſaluamentum, ſiue commendationem, quam in Nerontis villa accipiebant, proclamatione facta à fratribus apud Ducem *Hugonem*, & Comitem *Vuillelmum* in generali placito ipſis pręſidentibus Beſuę, & cæteris quibuſque nobilibus viris inſtantibus, ſancto Petro, & Monachis eo tenore dimiſerint, vt quicquid ſibi iuſtè præteritis temporibus Monachi poterant in cauſa violentiæ, & tortitudinis, præter fundum terræ, & caput hominis vllo modo amputare, id totum remitteretur, & prædictæ villæ habitatores à ſupra ſcripta calũnia, & omnibus iniuriis vel tortitudinibus perpetuo liberi manerent. Quæ remiſſio vt perpetuæ firmitatis obtineret vigorem, & nullus de eorum hæredibus, vllo modo ſupradictam violentiam poſſet repetere, rogauerunt eam annotari litteris, & ad futurorum memoriam arctiùs retinendam, ſignatorum, vel teſtium nominibus confirmari. Sig. *Hugonis* Ducis. *Vuillelmi* Comitis. *Vuidonis* Comitis Matiſconenſis. *Girardi* Fontis-vennæ. *Vuidonis* Vuangionis Riui. *Pontij* Glanæ. *Aldonis* Tilecaſtri, Seuuini Vuldenaij. *Giſleberti*. Actum publicè Beſuæ in publico Con-

Digitized by Google

uentu. Anno ab Incar. Dom. MLXXVI. Ind. XIV. Imperante *Philippo* Francorum Rege. *Hugone* Duce præſente, & *Vuillelmo* Comite Burgundiæ II. Calend. Iunij die Martis.

Igitur poſtquam *Rainardus* Epiſcopus huius diei lucem clauſit, vitæ præſentis finem faciens, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Plures facti ſunt ſacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere*: neceſſarium fuit loco ipſius alium ſubſtituere. Et quoniam ipſe *Rainardus* ſatis clarè & gloriosè Lingonenſem rexerat ſedem, omnium quotquot eum Paſtorem habuerant animos in deſiderium & æmulationem hanc accenderat, vt Deo fauente, imò Deo donante talis ſibi conſtitueretur Paſtor, qui Domni Rainardi, ſicut ſucceſſor, ita foret etiam imitator. Quid plura? Rainardus Epiſcop. obiit. *Heb.* 7. 23.

Domnus *Rotbertus* eligitur, ſatis & ipſe clarus in omnibus, ex Francorum Regum proſapia editus, frater autem Ducis *Odonis* cognomento Borel. Fuit ſaturâ non nimium longus, nec tamen breui, ſed mediè temperata. Et quamuis geminæ ſcientiæ eloquentiâ floreret, verba eius rariſſima, niſi forent neceſſaria. Vt ergo dignum erat, communi voto, tam Cleri, quàm populi, Rotbertus eligitur, & Pontificali decoratus infulâ, Eccleſiæ Lingonenſi Pontifex præficitur. Robertus Ling. Epiſc. eligitur.

Ingrati videremur, ſi eorum quæ huic Eccleſiæ contulit beneficiorum immemores, ſilentio contegi pateremur. Primò itaque dicamus qualiter ipſe Capellam caſtri, qui Fons-Vennæ dicitur, Deo, & ſancto Petro Eccleſiæ Beſuenſis contradidit.

Carta Cappellæ de Fontvenz.

QVoniam genus humanum carnis mole corruptibili præocupatum, labilis ac defectuoſæ memoriæ contraxit vitium, bene viſum eſt prædeceſſoribus noſtris, vt quicquid ratum & inſolubile teneri vellent, fideli litterarum cuſtodiæ commendarent. Nos igitur eadem vſi ratione ea quæ ſubtitulantur, ne quandoque delerentur obliuione, retinere ſtuduimus litterarum traditione. Ego itaque *Rotbertus* Lingonenſis Epiſcopus *Humberto* de Fonuenz Lingonenſis Eccleſiæ Caſato, pro ſeruitio eiuſdem Eccleſiæ interfecto, cappellam prænominati caſtri Eccleſiæ Beſuenſi, in cuius cimi-

terio eum ſepeliuimus, laude, & conſilio coniugis ſuæ, fratrumque ſuorum eiuſdem caſtri omnium caſatorum, perpetualiter tenendam concedimus, quatinus per interuentionem B. Petri Apoſtolorum Principis, & orationes Monachorum ibi Deo ſeruientium, ſuorum obtinere valeat veniam delictorum. Ita etiam hoc donũ Lingonis in plenaria Synodo tenendum diiudicamus, vt ſi quis Clericus, vel Laïcus de beneficiis ad capellam præmiſſam pertinentibus præter voluntatem Monachorum Beſuenſium aliquid facere præſumat, ordinis ſui periculo, ſi Clericus ſit, ſi Laïcus excommunicationi, donec reſipuerit, ſubiaceat. Huius dationis teſtes ſunt: *Vuillelmus* Comes Burgundiorum. *Rainaldus* filius eius. *Humbertus* Rufus; & frater eius *Vuido*. *Vuido* Rufus, & cæteri caſati. Facta ſunt hæc Regnante *Philippo*, Epiſcopante *Rotberto*, *Stephano* dictante Cancellario.

Ioſbertus Abbas Beſuenſ.

In illo tempore huic cœnobio præerat Dom. *Iosbertus* Abbas, vir totius ſimplicitatis & Religionis, ſed quia in Eccleſia Dei alij ſunt murus ædificati cum propugnaculis, alij oſtium compinctum tabulis cedrinis, hic vir, quia non poterat ſicut murus expugnare domus Dei inimicos, exteriùs exiſtentibus innumeris raptoribus, interiùs periculis in falſis fratribus, erat tamen ad aperiendum, & claudendum oſtium compinctum tabulis cedrinis, quia habebat os ad loquendum, & tacendum, defloratum diuerſorum excelſorum, & imputribilium Patrum ſententiis. Proſpiciens igitur animæ ſuę bonum eſſe in ſuperni inſpectoris oculis habitare ſecum, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Cluniacum námque expetiit, & ibi reliquum vitæ ſuæ exegit, pacem quærens, & pacem inueniens, ei qui pax eſt Angelorum & hominum Chriſto conſociatus, Amen.

Intereà Dom. Rotbertus præfatus Lingonenſium Epiſcopus, bene ſollicitus animo voluebat quem huic Eccleſiæ loco Dom. Ioſberti Abbatem ſubſtitueret. Vertebat circumquaq; cordis oculum, quærens cui committeret huius Eccleſiæ baculum. Nec paſſus eſt eum Deus pro voto defraudari, ſed nec in quærendo longiùs fatigari. Eſt namque cella S. Eugendi, non multum diſtans ab vrbe Lingonenſi, in eodem Epiſcopio, in comitatu verò Trecaſſino, Eccleſia in honore

Cella S. Eugendi,

Digitized by Google

B. Stephani Protomartyris dedicata, in eminenti quodam monte, qui Barrus dicitur, decentiſſimè fundata. Factum eſt autem vt hîc inueniretur quod quærendum diu longéque fuerat, vt haberetur. Præerat namque illi loco Domnus *Stephanus*, quamuis ætate non multùm maturus, pietate tamen & Religione circunfultus, in Dei timore, & amore, & ſecundum Apoſtolum, in caritate radicatus & fundatus.

De Domno Abbate Stephano.

Stephanus Abbas nobili ortus genere.

VIdetur haud incongruum lineam generis ipſius paululùm adtingere, quoniam ſolet plerumque nobilitas & ſibi ad conſeruandam humilitatem, & Eccleſiis Dei ad reſiſtendum raptoribus plurimùm prodeſſe. Extitit itaq; patre nobiliſſimo progenitus, *Ioffredo* nomine, qui & ipſe non ſolũ Conſul ſed etiam à patre & auo Conſulibus originem duxit. De matre verò præfati Domni Stephani quid dixerim, niſi quod ex vtraq; parte, patris videlicet, & matris, ex progenie Conſulum, immò ab ipſis Conſulibus eſt generata. Fuit námque *Arnulfi* nobiliſſimi, & audaciſſimi Conſulis de *Riſnel* filia, matrem habens clariſſimi Conſulis *Gerardi* de Fontuenz filiam. Quod autem iſte leonum catulus, in agnum primò mutatus, poſteà vt aries ad deffendendum eam cornibus, & ad generandum in ea ſpirituales agnos in Eccleſia ſit conſtitutus, fuit hoc gratiâ Dei, fuit hæc mutatio dexteræ excelſi. Volo, ſi poſſim, quamuis non faceto, vero tamen ſermone percurrere, qualiter iſte leonem rugientem reliquerit, & leonem de tribu Iuda ſecutus ſit; & qualiter ab agno immaculato agnus effectus ſit vt ſequatur eum quocumque ierit.

Eius acta percurruntur.

In diebus illis vocauit ſponſus ad ſe ſponſam ſuam, Chriſtus videlicet Eccleſiam, venire à cubilibus leonum & montibus Leopardorum, per montem myrrhæ, & colles Libani. Principes enim qui priùs fuerant ſimiles leonibus propter crudelitatem & terrorem; & leopardis, propter diuerſarum iniquitatum varietatem, hyſſopina, humili ſcilicet confeſſione mundati, per myrrhæam mortificationem libanino candore ſunt ſuper niuem dealbati.

Horum verò extitit caput & Dux quidam Comes Fran-

Digitized by Google

De Simone Creſpienſi Comite.

corum nobiliſſimus, *Simon* nomine Rodulphi Comitis. Hic diuinâ reſpectus miſericordiâ, mundum fugientem fugit, & Chriſtum vocantem ſe ſecutus eſt. Expetiit autem cœnobium ſancti Eugendi Iurenſis, ibi Chriſto ſe ſacrificaturus. Præmiſerat ante ſe duos illuſtriſſimos viros, Domnum *Rodulfum*, & Dom. *Franconem*, ſecum verò duxit Domnum *Rotbertum*, Dom. *Arnulfum*, & Dom. *Vuarnerium*. Hi omnes & ſecundum genus ſeculi clariſſimi, & ſecundum Deum nobiliſſimi, poſteà ſe holocauſtum Deo obtulerunt.

Fit Monachus cum aliis pluribus nobiliſ. in Monaſt. S Eugendi ſeu S. Claudij.

Inter quos Stephanus.

Erat adhuc Domnus *Stephanus*, (de quo nobis ſermo) tenellus militaribus tamen armis decoratus: ſed ſaniori vſus conſilio, immò Deo inſpirante, Patres prædictos ſecutus, ſeculari balteo abrenuncians, Chriſtíque iugum ſuſcipiens, in præfato cœnobio monachilem vitam arripuit, ibíque ſub Domno Hunaudo Abbate per decem annos ſe in Dei ſeruitio mactauit. Deinde Cluniacum expetiit, vbi cum auunculo ſuo Domno *Vuidone* Priore Magno, per annum demoratus eſt. Quo Vuidone poſteà pro Religione, & ſanctitate vitæ facto Abbate, ipſe eum Pictauis ſequutus, ſemper ſeipſo melior efficiebatur. Nouiſſimè ad Monaſterium ſuum regreſſus, apud Barrum cellam ſancti Eugendi miſſus eſt. Fiebant hæc omnia Dei diſpoſitione, ſine cuius nutu nec paſſer cadit ſuper terram. Hic igitur inuentus eſt Domnus Stephanus, atque à venerabili præfato *Rotberto* Lingonenſi Epiſcopo, & ab Abbate ſuo huic loco conceſſus, quamuis renitens Abbas effectus eſt, Anno Incarnat. Domini M. LXXXVIII. Ind. XI. Epacta XXV.

1088.

Abbas Beſuę effectus inſtaurat omnia.

Iam verò quantâ curá, quanto ſtudio hunc locum emendare & augmentare ſtuduerit, & ſi ceſſent verba, ipſa teſtantur opera. Nam quamuis Monaſterium iſtud à quingentis, aut eo ampliùs annis primitus fuerit conſtructum, à tempore Domni Stephani Abbatis videtur ſumpſiſſe principium, ita omnia innouata, omnia ſunt in melius immutata. Nam quocumque gradiebatur, hoc illi erat deſiderium, hæc illi mentis cupiditas, vt ſi alicubi aliquid vidiſſet honeſtum, aut Eccleſiæ ſuæ neceſſarium, aut illud ipſe aſportaret, aut ſimile in Eccleſia ſua ipſe conſtrueret. In Religione verò ita refloruit locus iſte in diebus illius, vt vſque ad mundi dominam Romam,

Digitized by Google

mam, famosum nomen haberet Besua, & per totam Galliam vsque ad maris littora. Vnde factum est, vt cùm primùm hic veniret; vix viginti essent Monachi; in diebus verò ipsius quinquaginta seu sexaginta Deo seruientes, & victus ac vestitus necessaria accipientes.

Si verò computemus eos, qui in Cellis nostris extra Besuam habitant, numerus vsque ad centenarium consurget. Sed & illud est ei à Deo præstitum quòd in diebus eius aliqui conuersi ad Dominum, & ab eo in hoc loco accipientes Religionis habitum, posteà facti sunt & ipsi lumen Ecclesiarum. Præficitur námque Ecclesiæ sancti Michaëlis Ternodorensi Domnus *Vuido* Abbas. Præficitur Ecclesię sancti Sequani Dom. *Henricus* Abbas. Præficitur Domnus Eustasius Ecclesiæ Nouiomensi sancti Eligij. Præficitur Ecclesiæ S. Ioannis Dom. *Godefredus*. Et quamuis ipse non fuisset noster Monachus, de nostro tamen Monasterio est assumptus. Sed & alij quam plures sub eo æmulatione paterna ducti, in ædificando, & adquirendo eum imitabantur Patrem, & hanc Ecclesiam dilatauerunt, & ornauerunt, & munierunt vt matrem.

Insignes qui sub disciplina Stephani extitere Monachi.

De ædificiis & adquisitionibus tam intra Besuam, quàm extra, de instauratione corporis ipsius Monasterij, seu officinarum, de Bibliotheca tam veteris, quàm noui testamenti, de ornamento Ecclesiastico in tabulis, in capsis, in calicibus, in crucibus, in thuribulis, in vestimentis ad officium Ecclesiasticum pertinentibus, de cappis, & cortinis, de pallis, & signis ab eo & aliis fratribus, & filiis huius Ecclesiæ ipsius tempore comparatis, & huic loco collatis, aliquantulùm latiùs in sequentibus differemus.

Nunc interim dicamus de Ecclesiis, quæ huic loco in diebus ipsius collatæ sunt, tam in hoc Episcopatu, quàm in aliis. Ecclesia sancti Symphoriani de Albiniaco. Ecclesia sancti Benigni. Ecclesia sancti Christophori Canlintensis. In Episcopatu Tulensi, Ecclesia sancti Vuillegaudi, apud Romonem castrum. Et hæc qualiter & à quibus sint collata, cartæ huic libello insertæ ostendunt.

Ecclesiæ è Besua pendentes.

Digitized by Google

Carta de Albiniaco, & de Eccleſia S. Benigni.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Quoniam anteceſſores noſtri quicquid ratum & indiſſolubile teneri voluerunt, litterarum cuſtodiæ commendauerunt vt videlicet, quod ſegnis deleret obliuio, litterarum aperiret repreſentatio, dignum duximus litteris commendare ea quæ perpetualiter volumus permanere. Ego igitur *Rotbertus* Lingonenſis Epiſcopus Eccleſiam de Albiniaco, & atrium eius, * paratas etiam & * Eulogias quæ ad Epiſcopum pertinent, & Eccleſiam ſancti Benigni, & atrium eius, conſenſu & conſilio fratrum Lingonenſium, Eccleſiæ Beſuenſi tenendam concedo, & in plenariâ ſynodo Lingonis habitâ Stephano præmiſſæ Eccleſiæ Abbati, de manu in manum trado, & ſucceſſoribus eius perpetualiter habendam inſtituo. Hoc etiam donum ita tenendum, & permanendum diiudicamus, vt ſi quis Clericus, vel Laïcus auferre eis præſumpſerit, vel inde eos iniuſtè inquietauerit, ſi ſit Clericus, ordinis ſui periculo; ſi Laïcus, anathemati, donec reſipuerit, ſubiaceat. Sig. *Gozelmi* Archid. *Hugonis* Arch. *Guarnerij* Archid. *Norgaudi* Arch. *Girardi* Archipreſbyteri. *Guidrici* Archipreſbyteri. Facta ſunt hæc *Philippo* Regnante, Epiſcopante *Rotberto*, *Stephano* dictante Cancellario.

* *Item quod procurationes, paſtus, i. cibi parati.*

* *Hîc Eulogiæ pro muneribus quæ Prælatis ſubditi offerebant.*

Carta de Siuoio.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum ſit omnibus fidelibus Chriſti, qualiter media pars Eccleſiæ de Siuoïo, ſubnixa eſt Eccleſiæ Beſuenſi. Abbas Stephanus, vir Religioſus dum remigando per Segunnam ad Eccleſiam Beſuenſem remearet, ab *Hermuino*, orto nobili progenie in eadem villa hoſpitio ſuſceptus eſt. Benigniſſimo amore eum ſuſcepit, atque omnem humanitatem hoſpitalitatis ei exhibuit, & in craſtino die pro æternis peritura commutans in portu Prantenenſi mediam partem Eccleſiæ de Siuoio, & Eccleſiam S. Dionyſij in eadem villa, ſicut erat ſibi in patrimonio, pro anima ſua, Anteceſſorúmque ſuorum ſub teſti-

Digitized by Google

monio legali, per manus ſupradicti Abbatis tradidit Apoſtolis, ſcilicet Petro & Paulo, Eccleſiæ Beſuenſis. Acta ſunt hæc anno ab Incar. Dom. M. XCIII. Indict. I. Epact. xx. Luna VIII. Regnante Imperatore *Henrico* anno XXXIV. Principante *Stephano* Comite, *Hugone* Archiepiſcopo Archiepiſcopalem Cathedram tenente. Si quis hanc Cartam violauerit, ſeparetur ab Angelorum choris, ſociéturque Datan & Abiron, hîc & in æternum in inferno inferiori. Signum teſtium noſtrorum. Signum *Hermuini. Aimonis. Lauenchæ. Giraldi. Albrici. Teberti. Stigandi.* Ego *Godefredus* Cancellarius Abbatis dictaui, & bene ſubſcripſi.

Carta de Camlintenſi Eccleſia, & de Majaſco.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Quoniam conſuetudinarium eſt, & ab anteceſſorum noſtrorum induſtriâ ductum, vt ea, quę memoriæ commendanda videntur, litterali trandantur cuſtodiæ, dignum duximus, ea quæ ſubinferuntur ne obliuione diſpereant, nec vel quod inde actum eſt, quandoque aliquâ immutetur fraudulentiâ, in huius Cartæ ſinu fideliter recondere. Ego igitur *Rotbertus* ſanctæ Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, precibus *Stephani* Abbatis Beſuenſis Eccleſiæ, ſæpiùs ammonitus, voluntati illius tandem adquieſcens, cum in Eccleſia Lingonenſi Synodum celebraremus, & de Eccleſiaſticis negotiis pro poſſe diligenter tractaremus, conſilio, & aſſenſu Archidiaconorum conſedentium, duos Preſbyteratus Camlintenſis videlicet Eccleſiæ, & Eccleſiæ de Maiaſco, B. Petro Beſuenſis cœnobij, & fratribus ibi Deo ſeruientibus, deinceps habendos concedimus; ita vt Preſbyteri parochiales, qui in eis decantauerint, medietatem omnium ad eoſdem Preſbyteratus pertinentium per manus Beſuenſis Abbatis obtineant, Archidiaconibus, aliiſque miniſtris debita ſeruitia exhibeant, paratas, & Eulogias ſuo tempore communiter perſoluant. Facta ſunt hæc Lingonis in plenaria Synodo, *Vrbano* Papa exiſtente, *Philippo* in Galliis regnante. Signum *Vuillenci* Archidiaconi. *Gocelmi* Archidiaconi. *Garnerij* Archidiaconi. *Norgaudi* Archidiaconi. *Gosberti* Archi-

Lanfricurtis. Lamberti de Domarim. *Vuidrici* Præpoſiti. *Ricardi* de Vircillis. *Rodulfi. Odonis* de Bellomonte. *Haimonis* de Fontanis. *Odonis. Vualonis* de Calmis. Clericorum verò, *Humberti* Archipreſbyteri. *Vuillenci* Sacerdotis. *Ioannis* Sacerdotis.

Carta de Eccleſiis, quas dederunt nobis Humbertus, & Vuido.

AGnoſcat hoc vita Credentium, quòd res nulla meliùs in factis hominum, quàm eleemoſyna quæ bono fit animo, placabilem reddit Deum. Dicente ſcriptura. Sicut aqua mortificat ignem, ſic eleemoſyna occidit peccatum. Ergo de hac ſententia non ſurdi, ſed fideles auditores fuere duo fratres, *Humbertus* Rufus & *Vuido*, filij Humberti Fontisvennæ. Hi in flore iuuentutis ſuæ pro remedio ſuarum animarum, ſuorúmque maiorum fidelium, Eccleſias quas de proprio iure retinebant, citra aquam quæ Aſmantia dicitur, Deo & ſancto Petro, & Beſuenſi cœnobio conceſſerunt, vt caritas altiùs firmaretur, apud Biſonticam ciuitatem, ſecus Baſilicam ſancti Vincentij, in præſentia *Hugonis* Archiepiſcopi, ſupra dictas Eccleſias Stephano Abbati, & Beſuenſi Eccleſiæ perpetualiter tradiderunt. Licet ſcire quartam partem baſilicę ſancti Martini de Monaſterio, & quicquid habebat Eccleſia ſancti Chriſtophori Camlintenſis, & quartam partem Eccleſię ſancti Mauricij de Siuoïo, medietatem Eccleſię Fontis vennę villę, ſimiliter capellam de Caſtro, ſimili modo Eccleſiam de Liuo curte ſub tali teſtimonio. Sig. *Hugonis* Archiepiſcopi, *Mainerij* Archidiaconi, *Bernardi* Magiſtri, *Ermuini*, *Seuuini*.

In ipſa die prædictus Epiſcopus annuit *Stephano* Abbati omnes Eccleſias licenter habere, quas poſſet acquirere in Diœceſi ſua.

Acta ſunt hæc anno ab Incar. Domini M. XCVIII. Ind. VI. Epact. XV. Vrbano Papa præſidente Romæ. *Henrico* Imperante in Romano Imperio.

Carta de Albiniaco.

FIrmiſſimè ſciat omnis ordo fidelium, quòd *Odo*, filius Hugonis, Senior Montis Salionis, poſtquàm ſuſcepit honorem ſuum à Roberto Lingonenſi Epiſcopo in Calma de Perciaco, reddidit ſupradicto *Rotberto* Eccleſiam de Albiniaco, tali modo, vt eam ſuo rogatu, & ſuo conceſſu traderet ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ perpetualiter poſſidendam. Hoc audiens Pontifex alacri animo ſuſcepit donum, quod Abbati Stephano, & Eccleſiæ Beſuenſi, vt ſupradictus Odo ſubgeſſerat, firmiter conceſſit, ſub teſtibus iſtis. Sig. *Rotberti* Epiſcopi. *Stephani* Abbatis. *Albrici* Monachi. *Vuarnerij* Archidiaconi. *Humberti* Archipreſbyteri. *Vuillelmi* Fontis-vennæ. *Vuidonis* de Radiaco. *Seuuini* filij eius. *Odonis*, qui donum fecit. *Vuidrici* Præpoſiti. *Tetboldi*. *Landrici*. *Vualonis*, *Alelmi*, & fratris eius. *Pagani* de Icioma. Acta ſunt hęc anno ab Incarnat. Domini M. XCVIII. Ind. VI. Epact. XXVI. Regnante *Philippo* Rege Francorum. *Odone* Ducatum tenente. *Rotberto* fratre eius, Epiſcopalem cathedram regente. Si quis hanc Cartam violauerit, ſeparetur ab Angelorum choris, ſocietúrque Datan & Abiron hîc & in ęternum in inferno.

Carta de Liſſeiaco.

IN nomine ſanctæ & indiuiduę Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Notum ſit omnibus pręſentibus & futuris, Odilonem Liſſeiacenſem Militem, Deo ſanctóque Petro liberrimé dediſſe, quicquid apud eandem villam Liſſeiacum habebat, cum ſeruis, & ancillis. Qui etiam cùm morti eſſet proximus, *Anxiricum* nepotem ſuum ſubſtituens hæredem ſibi, præcepit ei, vt niſi prędictam ſeruaret donationem, ſua nullomodo retentaret. Signum *Ioffredi* Belmontis. Signum *Hugonis* Magni. Signum *Gibuini*. Signum *Hugonis* Columbę.

Digitized by

Item alia.

QVædam etiam mulier generoſiſſima, Facies vulgò dicta, cum ſobrina Albrici Arcionenſis Monachi, quæcumque in ante fata villa poſſidebat, Beſuenſibus contradidit Monachis, vnà cum duobus ſeruis Girardo, & Vuillelmo, cum vxoribus eorum, & filiis, eo tenore, vt ab eiſdem alimonia donaretur Monaſterij, quoad viueret. Quæ tamen poſſeſſiuncula Sacriſtę ad luminaria Eccleſię poſtmodùm data eſt precatibus, & piâ importunitate prę memorati Anſirici. Signum *Anſerici.* Signum *Odilonis* fratris eius. Sig. *Albrici* Monachi. Sig. *Vlrici* Monachi.

Carta de Cypeto.

OPeræ pretium viſum eſt ac neceſſarium poſteris commendare memoriæ, quòd *Odo* Chaterius de Cypeto eleemoſynam ſocrus ſuæ *Elizabet*, quæ & Caritas appellata fuerat, videlicet partem ſuam de ſylua, quę adiacet villæ, quam dicunt Veteres-vineas, licet iniuſtè calumnians, poſtmodùm reſipuit, & priorem donationem, ſicut facta fuerat, ſancto Petro, & Eccleſiæ Beſuenſi liberrimè conceſſit. Addidit etiam vt Monachus, qui Cypeto manebit, habeat vſuarium liberrimum in ſyluis, campis, pratis, & in omnibus aquis piſcatione, excepto viuario Domni dato, ſed & in ipſo, ſi Abbas in ipſa villa Cypeto venerit. Teſtes huius rei. Signum *Odonis*, qui hoc Donum fecit. Sig. *Odonis* viridis. Sig. *Stephani* Abbatis. Sig. *Vuilenci.* Et de familia ſancti Petri. Sig. *Otberti* Cocci. Signum *Hugonis*, & aliorum multorum.

Carta de Fontanis.

CLarificetur cunctis viuentibus, póſtque futuris, quòd *Hugo* iuuenis de Fontanis Miles, veniens ad obitum ſuum quæſiuit habitum Monachi, & deuotè ſuſcepit, factúſque Monachus pro remedio animæ ſuæ ſuorúmque anteceſſorum fidelium, dedit Deo, & ſancto Petro Beſuenſis

Digitized by Google

Eccleſiæ in ſupradictis Fontanis, vnum manſum liberum cum omni libertate, & VII. iugera terræ, & tres facces de prato. Vt hæc donatio inconuulſa permaneat, adſignamus ei teſtes veraces. Sig. *Bertranni* Militis de Fontanis. Sig. *Theoderici* filij eius. Sig. *Hugonis* Carrucæ. Sig. *Vuidrici* filij eius. Sig. *Vuilenci* Militis. Sig. *Vualonis* Columbę de Bello monte. Sig. *Rodulfi* Militis de Aquis. Sig. *Rodulfi* ruſtici de Fontanis. De Monachis: Sig. *Vuilenci*. Sig. *Vuarnerij*. Sig. *Odilonis*, & aliorum multorum.

Carta de Lixiaco.

INter cæteras eleemoſynas, quæ factę ſunt Eccleſiæ Beſuenſi, notum ſit omnibus fidelibus, quòd *Vuido* Miles de Inſula Bollini, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, quicquid habebat, vel habere exiſtimabat ab anteceſſoribus ſuis in Lixiaco, pro remedio animę ſuæ, ſuorúmque anteceſſorum fidelium. Et hoc factum eſt antequam pergeret Hieruſalem. Poſtquàm hoc iter cœpit & obitum ſuum cognouit, remiſit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, per ſocios ſuos, *Hugonem* Militem de Excuuiliaco, & per Conſtantium de Diniaco ſex vncias auri, & eleemoſynam ſuam, quam fecerat de Lixiaco, & eleemoſynam matris ſuæ de Flexo, conceſſit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, habere in perpetuum. Sig. *Vuidonis* Mil. qui hoc donum fecit. Sig. *Hugonis* Mil. Sig. *Conſtantij*. Sig. *Stephani* Abbatis. Sig. *Vvilenci* Prioris. Sig. *Albrici* Captiui, & aliorum multorum.

*Carta de Capella Montis * Saluionis.*

al * Saliomis.

IN nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Quoniam conſuetudinarium eſt, & ab prędeceſſorum noſtrorum ductum induſtriâ, vt ea quæ perpetuę memoriæ commendanda videntur, litterarum tradantur cuſtodiæ, dignum duximus ea quæ ſubinferuntur, ne obliuione diſpereant, ne vel quod inde legitimè actum eſt, quandoque aliqua immutetur fraudulentia, in huius Cartæ ſinu fideliter recondere. Ego igitur *Rotbertus* almæ ſedis Lingonicæ,

Lingonicæ Dei nutu Epiſcopus, dum in matris Baſilicæ gremio, nobis à Chriſto collatę degeremus, & ſecundum noſtrum dogma vnà cum fidelibus prędatę Eccleſię de ſtatu & profectu illius, cum conſilio & voluntate eorum vnanimiter tractaremus, adfuit inter eos amicus noſter Beſuenſis Eccleſiæ Abbas D. *Stephanus*, noſtram benignitatem humiliter expetens, quatenus Capellam, quæ eſt in caſtello Montis-Saluionis ſita, ad Eccleſiam de Albiniaco pertinentem in honore ſanctę Dei Genitricis dedicatam, ſancto Petro Beſuenſis Eccleſiæ per inſtrumenta apicum concedere, & miſericorditer largiri non dedignaremur. Cuius nos iuſtam, & rationabilem petitionē libenter ſuſcipientes, hoc quod piè & rationabiliter poſtulauit, per conſilium fidelium noſtrorum, recto ordine ad effectum perducere curauimus. Dantes & concedentes ſupraſcriptam capellam ſaluis omnibus Lingonenſis Eccleſię conſuetudinibus. Eà tamen conditione, vt capellanus eidem capellæ inſeruiat, & beneficiarios vſus ab ipſo Abbate Beſuenſi habeat & poſſideat. Vt autem huius noſtrę conceſſionis teſtamentum futuris temporibus conſeruetur, & abſque diminutione, aut immutatione aliqua cuſtodiatur, manu propriâ eam firmamus, & Archidiaconorum noſtrorum firmandam tradimus. Signum *Gocelmi* Archidiaconi. *Vuilenci* Archidiaconi. *Hugonis* Archid. *Amalrici* Archid. *Vuarnerij* Archid. Acta ſunt hæc Lingonis plenaria Synodo, Romanæ ſedis Paſchali Apoſtolatum gubernante, *Philippo* Regnante, *Rotberto* Epiſc. Lingonenſem Eccleſiam regente, *Stephano* Cancellario. *Duranno Notario*, ſuas vices vtroque exhibente.

Item de eadem Capella.

NOtificetur cunctis, qui has legerint vel audierint litteras, quòd Dom. *Stephanus* Beſuenſis Abbas *Vuidrico* Clerico de Orgis, ſcilicet nepoti Vuidrici Prępoſiti dedit medietatem Capellę de Monte Salionis, tempore ſuę vitæ tali pacto, & tali ratione, vt per hanc partem ex toto ſeruitium faciat, & fidelis ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, & ſupradicto Abbati exiſtat. Si autem ipſe, vel Preſbyter Ca-

pellanus, quiibi pro eo Vicarius fuerit, de noſtra diuiſione aliquid malè ſubripuerit, vel defraudauerit, ammonitus inde ſe & Preſbyterum apud Beſuam repreſentet coram Abbate propter iuſtitiam faciendam, ſicut ſuus homo. Si quoque Dom. Abba in longinquo itinere ire voluerit, ſupradictus Clericus paratus cum ſuo equo ad ſibi ſeruiendum exiſtat. Hoc, vt ſupra diximus, tempore ſuę vitæ agat, poſt mortem verò eius in manu Abbatis, & in poteſtate redigatur. Huic ſubſcriptioni adſignamus teſtes: Signum *Stephani* Abbatis. *Vuidonis* Prioris. *Vuilenci*, *Ioannis*, *Vuarnerij*, *Landrici*, *Albriti*, *Ioffredi*. De Laïcis, *Vuidrici*, Præpoſiti de Monte-Salionis, *Girberti* de Miribello, *Oberti* coci, *Hugonis* famuli.

Carta de Tenimentum Germani Preſbyteri.

FIdelis concio tam præſentium quàm futurorum, pleniter agnoſcat, quod Dom. *Odo* iuuenis, de Monte Salione dominus, in ſolemnitate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli apud Beſuam venit, ibique oblationem Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum fidelium, per textum Euangelij ſuper ſanctum Altare ſupradictorum Apoſtolorum, tenimentum Germani Preſbyteri dedit, pertinentem, & adiacentem altari ſancti Symphoriani de Albiniaco, ſcilicet decimationem de propria vinea domini Montis-Salionis, & tertiam partem de decimis, quæ pertinent ad dominicationem Epiſcopi de vineis, de coruatis, de tertiis, & omnem decimationem de terra ſancti Petri. Nec non & querimoniam quam iniuſtè querelabat ſuper cimiterium de Albiniaco, de cellariis, & de omnibus rebus, poſtpoſuit, & conceſſit iure perpetuo tenendum Beſuenſi Eccleſiæ, & Monachis cum omni libertate. Hoc totum factum eſt rogatu Germani Præſbyteri, filió. rúmque eius, qui pòſt inde noſter effectus eſt Monachus. Huic rationi adſignamus teſtes. Signum *Odonis*, qui hoc conceſſit, *Tetboldi* Militis, *Richardi* de Vircillis, *Vuidrici* Præpoſiti, *Lamberti* Militis de Domarim, *Calonis* de Siluiniaco, *Girardi* Criſpi Militis, *Humberti* Militis de Bigorna, *Hugonis* Militis de Torciniaco, *Theoderici* de Diuione Militis, aliorúmque multorum.

Digitized by Google

Carta de Petro Domino Miribelli.

OMnis fidelis ſexus, tam de Laïcis, quàm de Clericis, planè ſciat, & agnoſcat, quòd Domnus *Petrus* de Monte Salionis ſenior de Miribello, propter quoddam infortunium quod ſibi contigit, quodam die veniens ad Beſuenſe Monaſterium, in præſentia Domni Stephani Abbatis, & Monachorum, nec non & Laïcorum multorum, ſupradictus *Petrus*, & Domnus *Odo* nepos eius de Monte Salionis dominus, ambo omnem calumniam de piſcatione, quam habebant ſuper aquam noſtram, quæ eſt à Molendino, quod eſt vltra Neronem villulam noſtram vſque ad Beſuam, ex toto poſtpoſuerunt, & ſi quid iuris inibi ex parte ſua, vel ſuorum anteceſſorum vnquam fuit, Deo, & Beſuenſi Eccleſiæ in illa die æternaliter condonauerunt. De hac re ſupradictus Petrus, & de ſuis malefactis, quę anteà malè egerat aduerſus Eccleſiam ſatisfaciens in præſentia Domni Stephani Abbatis, de omnibus querimoniis finem fecit. Et vt pax firmiùs teneretur, & bonus finis omnibus diebus vitę ſuæ, manu ſua coram omnibus, finem & pacem ſupra ſanctas Reliquias iurauit, nec non & *Rainaldus* Præpoſitus eius de Miribello, & *Hugo* Clericus, & Lambertus de Iergeiaco, hoc iurauerunt perpetualiter tenendum. Nec non & Milites, quorum authoritate hoc fecit: Dedit fidei iuſſores Domnum *Ioffredum* cum ſuis filiis, *Hugonem & Fulconem*, *Hugonem* Columbam cum ſuo filio *Vualone*, *Milonem* cum ſuo filio Euuino. Dom. *Odonem* nepotem ſuum; *Theodericum* de Diuione, filium Stephani, *Aymonem* de Diuione, cognomento Chag, *Odilonem* de Liſiaco. Sig. D. *Stephani* Abbatis, *Vuidonis* Prioris, *Vuilenci*, *Albrici*, *Landrici*, & aliorum multorum.

Carta de Burbureno.

NOtum ſit omnibus hominibus, qualiter homines natiui de villa, quæ dicitur Burburena commanentes in Beſua poſt combuſtionem domorum, quas in noſtra terra primitus habuerant, alias reædificare cupientes, ad Abbatem

loci iſtius, nomine *Stephanum*, conuenerunt, reædificandi licentiam quærentes. Quibus ipſe ait. Abſit vt vnquam deinceps in noſtro fundo ita manſiones habeatis, ſicuti hactenus habuiſtis, niſi conſuetudinaria ſeruitia reddideritis, ſicut noſtri, & alij faciunt, qui in noſtra poteſtate conſiſtunt. Si autem nolueritis, conſtruendi vlteriùs licentiam à me non conſequemini. Hæc autem verba Abbatis videlicet illi audientes, inter ſe conſilium inierunt, & cum eo pactum firmiter ſtatuerunt, vt deinceps vnuſquiſque de generali placito tantummodò duodecim nummos perſolueret, alias verò conſuetudines facerent, excepto carritum vini de Gibriaco, niſi per ſuam bonitatem aliquis ex eis vellet facere.

Conſtituit etiam ipſis idem Abbas Stephanus, vt nec ipſe, nec aliquis in poſterum ſuper eos talliam faceret, alias vero conſuetudines ab eis exigeret: Et hoc etiam ſtatuerunt, vt ſi quis illorum iniuriam à Monachis, vel à ſeruis ſancti Petri pateretur, nullam proclamationem, neque alienam iuſtitiam quæreret, donec iuſtitia Abbatis, & Præpoſiti Monaſterij ei deficeret. Signum Stephani Abb. Landrici præpoſiti. Ex familia vero ſancti Petri fuerunt illic tunc multi. Sig. *Aydulfi*, *Giraldi*, *Albrici*, *Villici* de Burburena villa & aliorum multorum.

Carta de Maiaſco.

AGnoſcat firmiter omnis ordo fidelium, quòd Vuido Miles de villa, quæ Firmitas nuncupatur, decidens in infirmitate, noſter effectus eſt Monachus, ipſe & frater eius Theodericus, & vxor, cum filis & filiabus ipſius Theoderici, totum alodium ex parte generis ſui & ex parte Gybuini de Bello monte, & eius vxoris, quod habebant in villa, quæ Maiaſcus dicitur, in manſis, in agris, in pratis, in ſyluis, in eleemoſyna deuotè obtulerunt Deo, & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, & Beſuenſi Eccleſiæ pro remedio ſui, ſuorúmque anteceſſorum pro viuis ſiue defunctis.

Vt donum iſtud firmiùs teneretur, vxor Theoderici inde pro ſigno habuit vnum annulnm de auro, & *Richardus* filius eius vnum cyphum de refectorio. Supradictus quoque *Vuido* poſt hoc dedit omnem partem ad ſe pertinentem de pro-

Digitized by Google

prio fundo quem poſſidebat, vltra Sagunnam fluuium, ſcilicet in villa, quæ Valerius vocatur, & in alia villa deſerta, quæ Arcenſis appellatur; & in alia villâ, quæ Luuinenſis nuncupatur, in manſis, in agris, in ſyluis, in ſeruis, & ancillis. Sig. Hugonis de Cunuulenſi caſtro, *Heinrici*, *Ramaldi*, *Vuidonis*, *Bernonis*. Domni *Stephani* Abbatis, *Girardi* Monachi, *Vuarnerij*, *Vuilenci*, *Albrici*, *Aimonis*. Acta ſunt hæc tempore illo, quo Philippus Rex regnabat in Francia, *Robertus* Epiſcopus in Lingonis, *Stephanus* Abbas in Beſua, *Odo* Dux in Ducatu.

Carta de Balenauo.

NOtum ſit omnibus fidelibus tam Laïcis, quàm Clericis, nec non Monachis, quod miniſtri Ducis *Odonis*, Præpoſitus & alij ſuper terram noſtram, quàm S. Petrus, & Eccleſia Beſuenſis habet in Baleneua, quærelabant conſuetudines malas, ſcilicet talliam pro cibo Ducis, pro qua re acceperunt 5. ſolidos de hominibus. Pro hac iniuria Domnus Abbas *Stephanus* proclamationem faciens ad Ducem ſupradictum, & ad Duciſſam vxorem eius, inde ex vtraque parte terminauerunt placitum apud Diuionem; ad quod pergens D. Abbas Stephanus armatus ſuis cartis, ſuiſq; teſtimoniis, liberaliter diſſeruit, quòd ſupradicta terra penitus Duci, neque ſuis miniſtris, nullam debebat conſuetudinem, nec alicui viuenti, niſi ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ. Hoc audiens Dux & vxor eius ſtatim fecerunt reſtituere ſupradicto Abbati illos 5. ſolidos ſupraſcriptos per Erueium Præpoſitum. Ille quoque non habens in promptu nummos, abſtulit pelles ſuas de collo ſuo, reddit eas fideiuſſori, ſcilicet Ioſcelmo. Ille nempe illas reddidit Abbati Stephano; Abbas quoque ſecum eas detulit, & tandiu ipſas pelles habuit, donec vellet nollet Erueius Præpoſitus illos quinque ſolidos reddidit.

Carta de Picangiis.

QVædam Matrona, *Alburgis* cognomine, pagana, Vualterij de Minoio coniux honeſtiſſima, ab hoc ſæculo diſceſſura, B. Petro, & Abbati Stephano, cæteríſque fratri-

bus apud Beſuenſe Monaſterium in Dei ſeruitio perſiſtentibus diſtribuit terram apud villam, quæ* Picantias vocatur, vel prata, nemúſque cum aqua, veluti ea in vita ſua poſſederat; *Vualtero* & *Raimundo* filiis ſuis, præſente *Seualdo* fratre ſuo, & coram plurimis teſtibus gratanter concedentibus. Signum *Landrici* Monachi, *Theoderici*, atque *Albrici* Mon. *Petri* Granceiacenſis Canonici. *Odonis* Iciacenſis Militis. M. C. Anno ab Incar. Domini, Regnante *Philippo* Rege in Gallia, & *Rotberto* Epiſcopo exiſtente apud Lingonas, & cum eo regentibus *Vuilenco*, atque *Goſcelmo* Lingonenſem Eccleſiam Archidiaconibus.

al. * Picangias.

Carta de Villarium.

NOtum ſit omnibus, qui has legerint, vel audierint litteras, quòd terram *Hugonis* cognomento Barbé quam dedit ſancto Petro in villa deſerta, quæ vocatur Villarium, hanc *Richardus* filius, *Milonis* ſucceſſor, & gener *Hugonis* Magni, qui noſter effectus eſt Monachus, iniuſtè inuaſit, & per 2. annos eam ſuper calumniam Abbatis Stephani, ac Monachorum eius tenuit, dehinc reſipuit, & terram & fructum ex toto, ſancto Petro, & Dom. Abbati Stephano, cum ſatisfactione reddidit. Ipſe quoque Abbas eum videlicet Richardum tali conditione de præterito delicto ita abſoluit, vt ſi ille, aut aliquis ſucceſſor eius, illud repetere vellet, ſub anathema maledictionis permaneret. Sig. huius rei, Stephani Abbatis, *Vuilenci*, *Ioffredi*, *Aimonis*, *Richardi*. Sig. quoq; *Milonis* patris eius, *Hugonis* villici, *Oberti*, Girardi de Virduno, *Hugonis* famuli, *Giſleberti* famuli, *Giraldi* filij, Gunterij, & aliorum multorum.

Carta de Belloioco.

NOtificamus modernis quibuſque & futuris, quòd *Aludis* nobilis matrona de Belloioco, ſoror *Ermuini*, & vxor *Vlrici* de Treuia caſtro, in ſuo obitu pro remedio animę ſuæ, ſuorúmq; anteceſſorum, dedit fideliter Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ vnum manſum in Belloioco cum

Digitized by Google

ſeruo nomine Rotberto, in illo manſo habitante, cum vxore eius, & vno filio nomine Tebaldo, & vna filia, quæ vocatur Grimoeldis, & ſimul dedit vnam vineam nouellam, ſcilicet nuper plantatam. Hoc totum, & manſum, & vineam, & ſeruos, & ancillas, ſicuti ipſa de proprio iure poſſidebat, honorificè, & cum omni libertate dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, vt ſupra dictum eſt, ipſa & filij eius omnes. Ne aliquis infidelis falſum hoc exiſtimet, adſignamus teſtes. Sig. *Theoderici* filij eius, *Pontij* ſimiliter filij eius, *Theoderici* pueri, *Odonis* de Bello monte, & vxoris eius, *Hugonis* Columbæ, *Odonis* de Scia, *Milonis* de Belloioco, *Fulconis*, *Hugouis*, *Herberti* villici, *Giraldi* coriarij. De Clericis, *Acilini* Sacerdotis, *Ramaldi* Diaconi, *Tebaldi* de Agiliaco. De noſtris Monachis, *Vuidonis* Prioris, *Vuilenci*, *Vuarnerij*, *Landrici*, & aliorum multorum.

Carta de Vetus-vineis.

NOtum ſit omnibus modo viuentibus, poſt nóſque futuris, quòd Oltrudis filia Vuidonis de Vetus-vineis, neptis *Vuaronis* Monachi dedit omnem hæreditatem ſuam Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ quam poſſidebat in ſupradictis Vetus-vineis, in manſis, in terris, in pratis, in ſyluis, & Dom. *Odilo* Monachus noſter, qui tunc regebat, obedientiam dedit ei pro ſigno, medietatem eminæ frumenti, & aliam menſuram de Milio. Vt hæc donatio firma teneatur, aſſignamus teſtes. Signum *Vuidonis* Prioris, *Vuilenci*, *Ioannis*, *Ioffredi*, *Pontij*, *Odilonis*. De Laïcis, *Rotberti*, villici de Vetus-vineis, *Bernardi*, *Rotgerij*, *Petri*, *Hugonis* famuli, *Rainaldi*.

Carta de Luco.

AVdiant omnes tam præſentes quàm futuri, quòd *Raimundus* de Granciaco Miles, qui apud Salinam vulneratus fuit, antequam obiſſet coram multis teſtibus, pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum dedit ſancto Petro & Beſuenſi Eccleſiæ duos manſos, vnum apud Lucum cum ſuis appenditiis, & alium apud Rariacum; & duos ſeruos, Vual-

dricum, & Humbertum, & duas ancillas, Aluuidem, & Ermeſſendem. Huic rei aſſignamus teſtes. Signum vxoris eius, & filij, & fratris eius, *Vualterij*, *Artaldi* Militis, *Pontij* Militis, *Henrici* de Icio, & aliorum multorum.

Carta de Secuniaco.

CLarum fiat omnibus, qui has litteras viderint, vel audierint, quòd *Odo* Miles de villa, quæ Icius vocatur, veniens ad obitum ſuum, dederit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum, vnum manſum in villa, quæ dicitur Secuniacus cum appenditiis ſuis tam liberum, & tam bonum quòd partem in ſe retineat de paſtionibus, & de tertiis, & libertatem per omnes fines illius villæ. Huic Dationi ſubſcribimus teſtes: Signum *Odonis*, & vxoris eius, & filij ipſius Pontij Militis, qui eleemoſynam fecerunt. Signum *Seualdi* Balbi, *Raimondi*, *Aymonis* Militis, *Pagani* Præpoſiti, *Martini* Barbati, & aliorum multorum.

Carta de Gauiniaco, & Auxiliaco.

SCiant omnes tam præſentes, quàm futuri, quòd *Vuido*, Miles, de Auxiliaco, veniens ad obitum ſuum, dedit Deo, & S. Petro, & Beſuenſi Eccleſię, vnum manſum cum omnibus appenditiis ſuis, & omni libertate apud Cauiniacum. Dedit etiam Viridarium de Ponto cum appenditiis ſuis, cum omni libertate, nec non & tertiam partem molendini de Auxiliaco, cum piſcibus, ſi ibi capti fuerint. Vt hæc eleemoſyna inconuulſa permaneat, ſubſcribamus ei teſtes: Signum *Vuidonis* filij ſupradicti defuncti, qui eleemoſynam loco patris ſui ſuper altare poſuit, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Signum fratris eius *Rainaldi*, *Hugonis* Militis de Bello monte, *Ioffredi* Militis, *Vualonis* Militis, cognomento Columbi, *Giſleberti*, *Vuarnerij*, *Hugonis* fratris eius & aliorum multorum. De Monachis *Vuarnerij*, *Vuilenci*, *Landrici*.

Carta

Digitized by Google

Carta de Romaniſca.

DIgnum duximus memorię tradere, quòd *Hugo* cognomento Rubeus, & vxor eius, cognomento *Regina*, per manſum Stephani Abbatis, dederunt Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ terram, quæ dicitur de Romaniſca ad integrum cum appenditiis ſuis, in quocumque loco iaceret cum ſeruis, & ancillis, nec non & Eccleſiam de Verona. Tali pacto, ſi ſupradicta matrona viuens vellet ire ad Beſuam poſt obitum viri ſui, ſuſciperent eam Monachi cum terra procurandam. Sin autem nollet vſque ad mortem poſt obitum ſuum cum omni libertate, & cum ſeruis, & ancillis, ſicuti ſupra taxatum eſt. Pro hac quoque eleemoſyna dedit Dom. Abbas Stephanus & viro & mulieri ſocietatem & omne bonum quod factum fuerit in Beſuenſi Eccleſia vſque ad finem mundi, pro remedio animarum ſuarum, ſuorúmque anteceſſorum fidelium. Vt hæc traditio firma permaneat, adſignamus ei teſtes. *Vlrici* Militis, qui fuit frater *Hugonis*. *Vuidonis* Militis filij eius. *Richardi* Militis de Vircillis. *Vuidonis* fratris ipſius. *Vuidonis* Capellani. *Petri* preſbyteri. *Rogerij* qui fuit filius Hugonis. *Duranni* de Maiaſco. *Fanuelis*, & aliorum multorum. De Monachis autem *Stephani* Abbatis *Vuarnerij* prioris, *Vuilenci*, *Vuidonis* Capellani, *Albrici*.

Item alia.

NOtum eſſe volumus preſentibus, & futuris, quod *Virberga*, vxor Marcelli Sutoris, dederit ſemetipſam ſancto Petro Apoſtolo cum filiis ſuis, id eſt, *Martino*, Ermengarde, Maria, Richilde, Ada. præſente Godefrido priore *Girardo*, *Vualterio*, *Rotberto*, *Drogone* præpoſito, *Tebaldo*, *Ingelranno*, *Stephano*, *Lamberto* præpoſito, *Ioanne* filio Ioannis Maioris, *Vuillelmo* ſutore. *Marcello* ſutore.

Carta de Cuſiaco, & de Chimiſſin.

SAcra ſcriptura teſtatur, quòd eleemoſyna liberat animam de morte æterna, & conducit eam ad vitam per

petuam. De qua re non immemor Hugo Miles, cognomento de Chimiſſins, ipſe veniens ad obitum ſuum pro ſua anima ſuorúmque anteceſſorum fidelium, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, quatuor manſos, 2. apud Ruuriacam, quæ eſt villa deſerta cum omnibus appenditiis ſuis. Alium apud Cuſiacum cum appenditiis ſuis. Alterum apud Chimiſſinũ, cum 4. iugeribus terræ, & vnam falcem de prato. Et hos manſos liberos dedit cum omni libertate ſubſcriptus Hugo. Vt hæc eleemoſyna inconuulſa permaneat, adſignamus ei teſtes. Signum *Hugonis*, *Vuidonis* filij eius, *Vualonis*, *Aymonis*, *Hugonis*, nepotis ipſius, *Auuini* de Beria, *Nerduini* Militis, *Andreæ* Preſbyteri, *Richardi*, *Conſtantini*, & aliorum multorum.

Carta de Nogdantium Ferroſum.

NOtum ſit omnibus viuentibus, poſt nóſque futuris, quòd Hugo puer, filius Vuilenci de villa, quæ Roſeius dicitur, & auunculi eius, *Vualo* Monachus & *Vuido* Miles, fratres ſupradicti Vuilenci, pro anima ipſius Vuilenci, & pro animabus fratrum ſuorum, & omnium anteceſſorum ſuorum, tam pro viuis, quàm pro defunctis, tradiderunt Deo, & Beſuenſi Eccleſiæ duos manſos. Vnum apud Nogdantium ferroſum, ſcilicet manſum Arnulphi, cum ſuis appenditiis, & alium in villa, quę dicitur Neronis, iuxta Gradiacum caſtrum, cum duobus ſeruis, Letbaldo & Vuidone fratre eius, & cum appenditis ſuis. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, adſignamus teſtes. Signum *Vuidonis*, *Vualonis*, *Vuidonis*, *Vuillelmi* filij eius, *Hugonis*, *Raimodis* de Longo-campo, *Hugonis* de Nerone.

Carta de Burgundion.

FIat clarum cunctis viuentibus modo, póſtque venturis, quòd *Henricus* Miles de Firmitate decubans in lecto, veniénſque ad ſuum obitum, conſenſu, & conſilio vxoris ſuæ, & filiorum, & omnium domeſticorum ſuorum, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum fidelium, vnum manſum apud vil-

lam, quę dicitur Burgundion, cum omnibus appenditiis ſuis, liberum cum omni libertate, & tres ſeruos manentes in ipſo manſo, ſcilicet Arnulfum, Henricum, Giſlebertum, & medietatem de filiis, vel filiabus ſupradicti Arnulfi, & de alia parte vnam ancillam. Huic Cartæ adſignamus teſtes. Sig. *Leodegardis*, quæ donum fecit, *Hugonis* de Comulenſi caſtro, *Richardi* de Vircillis, *Vuidonis* fratris ipſius. De clientibus, *Henrici*, *Vlrici*, *Iulonis* filij eius. *Rotberti* villici, *Bernardi*, *Arnaldi* Clerici, *Vuidonis* Preſbyteri, & aliorum multorum.

Carta de S. Sequano.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Fiat notum cunctis fidelibus, quod *Aluuidis*, vxor *Vuilenci* de villa, quæ Altaſon vocatur, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, duos manſos liberos cum omni libertate pro anima viri ſui Vuilenci, nec non & pro anima filij ſui *Rainaldi*, qui iuuenis mortuus eſt, & pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum fidelium. Vnum in villa, quæ ſanctus Sequanus nuncupatur, cum appenditiis ſuis, & alterum apud Virinia-cum cum ſuis appenditiis. Vt hęc Carta firma, & inconuulſa permaneat, adſignamus ei teſtes: Signum *Aluuidis*, quæ donum dedit, *Humberti* de Bellomonte, *Vuidonis*, *Eldeberti*, *Hugonis*. De Monachis, Stephani Abbatis, *Vuarnerij* Prioris, *Vuilenci*, & aliorum Monachorum. Si quis huic donationi inſtigante diabolo contraire voluerit, aut diminuere, cum Dathan & Abiron anathema ſit.

Carta de Viriaco.

HAbet etiam alium manſum ſanctus Petrus, & Beſuenſis Eccleſia apud Viriniacum, quem dedit pro anima ſua *Falco* Miles de Riueria, & *Vuicardus* frater ipſius, cum omnibus appenditiis ſuis, & habet vſum & communitatem per omnem poteſtatem de Montiniaco, in ſyluis, & in pratis, & in paſcuis, & vbique, & Petrum, qui manſum tenet, quantum eis ſuppetit, tradiderunt ſupraſcripti Milites. Et eſt alius manſus in ſupradicta villa, ſcilicet, Viriniaco, quem de-

dit pro remedio animæ ſuæ ſancto Petro. & Beſuenſi Eccleſiæ, *Petrus* villicus, & *Tebertus* frater eius, villicus de Montiniaco, cum ſuis appenditiis. Et ſunt ibi in ſupradicta villa alij quatuor manſi cum appenditiis, quos tradiderunt alij benefactores pro animabus ſuis, Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ cum omni libertate, ſicuti Iſmahel de Granciaco, & alij fideles ſub teſtimonio Chriſti.

Carta de Cuſiaco.

LIqueat cunctis modò viuentibus, & futuris poſt nos, quòd quidam Miles *Rainerius* de villa, quæ Cuſiacus dicitur, veniens ad mortem, pro remedio animæ ſuæ parentúmque ſuorum cum magna deuotione tribuit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ tres manſos, ſicuti ipſe eos poſſidebat in ipſa ſupradicta villa Cuſiaco. Duo ex his debent 2. ſextaria vini, & panem & carnem; & tertius quia minor eſt medietatem ſextarij, & panem & carnem. Deditque vnam ancillam inibi manentem cum tribus filiis, quæ Rolendis nominatur; ſub tali teſtimonio. Sig. *Odonis* Senioris Montis-Salionis, *Theodeboldi*, *Odilonis* fratris ipſius mortui, cum filiis ſuis.

Carta de Fontanis.

NOtum permaneat omnibus legentibus hæc, quòd Miles quidam de Monte-Salione, nomine *Pontius* de Bigorna in die ſuæ dormitionis, pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum fidelium, Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, perpetualiter habendos duos manſos tribuit: vnum in villa, quæ Fontinellas nuncupatur, cum ſuis appenditiis, & alterum in villa, quæ Curcellas vocatur, iuxta Fontem-vennam, & vnum ſeruum cum filiis, & filiabus ſuis, in villa Campaniæ. Signum *Humberti* filij eius, cum ſua matre, *Vualonis* de Calmis, *Alelmi* de Icioma.

Item Alia.

FIdeliter retineant omnes, qui has audierint vel legerint litteras, quod Miles quidam de Bellomonte, *Milo* no-

mine pro remedio animæ filij ſui defuncti *Hugonis*, additâ ſuâ ſuorúmque anteceſſorum, S. Apoſtolis Petro & Paulo, & Beſuenſi Cœnobio, duos manſos tradidit in villa, quæ Fontinellas nuncupatur, cum appenditiis ſuis, ex toto liberaliter, & vnum ſeruum comparem terræ, nomine Vuidonem, & filium eius *Albertum* & filiam eius Alixem. Signum *Milonis*, qui donum fecit, *Richardi* filij eius. *Æuuini*, *Vualonis*, *Aimonis* de Fontana. *Vuidonis* filij eius, *Stephani* Abbatis. *Vuillenci*, *Ioffredi*, *Albrici*. Acta ſunt hæc tempore *Philippi* Regis.

Carta de Vachiriaco.

SCiant omnes tam præſentes quam futuri, quòd *Hugo*, cognomento Troaudus, & frater eius iunior *Vualdinus*, donauerunt Deo, & ſancto Petro, & Eccleſiæ medietatem villæ, quæ Vachiriacus vocatur, pro anima patris ſui Rainaldi, & matris ſuæ, & omnium fidelium anteceſſorum ſuorum, ſicuti illi tenebant, & anteceſſores illorum tenuerunt, in terris cultis & incultis, in pratis, & in ſyluis, & in vſus aquarum omninò totum cum omni libertate: & pro ſigno dedit illis duobus fratribus *Vuido* Monachus qui Pauliacum tenebat vndecim ſolidos nummorum. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, adſignamus ei teſtes: Sig. *Odonis* Militis de Bellomonte. Sig. vxoris eius, *Ailadis* vocatę, *Vuidonis* Militis, cognomento Margot, *Rodulphi* Militis fratris eius, Hugonis villici de Pauliaco, *Vuidonis* Monachi, & aliorum multorum.

Item Alia.

SImili modo per aliud tempus duo milites fratres, ſcilicet *Achardus*, *& Paganus* de ſancto Iuliano delegauerunt Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, pro remedio animarum ſuarum, quicquid de proprio fundo habebant in illa villa deſerta, quæ Vachiriacus nuncupatur, in terris, in pratis, & in ſyluis, & in decurſibus aquarum. Sig. *Vuarnerij*, *Vlgerij*, *Vuidonis*, *Vualterij*, *Humberti*, & aliorum multorum.

Digitized by Google

Carta de Vuaſcum Curtis.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd Seuuinus Miles de Raico, pro anima patris ſui Vuidonis, & pro anima ſua, ſuorúmque fidelium anteceſſorum, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ in præſentia Dom. *Stephani* Abbatis, & Monachorum, vnum manſum de ſuo proprio fundo cum omnibus appenditiis ſuis, in villa, quæ Vuaſcum curtis dicitur, de agris, de ſyluis, de pratis, cum omni libertate, ſub tali teſtimonio. Signum *Seuuini*, & vxoris eius, *Vuidonis*, qui eſt Dominus Fontis-vennæ, *Odonis* de Bellomonte, *Hugonis* de villa, quæ Geniperias dicitur, Beraldi fratris eius. Kalonis de Siluiniaco, & aliorum multorum.

Carta de Firdriaco.

RAtum & cognitum permaneat modò viuentibus, poſt nóſque futuris, quòd *Seuuinus* Miles, & eius vxor de loco, qui Villeſons dicitur, ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, pro remedio animæ ſuæ, & ſuorum parentum in eleemoſyna duos manſos conceſſit: vnum in villa, quæ nuncupatur Firdriacus cum ſeruo, Biſontico nomine, manente; & alium in villa, quæ Vuaſcum curtis appellatur, cum ſeruo ad eundem manſum pertinente. Signum *Vuidonis* de Raiaco, *Seuuini*, *Hermuini*, *Theoderici*, de Treuia, *Fulconis*, *Odonis*, *Moranni* Archipreſbyteri.

Carta de Morengis.

SVmmopere curandum eſt omnibus, quibus Deus dedit feliciter frui de præſenti vita, vt ſint ſemper ſolliciti de perpetua. De hoc bene fuit memor in vita ſua quidam Miles, *Pontius* de villa, quæ nuncupatur ſanctus Sequanus, iuxta Polliacum qui pro remedio animæ ſui filij, ſcilicet Vuidonis, ſuâ additâ, & parentum ſuorum, tradidit Principibus Apoſtolorum Petro & Paulo, & Beſuenſi Eccleſiæ ſeruum vnum, Teuuinum, & terram de Morengis, & nemus quod vocatur Noaino extotum ſicut poſſidebat. Sig. *Pontij*, qui hoc dedit,

Nerduini fratris eius, *Vuidrici* de Arco, *Odonis* Bellimontis, *Aimonis*, *Hugonis* Columbæ, *Hugonis* villici de Palliaco, *Lamberti* filij eius, *Ioannis* filij eius.

Carta de Vetus-vineis.

PEr has cognitum fiat litteras, quòd *Gertrudis*, vxor Henrici de Noua-villa & *Vuarnerius* gener eius & filia eius vxor *Vuarnerij*, cognomine *Cara*, pro remedio animæ ſupradicti Henrici, & ſuarum, ſuorúmque Anteceſſorum, obtulerunt Deo, & ſancto Petro Beſuenſis Eccleſiæ, ſuper Altare in Vetus-vineis villa, medietatem manſi, cum ſex iugeribus terræ, de proprio fundo; & ſimul vnum ſeruum, nomine Tetbertum, & vnam ancillam, iſtius ſororem, nomine Oltrudem: Vterque & ſeruus & ancilla, nati ſunt de Petro Ruſtico de Vetus-vineis. Signum illorum qui fecerunt donum, *Odonis*, *Richardi* fratris eius, *Hugonis* de Conulenſi caſtro, *Rainaldi* ſerui eius de Vetus-vineis. Sig. Dom. *Stephani* Abbatis, *Vuilenci* Monachi. *Ioannis* Cantoris, & aliorum Monachorum.

Carta de Picangiis.

PRo certo ſciant omnes tam futuri, quàm præſentes, quòd *Alburgis*, cognomine Pagana, vxor *Vualterij* de Mignoio, veniens ad obitum ſuum, pro ſua anima dedit Deo & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, partem ſuam, ſcilicet quicquid habebat vel poſſidebat in vita ſua, in villa, quæ Picangias vocatur, in terris, in pratis, in ſyluis, omninò totum. Hanc eleemoſynam confirmauerunt filij ſupradictæ matronę, *Raimondus* videlicet, & *Vualterius*, nec non & *Seunaldus* auunculus illorum, cognomento Balbus. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, aſſignamus ei teſtes. Sig. *Odonis* Militis de Icio, *Pontij* filij eius. *Haimonis* Militis. *Henrici*, qui erat miniſter ipſius dominæ. *Vuidonis* Sacerdotis. *Petri* Canonici de Grancianco. De Monachis, Sig. Dom. Stephani Abbatis, *Vuilenci*, *Ioannis*, *Albrici*: & de familia ſancti petri quam plures adfuerunt, *Otbertus*, *Hugo*, *Giſlebertus*, *Ioannes*, *Aidulfus*.

Carta de quodam plaſtro domus in Beſua ſito.

SCiant omnes tam preſentes quàm futuri quòd D. *Petrus*, Montis-Salionis Dominus, & vxor eius *Eua*, quandam ſedem domus vacuam, quam Plaſtrum vocant, quod tenebat ipſe & anteceſſores eius de Abbatibus Beſuenſibus, & de Monachis, cum punctus corde pro remedio animæ ſuæ, ſuorúmque anteceſſorum, reddidit illud ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, & Monachis penitus liberum: tali modo vt ſi aliquis de hæredibus ſuis deinceps aliquam calumniam ſuper hoc facere voluerit, anathema ſit, maranatha in perpetuum. Vt hæc redditio inconuulſa permaneat, ſubſcribamus ei teſtes. Sig. *Petri*, *Hugonis* de Varua, *Rodulfi* Militis de Aquis, *Hugonis* Clerici de Miribello, de familia ſancti Petri, *Rotberti* Præpoſiti, *Otberti* cocci, *Hugonis*, *Vuillelmi*, *Lamberti*, *Tebaldi*, *Ioannis* cocci, & aliorum multorum. De Monachis, ſig. Dom. *Stephani* Abbatis, *Vuarnerij* Prioris, *Vuilenci*, *Ioannis*, *Philippi*, *Vuidrici*, *Roffredi* & aliorum.

Carta de nemore, Valle Victoris dicto.

HOc ad memoriam reducatur, quòd duo fratres fuerunt, *Henricus* ſcilicet, & *Bernardus* de Fractomonte. Hi dicebant ſe habere quoddam alodium infra terram noſtram in valle Victoris. Supradictus quoque *Henricus* veniens ad paupertatem, dedit Domno Hugoni de Beria, omnem ſuam hæreditatem, & ipſe tutauit eum vſque ad mortem; & partem ſupradicti alodij Henrici dedit ſupradictus *Hugo* Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ pro anima filij ſui defuncti *Vuarnerij* pueri. Partem quoque Bernardi de ipſo alodio dedit Euuinus filius Bernardi, & mater eius Põcia, & ſororius eius Milo, & Richardus frater Euuidi, dederunt & confirmauerunt vtramque donationem, pro anima patris ſui Bernardi, & pro animabus ſuis, ſuorúmque anteceſſorum. Domnus Odilo Monachus noſter dedit illis pro ſigno quinque ſolidos nummorum. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, adnotamus teſtes: Signum *Stephani* Abbatis, *Vuidonis*

nis Prioris, *Albrici*, *Odilonis*. De Laïcis, *Euuini*, *Milonis*, *Hugonis* famuli, *Giſleberti*, *Rotberti* de Vetus-vineis, *Bernardi*, *Rainaldi*. Et in ipſo die ſupradictus *Euuinus* iunctis manibus effectus eſt homo Domni Stephani Abbatis, pro quibuſdam, quas ſuper eum habebat, calumniis.

Carta de hominibus S. Petro à Pontio datis.

Clarificetur cunctis modò viuentibus, poſt nóſque futuris, quòd Pontius Miles, filius Heinrici de Firmitate, quæ dicitur Anroſiacus, pro anima patris ſui, ſuorúmque anteceſſorum, & pro anima ſua, per conſilium ſuorum fidelium, dedit Deo, & S. Petro & Beſuenſi Eccleſiæ liberaliter, & perpetualiter quinque homines, tres mares & duas fœminas, ſcilicet Gandradam cum tribus filiis ſuis, quorum hæc ſunt nomina. Primus Petrus, 2. Albricus, 3. Theodoricus: altera de fœminis vocatur Elizabet, vxor Petri deſuper nominati. Hoc donum fecit ſupradictus Pontius in feſtiuitate ſancti Petri, & propriâ manu donum roborauit ſuper altare per librum qui vocatur Regula S. Benedicti, coram multis teſtibus; tali pacto, vt ſi vnquam aliquis de parentibus ſuis, ſiue aliquis inſtigante diabolo, huic Cartæ contraire, aut calumniare voluerit, anathema ſit. Huic Cartæ aſſignamus teſtes. Sig. ipſius *Pontij*, qui hoc donum fecit. Sig. *Richardi* & *Vuidonis* fratris eius de Vircillis. *Iulonis* de Granando. *Vuidonis* filij Rainaldi Conulenſis. *Vuillelmi* de Foſſato. *Odilonis* de Liſſiaco. *Hugonis* de Torcennaco, & aliorum nobilium, qui præſentes fuerunt. De Monachis verò, ſig. *Stephani* Abbatis, *Vuilenci*, *Albrici* captiui, *Antonij* fratris ipſius. Pontij, & multorum aliorum.

Carta de Feodo Giraldi de Luco.

NOtum ſit omnibus modò viuentibus, poſt nóſque futuris, quòd *Giraldus* noſter villicus de Luco, multotiens diſcordatus eſt à noſtro ſeruitio, propter quaſdam iniurias, quas faciebat de terris noſtris, quæ non pertinebant ad ſuum fœdum. De qua re Dom. Abbas Stephanus per conſi-

Digitized by Google

lium fratrũ volens terminare ex vtraq; parte pacem & concordiam, ſuo iuſſu & iuſſu Giraldi per Monac. & Laïcos fecit inquirere ad purum feodum Giraldi de villicatione. Inquiſitione factâ inuenti ſunt 52. iugera terræ, & 4. falces de prato. Hæc iugera terræ, & has falces de prato, conceſſit Dom. Abbas Stephanus, & Monachi noſtri, ſupradicto Giraldo: decimum .....ad ſuum fœdum; medietatem quoque illius annonæ, quæ vocatur Vngranus, de qua erat contentio inter illum & Monachos, quàm ibi ex toto dimiſit, ſcilicet in ſupradicto placito Dom. Abbas, & Monachi conceſſerunt ei illam ſupradictam medietatem Vngrani tempore vitæ ſuæ, & non ampliùs, propter miſericordiam, & bonum finem: & in vno quoque anno examen de horreo Monachorum, vel vnum becharium, hoc eſt medietatem heminæ de frumento vel de ſigillo. Hoc conceſſit D. Abbas Steph. per conſilium fratrum, Giraldo, vt fidelis permaneret ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, meliùs quàm antea fuerat ipſe & frater eius Olardus. Huius rei adſignamus teſtes. Signum *Stephani* Abbatis, *Vuidonis* Prioris, *Vuilenci*, *Albrici*, *Landrici*, *Theoderici*. De Laïcis, *Giraldi*, *Olardi* de Luco, *Hugonis* villici, *Euurardi*, *Giraldi* filij Gunterij, *Giraldi*, *Hugonis* famuli, & aliorum multorum.

Carta de Molendino apud Fontanas.

OPeræ pretium duximus adnotare litteris, quòd *Aliſſendis* vxor *Aymonis* de Fontanis, veniens ad mortem dedit pro ſua anima Deo & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, cum omni honore & omni libertate medietatem molendini de prato Hairardi, laude, & conceſſione *Aymonis* viri ſui, & Vuidonis filij ſui. Vt hæc donatio firma, & inconuulſa perſiſtat, adſignamus teſtes: Signum *Aymonis* de Fontanis, qui hoc donum fecit, *Vuidonis* filij eius, *Hugonis* Carrucæ, *Vuilenci* Militis, *Hugonis* de Porta, *Bertranni* Militis de Fontanis, *Herberti* villici, & *Odonis* fratris eius, Hildemari Preſbyteri, & aliorum multorum. Et de Monachis noſtris. Sig. D. *Stephani* Abbatis, *Vuilenci*, *Girardi*, *Ioannis*, *Albrici*.

Digitized by Google

Carta de Luco.

MEmoria & recognitio ſit omnibus modò viuentibus, póſtque futuris, quòd *Giraldus* de Luco villicus noſter, & *Humbertus*, cognomento Ingelricus de Cipeto, quandam partem decimæ de terra, quę dicitur S. Vincentij de Luco, quam per aliquot annos malè ſubripuerant, & ſub anathemate, & furto retinuerant, agnoſcentes reatum ſuum, & culpam clamantes, reſtituerunt ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, in præſentia Dom. Stephani Abbatis, & Monachorum, promittentes nunquam per ſe, neque per aliquem ſucceſſorum ſuorum, tam execrabilem rapinam repetere.

Carta de pertinentibus ad Arcionem.

CVm præcedentium Patrum ſtatuta à poſteris quotidie videamus diſſolui, & ea quæ in mundo firmiùs ſtare videbantur, aut iam ceciderint, aut caſum minitentur, ne dum verba, quæ cùm formari cœperint, iam non ſunt, litterarum tenaci memoriæ commendare ſtuduimus, qualiter inter Monachos ſancti Leodegarij, ex diutina contentione pax & concordia firmata ſit. Hæc verò contentio fuerat de decimis duarum Eccleſiarum ſancti Petri, videlicet Danblin, & Danbrun, & de vna ſylua, quam Fererarias vocant, & de vno campo.

Placuit itaque *Rotberto* venerabili Lingonicæ ſedis Epiſcopo *Stephanum* Beſuenſem Abbatem & *Hugonem* Antiſiodorenſem illius loci, videlicet ſancti Leodegarij Abbatem, *Ierentonem* quoque Diuionenſem conuocare, ac demum prædicta contentio hoc modo terminata eſt. Laudatum eſt atque ſancitum ab Abbatibus Stephano Beſuenſi, & prædicto Hugone Antiſiodorenſi, & Rotberto tunc temporis Priore ſancti Leodegarij, & ab vtriuſque partis hominibus, quòd parrochiani S. Leodegarij ex eo quod in ipſis parrochiis, videlicet Danblin, & Danbrun, laborauerint, medietatem decimarum ſecum deferent, & medietatem Eccleſiis relinquent, in prædicta ſylua, quam Ferrarias vocari dixi-

mus, communitatem noſtri homines, & illorum habebunt, de tribus ſyluis ſancti Leodegarij, quarum hæc ſunt nomina; Granzuuaure, Chalmes, Droul, faciet Monachus, qui Arcioni erit domum ſuam, & vt vulgariter dicitur Aaſimentum domus ſuæ. In prædictam ſyluam quam Ferrarias vocari diximus, ſi laboratum fuerit, cuius erit fundus terræ, ipſius erit & tertia. Paſturam in noſtris, & illorum terris communem habebunt, vtrumque ſine damno * tantum. Et ſi damnum factum fuerit, ſi ſine clamore redditum fuerit, pax erit. Quòd ſi clamor ad Dominum peruenerit, damnum reſtaurabit, & legem Domino perſoluet ipſe qui damnum fecerit. Campum illum qui eſt intra terram villæ, quæ dicitur Trescaſas, ſicut fuerat monſtratus & aratus, dimiſit Dom. Abbas Stephanus Beſuenſis S. Leodegario & Dom. Hugoni Antiſiodorenſi Abbati.

f. * totum

Facta eſt hæc concordia in vno campo ſuper Cyriacum ab Abbatibus Stephano Beſuenſi, & Hugone Antiſiodorenſi. Ex Monachis Beſuenſibus affuerunt Vuarnerius Prior, *Lebaldus*, *Alberius*, qui Arcioni morabatur, *Landricus* frater Hugonis cognomento Columbæ. De Monachis Antiſiodorenſibus affuerunt Rotbertus Prior de ſancto Leodegario, *Itherius* ſecretarius, *Emelbertus*, *Artaldus* Prior de S. Marcello. Ex Militibus, *Humbertus* de Liſſei, & *Odilo* frater eius, & *Hugo* Columba, *Vuido* de Agullini, *Vuido* de Danbrun, & *Humbertus* frater eius, & *Hugo* Præpoſitus de S. Leodegario. *Emelbertus* Præpoſitus Antiſiodorenſis. De familia ſancti Petri, Arlebaldus de Belenaua, Præpoſitus, *Otbertus* Coccus *Giſlebertus* famulus. De familia S. Leodegarij, *Hugo* de Ballenaua villicus, & *Odilo*, *Paganus* præpoſitus de Magnei, & *Humbertus*, & *Hugo* fratres eius. *Petrus* de Moſteriolo. Acta ſunt hæc anno ab Incar. M. CVIIII. Indict. II. Epacta XVII. concurrente IV. *Hlucdouuico* Rege filio Philippi regnante, Anno II. Imperij eius. Epiſcopali catedræ Lingonenſium præſidente Domno *Rotberto*, qui hoc placitum tenuit, & hanc concordiam laudauit. Die XXVIII. menſis Octobris.

Conſiderans etiam Dom. *Stephanus* Abbas caritatem refrigeſcere, veritatem à filiis hominum diminui nec ſolùm largitiones, quæ olim fiebant Eccleſiis Dei maxima ex parte

Digitized by Google

remanere, verùm etiam largita auferri; Romam petiit, & ad eum qui tunc Apoſtolicæ Cathedræ ſedebat Papam, Domnum videlicet *Paſchalem* acceſſit, & B. Petri authoritate, nec non & illius qui tunc loco ipſius vniuerſalis, atque Catholicæ Eccleſiæ curam habebat, prædicti Papæ priuilegio inuiolabili confirmari fecit, quæcumque iſtud Beſuenſe Cœnobium poſſidebat, ſiue in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium iuſtè atque canonicè poſſet adipiſci. Potitus autem eo quod quæſierat, ea quæ retro ſunt obliuiſcens, & in anterioribus ſe extendens, pericula, & labores viæ (hyems enim erat) parui pendens, non reminiſcebatur preſſuræ propter gaudium ſubſecutum. Nos verò exemplum Priuilegij illius curauimus ſubſcribi infrà.

Priuilegium Domni Paſchalis Papæ.

PASCHALIS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio *Stephano* Beſuenſi Abbati, eiuſque ſucceſſoribus regulariter promouendis in perpetuum.

Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, vt fidelis deuotio celerem ſortiatur effectum. Proinde nos Religioni veſtræ deſideria confouentes, veſtro Beſuenſi Monaſterio in honore Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ædificato, eorundem Apoſtolorum ex Apoſtolicæ ſedis benignitate munimen impendimus. Conſtituentes, & præſentis decreti paginâ ſancientes, vt Eccleſia de Albiniaco, & Eccleſia ſancti Benigni, & Capella ſanctæ *Mariæ* quæ caſtello Montis Saluionis ſita eſt, ad ſupradictam Albiniaci Eccleſiam pertinens, Eccleſia etiam Camlintenſis, & Eccleſia de Maiaſcum appenditiis ſuis, Capella de Fouenz veſtro ſemper Cœnobio ita firmè, ita liberè, quietéque permaneant, ſicut à fratre noſtro *Rotberto* Lingonenſi Epiſcopo, cum totius Lingonenſis Cleri coniuentiâ traditæ ſunt. Recenſentur omnia quæ ſunt Monaſterij Beſuenſis.

Idipſum etiam de duabus Præbendis ſtatuimus, quas bonæ memoriæ *Harduinus*, & *Hugo* Lingonenſes Epiſcopi fratribus in Eccleſia ſancti Gengulfi apud Lingonas Domino ſeruientibus tradiderunt.

Digitized by Google

Idipſum etiam ſtatuimus ſuper Eccleſia de Siuoio cum pertinentiis ſuis, ſuper capella ſancti Mauricij ſeu ſancti Dionyſij, Capella ſancti Valeriani, & Eccleſia de Raiol, & parte quarta Eccleſiæ ſancti Martini de Monaſterio, ſeu cæteris rebus quas bonæ memoriæ *Hugo* Biſontinus Epiſcopus veſtro Monaſterio contradidit. Porrò Eccleſia ſancti Remigij, quæ eſt in Burgo Beſuæ, & Eccleſia de Belenauo cum appenditiis ſuis, ita in poſſeſſione veſtra liberas, ita ab omnibus conſuetudinalibus immunes ſemper manere cenſemus, ſicut à bonæ memoriæ *Alberico* quondam Lingonenſi Epiſcopo ſeu ſucceſſore eius *Rainardo*, eiuſdem Eccleſiæ venerabili Epiſcopo libertate, ac immunitate donatæ ſunt.

Prætereà confirmamus vobis Eccleſiam Saluatoris de veteribus vineis, Eccleſiam ſancti Martini de Luco, Eccleſiam ſancti Laurentij de Beria, Eccleſiam ſancti Benigni de Boenſis villa, Eccleſiam ſancti Sequani, quæ eſt parrochialis, Eccleſ. ſancti Valerij de Talemaro, Eccleſ. ſancti Leodegarij de Genziniaco, Eccleſ. ſancti Martini Belmontis. Capellam quoque ſancti Marcellini, quam bonæ memoriæ *Geilo* Lingonenſis Epiſcopus ad luminaria Altaris Eccleſiæ veſtræ contuliſſe dignoſcitur, cùm B. Prudentij Martyris ſub eodem Altari Reliquias collocauit, cum appenditiis, & mancipiis vtriuſque ſexus, ſicut ea ſupradictus Epiſcopus Virdunenſi Epiſcopo commutauit. Eccleſiam quoque ſancti Hypoliti de Pontiliaco cum appenditiis ſuis, Eccleſiam de Caſoto S. Symphoriani, Eccleſiam ſanctæ *Mariæ* de Fonuenz, à Lamberto Lingonenſi Epiſcopo datam cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam quoque ſancti Gengulfi ſuperiùs nominatam. Porrò villam Beſuæ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Monaſterio adiacentem cum omnibus pertinentiis ſuis, ab omnium hominum vexationibus liberam, ſicut hodie eſt, vobis in perpetuum manere ſancimus. Piſcariam quoque à Fontis loco vſque ad Princianum in iure ac poſſeſſione veſtra ſemper ſeruari liberè, quiéteque ſancimus.

Prætereà quæcumque in præſentiarum nunc idem Monaſterium poſſidet ſiue in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, iuſtè atque canonicè poterit adipiſci, firma tibi, tuíſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

Digitized by

Decernimus ergo vt nulli omninò hominum liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinerè, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruentur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura, ſalua Lingonenſis Epiſcopi canonica retinentia. Vt Epiſcopo tamen aut Epiſcopi miniſtris omninò non liceat Monaſterium ipſum, aut eius loca grauare, nec ornamenta Eccleſiæ qualibet occaſione diripere, nec exactiones aliquas, aut conſuetudines, quæ fratrum quieti noceant, irrogare. Interdicimus etiam ne quis idem Beſuenſe Cœnobium in cellam redigere audeat, quandiu Monaſtici ordinis obſeruantia illic Domino præſtante riguerit.

Si quis ſanè in craſtinum Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, aut iudex, vel quælibet Eccleſiaſtica, ſeculariſque perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentauerit, ſecundò tertióue commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reúmque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri IESV CHRISTI, aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat.

Cunctis autem idem loco iuſta ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri IESV CHRISTI, quatinus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Scriptum per manum *Rainerij* ſcriniarij, & Notarij ſacri Palatij. Datum Laterani per manum *Ioannis* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis. Cal. Ian. Indict XIII. Incar. Dominicæ anno M. CV. Pontificatus autem Domni *Paſchalis* II. Papæ VI.

Ego PASCHALIS *Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ ſubſcripſi.*

EVolutis igitur annis duobus contigit eundem Papam Paſchalem, Galliarum partes inuiſere. Deueniens au- 1108.

tem vſque ad nos, à Domno Stephano Abbate, & à nobis aliis cum copioſo Cardinalium tam Epiſcoporum quàm Preſbyterorum, ac Clericorum ſuorum comitatu, nec non & aliorum Epiſcoporum, Abbatum diuerſorúmque graduum Eccleſiaſtici ordinis, in hoc Monaſterio Beſuenſe deuotè ſuſceptus eſt. Vbi vſque in tertium diem demoratus, cum ſitus huius loci multùm, fratrúmque conuentus & ordo plurimùm ei placuiſſet, omnia laudans, omnia benedicens, ad vltimum in Capitulum veniens conſedit, vbi ſermonem faciens, ab eo loco incepit, vbi dicitur: *Fratres, quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.* Et quia Monachis loquebatur, quibus maximè patientia neceſſaria eſt, eam poſuit quaſi fundamentum. Deinde oſtendens quòd patientia ſpem operetur, de ſpe diſſerens, peruenit ad fidem. Fidem autem nos docens tenere non fictam: de ea etiam multa nos edocens tandem ad caritatem, quæ Deus eſt, conſcendit. Dixit & de ea, immò de eo, vt tempus, & ratio expetebat. Cúmque ſermonem terminaſſet, rogatus à D. Abbate, & ab aliis fratribus, vt potè qui locum tenebat eius, cui data eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi in cœlo, & in terra, vt nobis, & fratribus noſtris, tam viuis, quàm defunctis, abſolutionem daret, & benedictionem annuit; & incipiens 50. Pſalmum, cum Orat. Dominica, & collecta vti rogatus fuerat, nos abſoluit, & benedixit.

Paſchalis Papa cœnobium Beſuenſe inuiſit.

Concionẽ habet ad monachos. Rom. 15. 4.

Nec illud prætermittendum, quòd altare ſanctorum Petri & Pauli, ipſe in honore eorundem conſecrauit, ibíque Miſſam ſolemniter celebrauit; & eum diem ſicut diem natalis Domini quot annis celebrari præcepit.

Qui in comitatu Paſchalis Papæ erãt.

Nomina verò Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Presbyterorum, ſeu Clericorum, qui cum eo adfuere, quantum memorię occurrere potuit, ſubter ſcripſimus. *Richardus* Card. Epiſcopus Albanenſis, *Diuizo* Card. ſancti Martini, *Riſus* Card. ſancti Laurentij, *Gregorius* Card. ſanctorum Apoſtolorum, *Ioannes* Diaconus Card. ſanctæ Rom. Eccleſię; Epiſcopus Lingonenſis, *Rotbertus* ad cuius petitionem hęc aucta ſunt, Epiſcopus Placentinus, Epiſcopus Viuarienſis, Epiſcopus Cameracenſis, *Henricus* Abbas Angeriacenſis,

Lambertus

Digitized by Google

Lambertus Pultarienſis Abbas, *Henricus* Abbas ſancti Sequani, *Vuido* Abbas ſancti Michaëlis, & alij multi. Inferioris verò Ordinis Clericorum, ſeu Laïcorum, ferè innumera multitudo.

Quoniam verò Dei diſpoſitionem ab æterno cuncta ſequuntur, ſuiſque quando, & quomodo vult, miſeretur, gratuitâ pietate nos voluit Apoſtolicà benedictione releuari. Acta ſunt hæc anno ab Incar. Dom. M. CVII. Indict. xv. Epa. xxv. die xii. Cal. Martij.

Carta de vinea ſacriſtæ in Beſua.

EVangelicæ authoritatis exemplo didicimus, quod ſeruus fidelis, & prudens in modico, à Domino *Ieſu* ſuper multa conſtituetur. Studui igitur ego *Ioannes*, terram quæ circa baſilicam ſanctæ *Mariæ* iacet, Eccleſiæ ſanctorum Petri & Pauli reuocare, quæ iam diu aliquo modo diſtracta fuerat, ſicut infra docebimus. Huiuſce Chronici Authoris nomen & ætas.

Domnus námque Abbas *Odo* dederat eam Vuarnerio, Patri Vlgerij, excolendam, & ad plantandam vineam, vt in vita ſua illam teneret; poſt deceſſum verò Eccleſiæ redderetur. Sed eo mortuo, haud ita euenit. Cùm enim filio eius Vlgerio prædicto pecunias deberet Eccleſia, conceſſit ei Domnus Abbas *Stephanus* terram illam, eo modo quo pater eius habuerat. Ego verò cupiens talentum mihi creditum ampliare, donaui Vlgerio cxo. ſolidos, id eſt, ſex libras, & ipſi ac filij eius quicquid in terra clamabant Deo & ſancto Petro in manu Domni Abbatis Stephani reddiderunt. Domnus autem Abbas Stephanus donauit & conceſſit eam ſecretario Monaſterij, per manum meam, in perpetuum habendam liberè abſque cenſu, & omni conſuetudine, quæ de aliis vineis perſoluitur. Conceſſit etiam eam conſuetudinem quam *Vuarnerius* & *Vulgerius* habuerant, ſcilicet, vt de ſylua illa, quam Caſtanetum vocamus, liceret in vinea fieri perticas, furcas, paxillos, & quicquid in ea opus fuerit. Et vt hæc Carta inconuulſa permaneat, adſignamus etiam teſtes. Sig. Dom. *Stephani* Abbatis, *Vuarnerij* Prioris, *Ioannis* Secretarij. *Theoderici* Præpoſiti, *Landrici*, *Giraldi*. De Laïcis verò

Otberti cocci, *Martini* Clerici, *Vlgerij*, *Amalberti*, *Giraldi*, *Stephani* de Beria. *Formati*, *Petri*, *Humberti & Vuarnerij* filiorum Vlgerij.

Carta de Mercennaco.

SAnctorum Patrum exemplis piæ conſiderationis oculum ad imitationem infigentes, nos qui regimen ſanctæ Eccleſiæ ſuſcepimus, neceſſarium, imò æquum & ſalubre eſſe cognoſcimus, eam fideliter ordinare, & in ea quicquid boni ordinatè diſponimus, ne citiùs deſtruatur, aut pereat, ſapienter prouidere.

Notum igitur facimus omnibus tam præſentibus quam futuris noſtris ſucceſſoribus, ego *Stephanus* Abbas Beſuenſis Eccleſiæ, cæteríque qui mecum ſunt eiuſdem cœnobij Prouiſores, quamdam vineam, quam apud Gibriacum *Frater Ioannes* emerat, nos cum vineis, de quibus vinum ad commune deportatur cellarium, terminaſſe; ſibi etiam cunctíſque poſt eum venturis, quicquid terræ ſiue vinearum, atque conſuetudinum apud Mercenniacum habebamus id conceſſiſſe, quatenus ex reditibus earum, ea quæ ſunt in noſtræ Eccleſiæ miniſterio apta comparentur: & inſuper altare ſancti Martini in ſiniſtra parte ſitum Monaſterij, exinde iugiter illuminetur. Quod ſtatutum litteris imprimentes, authoritate quâ debemus, inuiolatum permanere præcipimus. Sig. Domni *Stephani* Abbatis, *Vuarnerij* Prioris. *Vuilenci*, *Ioannis*, & cæterorum Monachorum.

Item alia.

SCiant omnes præſentes, & futuri, quòd *Thebaldus*, qui nunc nuncupatur de ſancto Prudentio, quicquid ædificij habuit ſuper campum, qui capellæ ſanctę Mariæ adiacet ſcilicet de vinea, reddidit B. Petro, & Stephano Abbati & Secretario Ioanni in perpetum poſſidendum, & pro tali commercio, dedit illi Ioannes Secretarius 25. ſolidos, & vnam combam quam plantauerat: communicauit ei taliter, vt per medium excolat, & per medium fructum capiat. Eo tenore, ſi fidelis cultor extiterit, habeat eam cum honore tempore

Digitized by Google

vitæ ſuæ abſque cenſu. Poſt eius obitum ſi quis legalis hæres eius ſupradictam vineam habere voluerit, cum Secretario qui Dominus & ſocius inde eſt imprimis eam offerat. Si ipſe eam ſibi retinuerit, bene, ſin autem noluerit, per conſilium Abbatis & Monachorum vendat eam alicui de ſeruis ſancti Petri qui eam fideliter excolat, & cenſum & conſuetudines Secretario reddat. Huic Cartæ aſſignamus teſtes. Sig. *Stephani* Abbatis, *Vuilenci*, *Ioannis* Secretarij, qui hoc fecit, *Girardi*, *Albrici*, *Thebaldi*, *Hugonis* villici, *Haidulfi*, *Hugonis* famuli, *Berengarij*, *Baldi*, & aliorum multorum de familia Eccleſiæ.

De obitu Rotberti Epiſcopi.

CVm per multorum annorum curricula Dom. *Rotbertus* Eccleſiam rexiſſet Lingonenſem, grauiſſimo correptus morbo ad extrema propinquans, apud caſtellum, quod Caſtellion dicitur, Abbates ſuos, Stephanum Beſuenſem, *Vuidonem** Molimenſem; item *Vuidonem* Ternodorenſem, ad ſe mandans, humiliter ſe in conſpectum Dei accuſans & veniam peccatorum expoſcens, à Dom. Vuidone Molimenſe Abbate Monachilem habitum ſuſcepit; deinde non poſt multum, Viaticum ipſum corpus Chriſti accipiens, vitam finiuit: ſepultúſque eſt apud Molimenſe Monaſterium in Capitulo decenter vt decuit. Cuius loco ſubſtituitur Dom. *Iocerannus* Lingonenſem ſedem gubernaturus.

* *al.* Moliſmenſem.

Rotbertus Epiſc. habitum Monachalem ſuſcipit.

Carta Hugonis Ducis de Karris apud Diuionem.

IN nomine ſanctæ & indiuiduę Trinitatis. Quantam animi deuotionem erga ſanctam Dei Eccleſiam habere debebeamus, diuina ſanctarum ſcripturarum demonſtrant teſtimonia, quę ſiquidem eam & muneribus percipiunt fieri locupletem, & omnimodâ veneratione teſtantur, & commendant effici glorioſam. Hac igitur animaduerſione compunctus, & à ſancto Spiritu ſpiritualiter inſtinctus, Ego *Hugo* Dux Burgundię notum facio omnibus tam modernis, quàm futuris fidelibus, quòd redemptionem carrorum, quam in porta Diuionenſi capere conſueueram, Deo, & ſancto Pe-

Digitized by Google

tro, & Abbati *Stephano*, omnibúſque Beſuenſis Eccleſiæ Monachis donauerim, vt amodò quibuſcumque annis vel temporibus Diuionem venerint ipſi denominatę Eccleſię Monachi, tam clauſtrales, quàm in cellis manentes, hanc ſibi libertatem à me, meíſque ſucceſſoribus obtineant, vt ſine omni impedimento, & abſque alicuius redemptionis exactione, cum ſuis carris indubitanter pertranſeant. Cuius ſi quidem doni largitionem zelo Dei ſuccenſus, huius gratiâ rei pro animę patris mei remedio, Beſuenſi Eccleſię contuli: vt videlicet ſingulis annis apud eandem Eccleſiam ipſe in memoriam ſit omnium, & ſicut mos eſt Catholicus, anniuerſarium ei à filiis Eccleſię celebretur omnibus, quatenus orationibus fidelium Dei famulorum, ſibi meíſque omnibus anteceſſoribus remiſſio omnium concedatur peccatorum. Proinde quoniam multa & maxima parentum noſtrorum inſtituta, eos qui modò ſunt in ſilentio & obliuione, conſpicio præterire, authentico placuit hoc donum commendare priuilegio, & ſubſcripto approbatorum viuorum roborare teſtimonio. Sig. *Hugonis* Ducis, *Henrici* fratris, Ducis, *Vualonis* Ab. *Hugonis* Dapiferi, *Vualeranni* Militis, *Hugonis* Prępoſiti, *Euurardi* Præpoſiti, *Dominici* iuuenis. Sign. *Stephani* Abbatis Beſuenſis, *Vuarnerij* Prioris, Albrici. De Laïcis, *Otberti*, *Euurardi*, *Giraldi*, *Arnaldi* villici Lingonenſis: Acta ſunt hæc anno ab Incarnat. Domini M. CXIII. Indict. VI. Epact. I. regnante *Hlugdouuico* Rege Francorum, Epiſcopante Ioceranno in vrbe Lingonenſium.

Carta de Decima Caſoti.

OPeræ pretium duximus litteris adnotare, quòd *Richardus*, qui nepos Eſemberti de Caſoto fuit, omnem calumniam quam habebat ſuper decimam de ſupra taxata villa poſtpoſuit, & omninò dimiſit in præſentia Stephani Abbatis, & Monach. nec non & Laïcorum. Quapropter vt de hac re firma pax teneretur ex vtraque parte, dedit ei ſupradictus Stephanus Abbas 4. Heminas de annona in ſupradicto Caſoto annuatim: duas de tritico, & 2. de hordeo qualiſcumque ibi fuerit per * fedum tali pacto, & tali ratione, ſi

* ſeu feudū & feodum.

ſupradicta villa ad ſupradictam deſtructionem peruenerit, vt ibi capere non valeat ſupradictam menſuram, ſcilicet de 4. heminis, tamdiu patienter expectet, donec villa melioretur, & quod ſibi competit, iterum recipere poſſit. Hoc laudauerunt frater eius *Seuuinus* & ſoror. Huic rei adſignamus teſtes: Signum *Richardi*, qui hoc fecit. *Thetbaldi* Militis de Caſoto, *Pagani* præpoſiti de Tilecaſtro. De familia S. Petri, *Otberti*, *Amalberti*, *Giſleberti*, *Hugonis*, *Girardi*.

Item alia.

SCiant omnes tam præſentes, quàm futuri, quòd filia *Pontij*, quæ cognominata eſt Beſueta, & *Odo* Miles filius eius, quicquid iuris, vel proclamationis habebant ſuper pueros Girardi, qui cognominatus eſt Aligrinus, dederunt Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, æternaliter pro remedio ſuorum anteceſſorum, ante aram ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & in præſentia Stephani Abbatis, & Monachorum. Vt hæc carta inconuulſa permaneat, adſignamus ei teſtes: Signum *Odonis* Militis, & matris eius, qui hoc fecerunt, *Benzonis* Sacerdotis de Tilecaſtro, *Humberti*, qui cognominatur Angelricus, *Viuiani* *Hugonis* Villici, *Ioannis*, & aliorum multorum.

Carta de Eccleſiis, datis à Dominis Montis-Salionis.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Notificamus omnibus fidelibus, quorum vſque ad aures Cartula iſta peruenerit, quòd Domnus *Petrus* cum nepoti ſuo Domno Odoni in honore & dominio Montis-Salionis ſucceſſiſſet, dona, quæ ipſe Odo & auunculus eius Rainaldus contulerant Deo, & Eccleſiæ ſancti Petri Beſuenſis, de Eccleſiis videlicet calumniari cœpit. Accidit interim Archiepiſcopum *Ioceranum* Lugdunenſem, & Epiſcopum Cabilonenſem, & Epiſcopum Auguſtidunenſem Diuionem aduenire. Ibíque ratione conſilij, immò rationabili conſilio ſuo commonitus Domnus ipſe *Petrus*, quicquid in rebus præfatis calumniatus fuerat in manu D. *Ioceranni* Archiepiſcopi Lugdunenſis red-

didit. Archiepiſcopus autem donum illud in manu Domni Stephani Abbatis poſuit, & Eccleſiam Beſuenſem inde reueſtiuit: adſignamus teſtes. Sig. *Ioceranni* Archiepiſcopi, Stephani Eduenſis Epiſc. *Vualterij* Cabilonenſis Epiſcopi. *Vuilenci* Archidiaconi, Domni *Ioceranni* Archidiac. *Stephani* Abbat. *Verentonis* Abbat. *Stephani* Noui Monaſterij Abbat. *Vuarnerij* Prioris, *Ioannis*, *Albrici*. De Militibus, *Vuillelmi* Fontis-vennæ, *Hugonis* Dapiferi, Petri qui hoc donum fecit, *Vuidrici*, *Otberti* cocci, *Hugonis* famuli.

Carta de Arcione.

IN nomine ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis. Dignum duximus litteris adnotare, quòd Arlebaldus Præpoſitus ſancti Petri de Belenaua reddidit Deo, & ſancto Petro & Beſuenſi Eccleſiæ, omne foedum, quod habebat de Abbate, & de Monachis ſuper Manſos de Arcione, ſicut ſupradiximus, omnem conſuetudinem & quicquid calumnij vel iuris habebat ſuper ſupradictos, ſuper altare in dono poſuit, pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum, ipſe & vxor eius, & filij eius æternaliter. Et propter hoc, vt hæc donatio inconuulſa permaneat, dedit illi *Albricus* Monachus qui tunc temporis Arcionem gerebat, duas heminas frumenti, & vnam vaccam, & redemit illi de *Ranaldo* de Miribel quinque heminas annonæ, quas perdiderat apud Cuſiriacum, cum 40. ſolidos. Huic rei adſignamus teſtes: Sig. *Stephani* Abbat. *Vuilenci*, *Ioannis*, *Ioffredi*. Et de familia ſancti Petri, *Otberti*, *Hugonis*, *Giſleberti*, *Nerduini*, *Ioannis*, & aliorum multorum.

Carta de Cauiniaco.

CLareſcat hoc cunctis modò viuentibus, poſt nóſque futuris, quod *Suffiſia* vxor Pontij de villa, quæ ſanctus Sequanus nuncupatur, & *Humbertus* gener eius de Liſiaco, pro anima ſupradicti Pontij, qui Hieroſolymitano itinere mortuus eſt, pro ſua requie, ſuorúmque anteceſſorum fidelium, dederunt Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ vnum manſum, cum ſuis terris, & ſuis appenditiis in noſtra villa,

Digitized by Google

quæ Cauiniacus dicitur, & vnum ſeruum cum medietate ſuorum infantum, in ſupradicta villa ſancti Sequani Vlricum nomine. Ne talis memoria deleatur, adſignamus teſtes: *Humberti* Militis de Liſiaco, qui donum fecit, cum ſocru ſua, *Vuidrici* de S. Sequano, *Theoderici* de campo curto. De Clericis *Vuilenci* Archidiaconi, *Humberti* Canonici, *Ioannis* Preſbyteri. De Monachis, *Vuido*, Prior, *Vuilenci*, *Henrici*, *Ioannis*, *Ioffredi*, & aliorum. De familia noſtra, *Hugonis* famuli, *Aidulfi*, *Arnulfi* villici de Cauiniaco, Rotberti filij.

Carta de hominibus Nouæ villæ.

NOtum ſit omnibus qui modò ſunt póſtq; futuri, quòd *Deodatus* de Noua-villa, & vxor eius cenſum de capitibus eius reddiderunt ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, & Stephano Abbati, vt alij ſerui ſancti Petri, & ancillæ, vir 4. nummos, & mulier 2. Hoc adnotamus litteris, ne filij, & filiæ eorum, vel poſteritas, ſi negare voluerint, hoc vnquam negare poſſint. Nempe litteræ de hoc ſcriptæ, teſtimonium veritatis ſemper habebunt,

Carta de Fontinellis.

CLarificetur cunctis modò viuentibus póſtque nos futuris, quod *Vuido* Miles de Fontanis, filius Haymonis, decumbens in infirmitate veniens ad obitum ſuum, ipſe & manipulares eius, & *Rotbertus* frater eius puer dederunt Deo, & ſancto Petro & Cœnobio Beſuenſi, manſum vnum in villa quæ Fontanellas dicitur, cum appenditiis ſuis, qui nuncupatur manſus Hugonis Præpoſitis, & 4. ſeruos, Conſtantium, qui vocatur Miles cum filiis ſuis, ſub tali teſtimonio. Sig. *Richardi* de Vircillis, *Hugonis* Carrucæ, *Vuilenci* Militis de Fontanis, *Herberti* villici. Hugonis de Conuulenſi caſtro Domini, Rotberti pueri, qui donum fecit & laudauit & aliorum multorum.

Digitized by Google

Carta de Beria.

AGnoſcat pleniter, & retineat memoriter fidelis natio, tam de præſentibus, quàm de futuris, quòd *Humbertus* cognomento ſolitarius, filius Arlebaldi, dedit Deo, & S. Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ vnum manſum pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſornm fidelium in Beria villa, cum omnibus appenditiis ſuis, de pratis, & de terris cultis, & incultis, ornatum omni libertate. Dedit etiam ſupradictus Humbertus vnum ſeruum & vnam ancillam, fratrem, & ſororem, Humbertum & Rotrudem, pertinentes ad ſupradictum manſum iure perpetuo. Huic rei adſignamus teſtes. Signum *Hugonis* Militis de Chimiſſiaco, Leterij, & filiorum eius, *Stephani*, *Richardi*, *Ioannis* Preſbyteri, *Andreæ* preſb. & aliorum multorum de Beria. Si quis peruerſus huic eleemoſynæ contraire voluerit, aut aliquid demere voluerit, anathema ſit.

Item alia.

ESt in eadem villa Beria manſus, quem honorificè & cum omni libertate dedit Deo, & ſancto petro *Milo* Miles de Bellomonte, & vxor eius *Adilina*, in die quando primùm *Ioffredus* filius eorum celebrauit miſſam, ſub tali teſtimonio. Sig. *Milonis*. Sig. *Ioffredi* Monachi, qui per cultellum ſuum donum recepit, *Odonis*, *Stephani*, *Rotberti*, & aliorum multorum.

Carta de Maiaſco.

OMnis fidelis homo pleniter agnoſcat, quòd eleemoſyna fideles viuos ad vitam dirigit, & animas defunctorum à morte liberat. De qua re non immemor *Odo* Miles de Cipeto, qui Caterius cognominatur, fideliter pro anima matris ſuæ, quæ Beſueta nuncupata eſt, patriſque ſui, ſuorúmque fidelium anteceſſorum, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ in eleemoſyna coruatam apud Maiaſcum cum omnibus conſuetudinibus, quæ illi ſuccedebat liliberaliter de proprio iure, & 5. iugera terræ, nec non & partem

tem ſuam de campo, qui ſupra caſtellum iacet, qui vinea nuncupatur. Nos quoque Beſuenſes Monachi pro ſigno recompenſauimus illi, ſuíſque fidelibus, orationes, & benefacta Eccleſiæ, tam viuis, quàm defunctis in ſempiternum. Huic Cartæ adſignamus teſtes. Sign. *Odonis* qui eleemoſynam fecit. *Vuillelmi* Fontis vennæ, *Humberti* de Cipeto, *Benzonis* Sacerdotis de Tilecaſtro, *Pagani* Præpoſiti, *Vuillelmi* de Foſſato, & de noſtra familia quam plurimorum.

Item alia.

NOtum ſit omnibus tã præſentibus, quàm futuris, quòd *Odo* Miles de Bellomonte conceſſit, & ex toto donauit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, quicquid vnquam habuit, vel ipſe, vel anteceſſores ſui, calumnij ſuper infantes Lamberti, qui Groſſus denarius nuncupatus eſt, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè. Huic notitiæ adſignamus teſtes. Signum *Odonis* qui hoc fecit ex ſua parte, & omnium anteceſſorum ſuorum. Sig. *Seuuini* de Reiaco, *Odilonis* Militis de Liſſiaco, *Hugonis* Columbæ de Bellomonte; *Lamberti*, *Otberti* filij eius, *Vuidrici*. De Monachis, *Vuarnerij* Prioris, *Landrici*, *Theoderici*, & aliorum multorum.

Carta de hominibus Burbereni.

SCiant omnes per notitiam iſtarum litterarum, quòd homines natiui de Burbureno, qui terram acceperunt ſancti Petri ad plantandas vineas de manu Stephani Abbatis, ſcilicet Albricus, Vuarnerius, & Nerduinus, cum fratribus ſuis, tali pacto conceſſa eſt eis prædicta terra, vt ſi quis ex filiis eorum acceperit ancillam ſancti Petri in vxorem, & in ſeruitio Eccleſiæ remanere voluerit, ipſe habeat ædificium & terram ſupra nominatam. Et qui hoc non fecerit, poſt mortem eius recipiet Eccleſia & ædificium, & terram in ſuo proprio iure.

Carta de Eccleſiis pro Humberto Bruno datis.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti. Omnibus qui has legerint vel audierint notulas, certum fiat, quòd in die illa quando corpus *Humberti* Bruni, Fontis-vennæ Senioris, apud Beſuæ Monaſterium traditum fuit ſepulturæ, conſilio, & laude *Rotberti* Lingonenſis Epiſcopi, & fratrum, & Militum, & clientum, ſupra taxati Humberti vxor eius pro eius anima in illa die dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ Capellam de caſtro Fontis vennæ, & illam partem quam habebat in Eccleſia S. Valentini de Lurocurte habendam & poſſidendam iure perpetuo. Nec non & duos ſcyphos argenteos: tali pacto, vt annuatim in ſuo anniuerſario, eius memoria & anteceſſorum ſuorum fideliter celebraretur in conuentu Monachorum. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, ſubſcribamus ei teſtes idoneos. Sig. *Rotberti* Epiſc. *Vuillelmi* Comitis Burgundiæ, *Rainaldi* filij eius, *Vuidonis* de Raiaco, *Vuidonis* de Burgundione villa. *Hugonis* de Bellomonte, Lebaldi de D. Petro. *Henrici* de Noua-villa, *Henrici* de Firmitate. *Rotberti* Capellani, & aliorum multorum. De Mon. Sig. *Gausberti* Abbat. *Vuarnerij* Præpoſiti, *Benedicti* Prioris Fontis-vennæ, Conſtantij. Facta ſunt hæc regnante Philippo, Epiſcopante *Rotberto.*

Item Alia.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd *Odo* filius Hugonis, qui frater fuit Abbatis *Odonis*, propter quandam vineam quam ſibi conceſſit habere D. Abbas Stephanus poſt obitum patris ſui, ſcilicet ſupradicti Hugonis, ſeipſum ſpopondit permanere in ſeruitio, & in fidelitate ſancti Petri, & Monachorum ſicuti liber. Et tali modo, ſi ipſe abſque proprio hærede moriatur, qui non ſit de ancilla ſancti Petri, ipſa ſupradicta vinea, & quicquid ibi ædificatum fuerit, veniat in iure & in proprietate ſancti Petri, & Monachorum, pro anima eius: ſin autem ancillam ſancti Petri accepit, infantes eius vineam poſſideant, quamdiu ſeruie-

Digitized by

rint: & per iſtam pactionem, ſi circa nos morte præoccupatus fuerit, quaſi noſtrum Commiſſum obtinebimus.

Carta de Veona.

AD memoriam reducatur modò viuentibus, poſt nóſq; victuris, quòd *Thebaldus* Capellanus de Verziaco pactum fecit, & confirmauit cum Stephano Beſuenſi Abbate ſuper 2. iugera de terra ſancti Petri, quæ eſt in Veona, quæ ad plantandum quæſiuit tali ratione, vt annuatim tempore vitæ ſuæ 12. nummos Beſuenſi Eccleſię pro ſigno perſoluat. Poſt obitum verò eius ſupradicta Eccleſia terram ſuam cum omni ædificio liberam & ædificatam recipiat. Huic rationi ſubſcripſimus teſtes: Signum *Stephani* Abb. *Guilenci*, *Albrici*, *Ioffredi* Diuionenſis Prioris, *Rotberti* preſbyteri de Gibriaco, Humberti Clerici de Diuione, nec non & aliorum multorum.

Carta de terra Lamberti apud Nouem-villam.

DEſcriptio terræ *Lamberti* de poliaco, quæ eſt apud Nouam villam, ſuper fontem, diurnalem & dimidium in villenas: 2. in Campanolas: 4. in cuncta de villa Marcelli ab ea parte, vbi fuit Capella ſancti Langiſi: 4. Ad campum iuxta pratum, qui apellatur Campus natoriæ. Et in milliario 2. in campo d'Elchallo, & in campo Delfinum, 3. De prato ad 4. falces, & dimidiam.

Carta de Vxore Euuardi.

CLarificetur cunctis modò viuentibus, poſt hóſque futuris, quòd *Humbertus* puer, filius Humberti de Cipeto, pro anima patris ſui ſuorúmque anteceſſorum, dedit Deo, & Beſuenſi Eccleſiæ Helizabeth filiam Vuarnerij de Burburano, ſponſam Euurardi, filij Giſleberti de Fonte. Ne aliquis infidelis hoc mendacium exiſtimet, adſignamus teſtes: Sig. Humberti qui donum fecit, *Pagani* prępoſiti de Tilecaſtro, *Vualterij*, *Hugonis* fratris eius de Tilecaſtro, *Otberti* de picangis, *Tebaldi* de Caſato, *Humberti*, *Engelrici*, *Albrici* de Burbu-

rano. De familia ſancti petri, *Euurardi*, *Gunterij*, *Giraldi*, *Albuini*, *Giraldi*, *Otberti*, *Hugonis* famuli.

Carta de Majaſco.

REligioſorum fides ac deuotio virorum eo maximè ſemper fuit laudabilis, quo non ſolùm Eccleſiis Dei acquiſita retinere, verùm etiam alia vndecumque ſtuduerunt adquirere. Quorum formam prout potui imitatus, ego Stephan. Eccleſ. Beſuenſis licet indignus Abbas, & Eccleſiã iuxta caſtrum quod dicitur Confluentum conſtruere cupiens, quęſiui ab *Iterio*, qui tunc Dominus ipſius caſtri fuerat, quatinus Deo, & Eccleſię ſancti petri Beſuenſis concederet quodcumque vſuarium habebat in pratis, in ſyluis, in aquis, ſeu in campis, qui petitionem noſtram intelligens de fonte pietatis deſcendere, annuit quod petebam, ipſe cum matre ſua & fratribus, ac ſororibus ſuis. Annuit hoc ipſum *Vuarnerius* de Fulcherolis quantum ad ſe pertinebat. Item poncius de Caſtello, quod Firmitas dicitur, vbicumque ad ſe pertinebat, eodem modo & Eccleſiæ Beſuenſi conceſſit.

Carta de Lentiliaco.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Religioſa fidelium rebus ſanctæ Eccleſiæ inuigilans induſtria ſic ſuæ poſſeſſioni opportet vt prouideat, vt quicquid tenet, inconcuſsè teneatur, & quæcumque ex propriis laboribus, vel ex piorum oblationibus adipiſcitur, cuncta ſe perenniter obtinere in futurum gratuletur. Quàm plures etenim huius temporis homines crudeles, & fæuiſſimi ſponſam Chriſti, videlicet Eccleſiam, non ſolùm non curant augmentare, verùm etiam omnimodis moliuntur de propriis annullare. proinde notum ſit omnibus & pręſentis, & futuri ſęculi fidelibus, domnum Ioffredum Dominum Bellimontis, cum *Gertrude* ſua coniuge, ſuóque filio *Hugone*, pro anima filij ſui *Fulconis*, anteceſſorúmque ſuorum remedio, in loco eleemoſynę, Deo, & S. petro, fratribúſque Beſuenſis Cœnobij, vnanimiter conceſſiſſe quicquid Lentiliacum in terris, in

Digitized by Google

aquis, in ſyluis poſſidebat, id eſt, quicquid prorſus in reditibus vel appenditiis aliquibus proprio iure ibidem obtinebat. Quod donum à ſe ſuiſque hæredibus collaudatum, ne procurſu temporis vel aliquo obliuionis diſſoluatur diſpendio, opportunum eſſe cognoſcitur ſolidari priuilegio, virorúmque qui ad fuerunt, roborari teſtimonio. Sig. *Ioffredi* qui donum fecit. *Hugonis* filij eius. *Vuidonis* qui Fontis-vennæ eſt Dominus, *Vuillelmi* auunculi eius. *Hugonis* de Poliaco. *Seuuini* de Raiaco. *Odilonis* de Lixiaco. *Humberti* de Faberniaco, *Mainfredi* de Arco, *Audonis* de Fontinellis. De familia Dom. *Ioffredi* affuerunt *Vuido* Præpoſitus, *Vuarnerius* cognomento Pirdix, & *Hugo* frater eius, *Giſlebertus* de Alteriaco Præpoſitus, & *Rodulfus* de Alteriaco, *Giſlebertus* de Poliaco, *Vuarnerius* de Solario, & alij quàm plures. Acta ſunt hæc anno ab Incar. Domini M. CXIV. Indict VII. Epacta XII. *Hlucdouuico* Rege regnante in Francia: *Ioceranno* Epiſcopo præſidente in Lingonis, & *Stephano* Abb. in Beſua. 1114.

Item Carta de eodem poſteà facta, propter contentionem de illa prima donatione habitam.

OMnipotentis edoctus conſilio, ſimúlque illud conſiderans, quòd pro omnibus, quæ in hac vita geruntur, aut puniatur quiſque, aut remmuneretur à Chriſto, deliberaui ego *Ioffredus* cum vxore mea *Gertrude*, & *Hugone* filio meo, vitæ meæ tempus & dies quoniam mali ſunt, redimere.

Concedio igitur cum vxore mea & filio Eccleſiæ ſancti Petri Beſuenſis quicquid apud Lentiliacum habeo in ipſa villa, & in campis, & in pratis, & in aliis appenditiis, ita ex toto liberrimum, ſicut vnquam liberiùs ab anteceſſoribus meis, ſeu à me poſſeſſum eſt. De ſylua illa quæ vocatur Brouls medietatem à parte villæ Lentiliaci: omnino ab omni conſuetudine liberrimã poſſideat. In alia medietate mea, Monachi & homines, ac mulieres qui apud Lentiliacum manebũt liberè, & conſuetudinaliter ſibi, & beſtiis ſuis procurſum habeant. Ingreſſus vſque in eam partem ſyluæ, quæ mea eſt, erit ab ea parte, quæ angulus lirratus dicitur: & eo tenore, vt ſi eundo damnum neſciens factum fuerit, ſimpliciter red-

Digitized by Google

datur; si verò scienter, aut expectando, damnum cum lege restituetur. Quòd si guerra mihi, aut hæredibus meis superuenerit, à castello Fontis-vennæ, aut ab aquato, aut Achargeiaco, ingressus vsque in meam partem syluæ, erit mihi & meis per antiquas, & originales vias. Et iterum eo tenore, vt si damnum in eundo factum fuerit nescienter, simpliciter reddatur, si verò scienter, damnum cum lege restituetur. Huic Donationi assignamus testes, *Iocerannum* Episcopum Lingonensem, *Stephanum* Abbat. Besuens. *Vuarnerium* Priorem, *Lebaldum*, *Theodericum* Præpos. *Albricum*. De Clericis, *Iosbertum* Decanum, *Lambertum*. De Militibus, *Ioffredum* cum vxore sua *Gertrude* & *Hugone* filio suo. *Humbert*. de Lisseio cum *Odilone* fratre suo, *Vuidonem* villicum, de Gradeio, Rocilinum. *Rotbertum* de Furt, *Richardum* de Poiens. *Virricum* de Altreio, *Vuidonem* fratrem eius, *Hugonem* de Pauliaco.

Carta de Ecclesia S. Martini.

PRæsentis æui futurísque deinceps hominibus clarificetur, quòd Domnus Girardus Ecclesiæ Lingonensis Archidiaconus dedit Ecclesiæ Besuensi pro quiete suæ animæ, suorúmque antecessorum, quicquid habebat in Ecclesia sancti Martini castri, quod dicitur Bellimons; scilicet medietatem Ecclesiæ & Presbyteratum, laudante idipsum Domno Episcopo Rotberto, & omni Capitulo Lingonensi. Nos verò contuentes penè cuncta à memoriis hominum dilabi, Cartis hoc placuit inseri, vt si quis deinceps huic donationi contraire voluerit, harum authoritate litterarum retineatur. Huius autem testes rei quam plurimi extitere, ex quibus nobis quosdam placuit hîc nominatim subtexere. D. *Rotbertus* Episcopus. Abbas *Stephanus*. Vuarner. Constant. & de Militibus, *Rainaldus* de Monte Salionis, & frater eius *Petrus* Domnus Stephanus Abbas cum Gibuino sacerdote, & fratre eius, filiis Berengarij, ex eadem re huiusmodi pactum firmauerunt. Tertiam partem decimæ de omnibus annonis sibi retinuit, excepto Canabo. De oblationibus verò quatuor festiuitatum, Natiuitatis, Purificationis sanctæ *Mariæ*, Paschæ, & omnium Sanctorum quartam partem, & candela-

Digitized by Google

brum, & oblationum pro Defunctis.

Vt verò pax vtrinque teneretur, Gibuinus Preſbyter dedit fideiuſſores *Vuarnerium* Perdicem, & *Vuarnerium* de Solario, taliter vt ſi iſti defecerint, alij ab eo reſtituantur. Hoc etiam ſtatutum eſt, vt ſi Domnus Abbas, ſeu quiſlibet ex Monachis Beſuenſibus, venerit in domo Preſbyterij, libenter ſuſcipiat, & ſeruiat ei. Illud etiam additum eſt, quòd ſi Preſbyter quid ex noſtra portione interceperit, ſi Dom· Abbati vel Monacho, ſeu Miniſtro rem requirēti reddiderit, in pace erit. Sin aliàs, ſemel & iterum per fideiuſſores ammonitus, niſi reddiderit, poſteà ſummam, & legem perſoluet.

Carta de Vactis.

CVnctorum notitiæ patere volumus, quòd *Alefridus* Miles de Vactis veniens ad obitum, dedit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ omnem hæreditatem, quam poſſidebat de proprio fundo, ſcilicet manſum proprium cum domo, & ſedem molendini cum prato, omnémque poſſeſſionem alodij ſui, vt ſupra diximus, in agris, in ſyluis, in pratis vbicumque. Et vt hæc Carta inconuulſa permaneat, adſignamus teſtes. Signum *Andreæ* Preſbyteri de Beria. Sig. *Vualterij* Preſbyteri de Eccleſ. Sig. *Stephani* Præpoſiti de Beria. Sig. *Hugonis* de Chimiſſiaco. Sig. *Humberti* qui fuit nepos eius. Sign. *Vualterij* de Vagtis, qui fuit filius Laiſini. De Monachis noſtris. Signum *Vuarnerij*. Sig. *Aymonis*. Sig. *Odilonis*, & aliorum multorum.

Carta de Beria.

PAteat cunctis modò viuentibus, poſt modúmque futuris, quòd Domnus Hugo Miles & Dominus de Beria, in die qua peram aſſumpſit ad Hieroſolymitanum iter faciendum, ſcilicet in die Ramis palmarum, veniens in Beſuenſi Capitulo, miſit ſe ad pedes Monachorum orans & petens vt ſui miſererentur, & in ſuis orationibus memoriam illius habere dignarentur. In ipſa die, & in ipſo præſenti Capitulo coram teſtibus dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, duos manſos optimos pro ſe, & pro anima ſua, & pro anima·

bus anteceſſorum ſuorum fidelium, vnum in villa, quæ Beria dicitur, cum omnibus appenditiis ſuis, ſcilicet manſum Ogerij, quem tenet Vualterius filius eius vetulus, frater Stephani Præpoſiti, qui vocatur Albus. Alium in villa, quæ dicitur Luecurtis, cum omnibus appenditiis ſuis, quem nominauit manſum Otberti de Arbore. Ne aliquis peruerſus hoc friuolum exiſtimet, adſignamus teſtes. Sig. *Hugonis*, qui donum fecit. Sig. *Nerduini*, qui habet filiam eius. Sig. *Hugonis* Columbæ de Bellomonte. Sig. *Milonis* de eodem caſtro. Sig. omnium Monachorum, qui ibi præſentes affuerunt.

Item Alia.

PEr has ergo litteras agnoſcant omnes tam præſentes quàm futuri, quòd Nerduinus Miles de villa, quæ Pinus dicitur, & vxor eius *Hermengardis*, quæ filia Hugonis de Beria fuit, donauerunt Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, vnum manſum in Beria villa, ſcilicet manſum Gunterij, cum omnibus appenditiis ſuis in pratis, & in terris, & vnum ſeruum nomine Stephanum, quem ſupradictus Hugo anteà conceſſerat, & vnam ancillam, quæ Oſana vocatur, nec non & ſororem eius. Hoc totum tradiderunt Deo, & ſancto Petro, vt ſupra diximus, Nerduinus, & vxor eius, pro anima Vualonis pueri, & pro anima patris ſui ſupra taxati Hugonis, nec non & pro remedio animarum omnium anteceſſorum ſuorum, tam pro viuis, quàm pro defunctis. Huic rei adſignamus teſtes. Sig. *Nerduini*, qui eleemoſynam fecit. Sig. *Milonis* de Bellomonte. Sig. *Richardi* filij eius. Sig. *Hilberti* Militis de Salice. Sig. *Vualonis* fratris eius. Sig. *Hugonis* Militis de Chimiſſiaco. Sig. *Andreæ* Preſbyteri. De noſtra familia quàm plurimi. Hoc donum, & hæc eleemoſyna tradita eſt per manus *Nerduini*, & vxoris eius, per fruſtrum lapidis, ſuper altare Apoſtolorum Petri & Pauli, cum omni honore, & omni libertate æternaliter poſſidendum.

Carta Domni Petri.

ECcleſiæ Dei fidelium donatione collata, ob id ſine dubio litterarum traduntur monimentis, ne temporum longo

Digitized by Google

longo ſuccedintium voluente curriculo à memoria mortalium aboleantur. Quapropter non inutile fore venturis arbitramur, ſi nuper Eccleſię noſtrę conceſſa tenacibus apicum ſcriptis commendemus. Quæ ita ſeſe habent. Petrus Dominus caſtri Montis-Salionenſis, agnomine Malus reſpectus, Deo, & ſanctis Apoſtolis petro & paulo, Beſuenſique Eccleſiæ conceſſit, laudantibus coniuge, & filiis, alodium, quod quondam apud Lentiliacum dederat, libertate in poſterum poſſidendum. Addidit quoque in Capitulo, Abbate aſſidente cum Monachis, ſeruum nomine Vualterium, & ancillam dictam Aluide, in villa, quæ Treſcaſe appellatur, habitantes. De quibus ne qua in ſuperuenientibus temporibus naſcatur controuerſia, idoneos aſſignamus teſtes. Sig. eiuſdem *Petri*, & vxoris eius. Sig. *Otonis*, & *Rainaldi* filiorum eius. Sig. *Rodulphi* Militis. Sig. *Gaudini* Militis. Sig. *Vualterij* Præpoſiti. Sig. *Humberti* filij *Olgerij*. Sig. *Girardi* Abbat. Sig. *Vuilenci* Prioris, & totius Conuentus.

Carta Hugonis Herli.

IN nomine Domini. Sciant omnes tam præſentes, quàm futuri, quòd *Hugo* Miles de Renauis, cognomento Herlus, gratis, & cum magno affectu dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ alodium ſuum totum cum omni libertate, quod habebat, & poſſidebat in villa, quæ dicitur Auſiliacus, pro anima ſua, & pro animabus anteceſſorum ſuorum, in campis, in pratis, in manſis, in ſyluis, in aquis. Vt eleemoſyna iſta & donum firmum perſiſtat, ad ſignamus ei teſtes idoneos. Sig. *Hugonis* de Bellomonte. Sig. *Vualonis*, & *Haimonis* Columbæ. Sig. *Ricardi*. Sig. *Milonis* de Poiens. Sig. *Vrici* de Renauis. Sig. *Rodulphi* fratris eius. Sig. *Rodulphi* filij Vrrici. Sig. *Vuidonis*, cognomento Chiminal. De Mon. Sig. *Girardi* Abb. Sig. *Theoderi*. Sign. *Vuidonis* de Renauis. Sign. *Lebaldi*. Sig. *Remigij* Preſbyterj, & aliorum multorum.

In tempore illo Rodulfus filius *Vrrici*, de ſupradicto alodio conceſſit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, vnum manſum, quod ei contulit auia ſua poſt obitum ſuum, vbicunque obiſſet.

Carta de Secuniaco.

SCiant omnes tam præſentes, quàm futuri, quòd *Galterius* Miles de Chortoſon, veniens ad obitum ſuum, Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſię pro anima ſua, ſuorúmque anteceſſorum, dedit vnum manſum liberum cum omni libertate, apud villam, quæ vocatur Secuniacus, cum nemore & terris, & omnibus appenditiis, quæ ad ipſum manſum pertinent. Omnia quæ ibi videbatur habere, & ipſe *Galterius* nepos eius, in terris, & in ſyluis, tradiderunt S. Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, iure perpetuo; & vnam ancillam, quæ vocatur Doda. Et vt nullus falſator poſſit cõtraire huic eleemoſynæ, adſignamus ei teſtes. Sig. *Milonis* Militis. Sig. *Vualonis*, & *Hilberti* filiorum eius, qui donum fecerunt cum matre illorum. Sig. *Galterij* nepotis eius, qui ſimiliter donum fecit. Et de Militibus de Beria. Sig. *Vualonis*. Sig. *Hilberti*. Sig. *Pagani* fratris illorum. Sig. *Mainfredi* de Archo. Sig. *Andreæ* Preſbyteri de Beria.

Carta de Liſſeiaco.

NOtum fiat fidelibus, quòd *Odilo* de Liſſeiaco Eccleſiæ Dei, & ſancti Petri & Beſuenſis contulit in eleemoſyna quicquid habebat apud Liſſeiacum vbique, tam in terra, quàm in aquis, in pratis, in paſcuis, in ſyluis, ita honorificè, ſicut ipſe tenebat ea. Sed & ipſi Monachi Beſuenſes conceſſerunt ei Odiloni ea quæ ipſi habebant apud Brucciacum eo tenore, vt ipſo ex hac vita exeunte, cum omnibus quæ ibi ædificauiſſet, Eccleſiæ Beſuenſi remaneret. Obtulit autem ſuper altare ſancti Petri, per textum Euangelij deauratum, & hoc ipſum, ſicut diximus, de Brucciaco coram teſtibus tam Monachis, quàm Laïcis. Quorum quædam nomina hæc ſunt: Sig. *Odilonis* qui hoc donum fecit. Sig. *Mauricij* Militis de Probato. Sig. *Otberti*. Sig. *Hugonis*. Sig. *Giſleberti*. Sig. *Euuardi*. Sig. D. *Stephani* Abb. Sig. *Vuilenci*, *Lebaldi*, Albrici.

Similem donationem fecit *Hugo* ſenior, frater *Odilonis* de inſula Bollina, de ſua parte de Liſſiaco, ipſe & filius Vuido

Digitized by Google

puer, & vxor eius, & filia eius Aia, ad integrum cum libertate tenendum & poſſidendum B. Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ in perpetuum pro ſua anima, ſuorúmque anteceſſorum fidelium. Sig. *Hugonis*, *Vuidonis* filij eius. Sig. *Humberti* de Liſſiaco. Sig. *Odilonis* fratris eius. Sig. *Giſleberti* Sacerdot isde Malliaco. Sig. *Humberti* Prouiſoris vel Miniſtralis, & aliorum multorum.

Carta de Maiaſco.

SApientum virorum conſuetudinem eſſe cognoſcimus, præſentia litteris adſignata futuris æternaliter reſeruare temporibus. Scribere igitur dignum duximus, quod *Rotbertus* de Rinei, calumniam quam faciebat de terra, quæ apud Maiaſcum ſita eſt, in finem & pacem poſuit pro duobus equis, quos ab Abbate Stephano, & fratribus Beſuenſis Eccleſię accepit. Quapropter quicquid in prædicta terra iuſtè vel iniuſtè habere ſe dicebat, Deo, & ſancto Petro, & fratribus prædictis liberè conceſſit in æternum poſſidere. Quod vt firmiùs pertineat, teſtes qui ad fuerunt ſubſequens ſcriptura demonſtrat. Sig. *Rotberti* Militis de Fontanis, & vxoris eius *Auilinæ*. Sig. *Richardi* Militis de Vircillis. Sig. *Odonis* Viridi. Sig. *Haymonis* de Monte-Salione. Sig. *Bertranni* Militis de Fontanis. Sig. *Vuilenci* Militis de Fontanis. De familia ſancti Petri. Sig. *Otberti*. Sig. *Hugonis*: alterius *Hugonis*. Sig. *Aygulfi* & aliorum multorum.

Carta de Luat.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Dominus dicit in Euangelio: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. De qua re non ſurdus auditor fuit Miles quidam, *Otbertus* ſcilicet de Tilecaſtro, Senior de Cypeto, vt de ſuis propriis liberiùs eleemoſynam faceret, ſeipſum in primis eleemoſynam fecit. Qui veniens ad conuerſionem ad Beſuenſe Monaſterium, dedit Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, vnum manſum in villula, quæ vocatur Luat, cum adiacentiis ſuis, cum terris, & pratis, ſic liber & honorificè, vt iſte manſus, qui vocatur manſus Letaldi, habeat præcur-

ſum, & conſuetudines per omnia nemora quæ ſunt de Cypeto citra Tylam & vltrà, & ſeruum vnum Bricionem, cum omni ſuppellectili ſua, qui erat miniſtralis de terris ſuis: & vnum mulum optimum quem habebat, & quicquid calumnij habebat ſuper terram ſancti Petri, & ſuper homines poſtpoſuit. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, ſupponamus ei teſtes idoneos. Sig. *Humberti* de Cipeto filij eius. Sig. *Aymonis* filij eius. Sign. *Vuidonis* Clerici filij eius. Sign. *Iniulrici*, Sign. *Humberri* filij eius de Tilecaſtro. Sign. *Aldonis* Senioris. Sig. *Odilerij* Militis. Sig. *Vuidonis* de Foſſato Militis, & aliorum multorum. De Monachis. Sig. *Iosberti* Abbatis. Sig. *Benedicti*. Sig. *Conſtantij*. Sig. *Rotberti* Præpoſiti. De familia ſancti Petri. Sig. *Ioannis* Villici. Sig. *Humberti* Cocci. Sig. *Giraldi* Clerici.

Habet ſanctus Petrus & noſtra Beſuenſis Eccleſia plurimam terram in ipſa villula, quæ vocatur Luat, infrà & per confinia ipſius. Terram ſcilicet *Iſemberti* de Caſoto cum adiacentiis ſuis. Terram *Vualterij* de Bellomonte Pincernæ cum adiacentiis ſuis. Terram Landrici cum adiacentiis ſuis.

EPITAPHIVM.

Ioannes ac Stephanus Abbas laudibus attollũtur.

OMnibus oſtendit Monachi pia cura Ioannis:
Qualis in Eccleſia fuit à puerilibus annis,
Abbatis Stephani *ſtudium quærens imitari.*
Plus ſtuduit reliquis ea quæ bona ſunt operari:
Abbas Eccleſiam venerabiliter renouauit,
Deſertáſque domos veluti patet ædificauit.
Hic partem cupiens ipſius habere laboris,
Libris ſcribendis operam dedit omnibus horis.
Stephanus Eccleſiæ poſſeſſa ſuæ duplicauit,
Dum reditus, fundos, & prædia multiplicauit.
Hic *rerum Cuſtos ſibi credita dum bene ſeruat,*
Multiplici ſtudio libros ſtudioſus aceruat.
Stephanus Eccleſiæ theſauros amplificauit,
Omnia ſepta fere meliùs mutando locauit.
Hic *rerum Cuſtos dum curis inuigilauit,*
Plus in ea reliquis Cuſtodibus ædificauit.

Stephanus Eccleſiam ditem de paupere fecit,
Quam meliùs ſtatuendo ſuperflua quæque reiecit.
Cuius & iſte ſequens factum non degenerauit,
Dum res Eccleſiæ pro poſſe ſuo decorauit.
Stephanus Eccleſiæ caput extendit ſuper amnem.
Nouimus auxilium ſimul impendiſſe Ioannem.
Quiſque modò famulando ſuo dat plurima, pròque
Fine ſui curſus brauio ſit dignus vterque.
Eccleſiæ Domini dilexit vterque decorem,
Dum pro poſſe ſui famulatus præſtat honorem.
Fidus vterque cliens Domini ſepelire talentum
Noluit, ex vno dum quærit reddere centum.
Vita Patris Stephani paſtoribus eſt imitanda:
Vita Ioannis erit non immeritò memoranda.
Hic erit exemplo Prælatis, iſte ſequendus,
Quis in officio ſuus eſt ſucceſſor habendus.
Nos igitur qui tot tanti bona Patris habemus,
Quique Ioannis opus tot florida ſcripta videmus,
Expanſis Regi manibus qui regnat vbique,
Conferat, oremus, meritum pietatis vtrique,
Vt qui iuſtificat maiores atque puſillos,
Connumeret patriæ cœleſtis ciuibus illos.

Hîc ſunt libri prætitulati, quos *Ioannes* fecit deſcribi: videlicet magnam partem Ioſephi: Auguſtinum etiam ſuper 50. Pſalmos vltimos, à *Domine exaudi*, vſque *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Exameron Ambroſij; Ambroſium de Officiis, de Sacramentis, & de morte Satyri fratris ſui; Ambroſium de Virginitate, & Hiſtoriam Vuandalorum: Hiſtoriam Oroſij; Hiſtoriam Iuſtiniani: Hiſtoriam de Hieruſalem. Homeliam Origenis. Confeſſiones Auguſtini. Collectaneum nouum. Muſicam Vuidonis. Duos Antiphonarios optimos de Muſica. Gradalem, & Nocturnalem. Vitam ſanctæ Fidis: & Paſtoralem ſancti Gregorij. Gregorium de Miraculis. Vitam ſancti Galli, & alias multas vitas, & paſſiones Sanctorum. Vitam S. Leonis, & Hieronymum ſuper Sophoniam, Aggæum, Ioëlem, & Malachiam. Decem collationes Patrum, & alias ſeptem. Vitas Patrum B. Hieronymi. Librum Scintillarum. Quæſtiones Bedæ in libros Regum.

Ioannes multos libros curauit exſcribendos.

Nota.

Digitized by Google

Iſtum etiam librum de diuerſis rebus, & Cartis compoſuit.

Carta de Preopapa.

SCiant omnes tam præſentes, quàm futuri, quòd *Milo* quidam Miles de Monte-Salionis, cognomento Paganus, veniens ad obitum ſuum cum magno affectu, ſuſcipiens habitum Monachi, pro remedio animæ ſuæ, ipſe & *Aſcherius* Miles, nepos ipſius, tradiderunt Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, in villa, quæ nuncupatur Preopapa, tres falces de prato, & quartam apud villam quæ dicitur Præciacus, & vnum manſum cum ſex iugeribus terræ, & de ſylua quæ pertinet ad villam ſuperiùs nominatam Preopapa, dederunt Monachis de Albiniaco præcurſum, & conſuetudinem de paſtione, & ſi ibi miſerint porcos ſuos, & omnia quæ neceſſaria illis erunt de illa ſylua ad domos faciendas & ad omnia habitacula ſua, & ad omnia vtenſilia ſua, quæ de ligno fieri poſſunt, tradiderunt illis iure perpetuo cum omni honore. Ille quoque Ruſticus, qui in ſupradicto manſo habitauerit, habeat ſimiliter cum honore omnes conſuetudines de villa ſupradicta, de ſyluis, de aquis, de pratis, de paſcuis, & nulli vnquam ſeruiat, niſi ſancto Petro & Monachis. Et dederunt adhuc in hac eleemoſyna vnum plaſtrum iuxta capellam de Monte Salione. Si quis falſator huic eleemoſynæ contraire voluerit, anathema ſit. Vt hæc Carta inconuulſa permaneat, ſubponamus ei teſtes: Sign. *Aſcherij* qui hoc donum fecit. Sig. *Lamberti* de Domarim. Sig. *Hugonis* Militis de Cortiniaco. Sig. *Odonis* Viridis. Sig. *Aymonis* Militis. Sig. *Rotberti* preſbyteri. Sig. *Dominici*. De Monachis, Sig. *Conſtantij*. Sig. *Ioannis*. Sig. *Vlgerij*.

Carta de ſylua Vetus-vinearum, & Manſili, quod appellatur Domos.

QVemadmodum inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum, eo ipſo adnitente, vt nemo ad vitam poſſit redire, vix eſt qui faciat bonum, vix eſt vſque ad vnum. Neceſſarium remur, vt ſi quis aliquid Eccleſiæ contulerit, litte-

Digitized by Google

rali memoriâ futurorum fidelium notitiæ tranſmittere. Quędam mulier & ortu & actu ſatis in ſæculo clara, filia *Henrici* de Noua villa, nomine Elizabeth, cognomento autem Caritas, dum ad obitum propinquaret, Eccleſiæ ſanctorum Petri & Pauli contulit in eleemoſyna pro remiſſione peccatorum ſuorum, & anteceſſorum ſuorum, quicquid habebat in ſylua veterum vinearum, & eius manſilis, quod appellauit domos. Dedit etiam ſeruum nomine Ioannem, & ancillam nomine Emmam, ita omninò liberè & honorificè habendum, vt meliùs ſciuit, & potuit. Laudantibus filiis ſuis, *Vuidone* & *Philippo*. Teſtibus verò *Alinardo* Clerico, *Odonę* de Bellomonte. *Seuuino* de Raiaco, *Gerardo* Criſpo, *Hugone* de Voſlun, *Theoderico* Miniſtro, *Pagano* Capellano. De Monachis, *Gerardo* Priore, *Vlgerio* Caluo, *Albuco* captiuo, *Gerardo*, filio eiuſdem mulieris.

Carta de Lixiaco.

PErſpicientes huius ſæculi caſus, & mutationes, operæ pretium duximus ea quæ noſtris temporibus Eccleſiæ Beſuenſi collata ſunt, memoriæ commendare perenni. Notum itaque fiat, quòd *Humbertus* de Liſſei, quicquid in eadem villa habebat, ſeu habuerat ipſe & anteceſſores eius, Deo, & ſancto Petro Beſuenſi, ita omninò liberrimè contulit, vt deinceps neque in cimiterio, neque in ipſa villa cuiquam homini, neque ſuo, neque alterius, liceat ei, ſeu hæredibus eius, aut alicui loco eius perſonæ, iniuriam, vexationem, ſeu exactionem inferre; & vt prætulimus, in tota villa illa non ſolùm hominem, ſed nec quidquam omninò violenter capere. Data ab Humberto præfato, cum vxore & filiis ſuis, coram teſtibus annotatis infrà: Albrico fratre eius, *Theoderico* Monacho, *Balduino*, *Lencilino*, *Pontio* Militibus. Eo die quo Eccleſia conſecrata eſt à Dom. *Ioceranno* Lingonenſi Epiſcopo. Anno ab Incarnat. Verbi Dei M. CXVIIII. Indict. XII. Epact. VIII. concurrente II. Cal. Iunij, die Dominico.

Eodem tempore & eadem hebdomada feriâ IV. quidam Miles, *Humbertus* de Cynciaco, dedit ſancto Petro pro ani-

ma filij ſui Vuidonis, & anteceſſorum ſuorum 12. denarios, de Eccleſia cuiuſdam villæ, quæ dicitur Mentuſca, & vnum manſum apud Cynciacum villam, ad portum cum* pontinatico, & piſcaria, quæ omnia obtulit ad altare, imponens librum ſuper illud coram teſtibus, *Letbaldo*, *Vuilenco*, cæteriſque quàm plurimis Monachis, & *Vuidone* fratre eius, Vualterio de Beria, cum aliis multis.

ſue pontatico.

Carta de Eccleſiis Cypeto, & Taſneto.

NOn minimum ſucceſſoribus noſtris credimus profuturum, ſi iuxta maiorum noſtrorum conſuetudinem nos quoque de rebus huic Eccleſiæ collatis memoriam, etſi non luculentâ, verâ tamen oratione, poſteris relinquamus. Notum ſit igiturquod Dom. *Iocerannus* Lingonenſis Epiſcopus Eccleſiam de Cipeto donauerit Eccleſiæ ſancti Petri Beſuenſis, per manum Domini *Stephani* Abbatis, in Capitulo ſanctæ *Mariæ* Fontis-vennæ caſtelli, coram Archidiaconis ſuis, & laudantibus, *Vuilenco* Archidiacono, & *Ayrardo* Archid. *Humberto* Canon. Sig. *Stephani* Abbatis. *Vlgerij*, *Rodulphi* Monachis.

Dedit etiam Eccleſiam de Taſneto prædictæ Beſuenſi Eccleſiæ, in ſylua quæ vocatur Volort, coram *Vuarnerio* Archid. Laudante eo, & donante quidquid in ea habebat. Coram pluribus, Rotberto Præpoſito, & aliis.

Carta Iocerannı Epiſcopi de Mentuſca.

EGo *Iocerannus* nutu Dei Lingonenſis Epiſcopus, cùm pro poſſibilitate mea, vnà cum fidelibus, & filiis noſtris, de negotiis & commodis Lingonenſis Eccleſiæ fideliter agendo diſponeremus, venit ad nos venerabilis Abbas Dom. *Stephanus*, humiliter & deuotè poſtulans quatenus deſerta cuiuſdam ſolitudinis in tentorio Attoarenſium iuxta flumen Ararim poſita, noſtræ tantùm Epiſcopali dominationi propriè pertinentia, Deo, & fratribus Beſuenſis Monaſterij donaremus, & ſupradictæ poſſeſſionis hæredes illos conſtitueremus. Cuius iuſtæ & rationabili petitioni citiſſimè conſentientes,

Digitized by Google

tientes, & laude & conſilio fidelium noſtrorum Lingonenſis Eccleſiæ Archidiaconorum, quicquid in villa, quæ vocatur Mentuſca, Epiſcopali iure poſſidere debemus. Eccleſiam quoque ipſam cum omnibus appenditiis ſuis, ſupradicto Abbati, & ſucceſſoribus eius in poſterum, ſaluis Eccleſiæ Lingonenſis conſuetudinibus, liberè donamus & Epiſcopali authoritate donata confirmamus. Signum *Vuilenci* Archid. Sig. *Garnerij* Archid. Sig. *Ayrardi* Archid. Sig. *Vuidonis* Archid. Huius rei teſtes ſunt Domnus *Gualo* Canonicus Regularium, *Iozaudus* Decanus Cabilon. *Guilencus* Mon. *Albericus* Mon. *Rodulfus*. Acta ſunt hæc anno ab Incar. Domini M. CXIX. 1119. Indict. XII. Epacta VII. concurrente II. Apoſtolicæ ſedis *Calixto* anno I. Pontificatum regente. *Lucdouuico* Francorum Rege. *Ioceranno* Ligonenſis Eccleſiæ Epiſcopatum gubernante, *Duranno* Notario dictante.

Item de Mentuſca.

AVdiat omnis homo, quòd *Gualo* de Ruphiaco caſtro, filius *Vlgerij* de Coloniis, & *Gualo* ſororius eius, cum *Haimone* fratre ſuo, donauerit Deo, & ſancto Petro Beſuenſis Eccleſiæ quicquid habebant, ſeu tenebant in Eccleſia de Mentuſco villa, videlicet cimiterium, & Preſbyteratum ipſius Eccleſiæ cum omnibus ad ipſum Preſbyteratum pertinentibus in manſis, & pratis, & terris, ſed etiam tertiam partem de decima eiuſdem villæ, & vſuarias conſuetudines in omnibus terris, & pratis, & ſyluis, & aquis ipſius poteſtatis. Sig. *Stephani* Abb. Sig. *Vuilenci*. Sig. *Ioannis* Monachorum. Sig. *Vualonis*, qui hoc donum fecit. Sig. *Vualonis*. Sig. *Haymonis* fratris eius. Item ſig. *Vualonis* de Vilar. Sig. *Henrici*. Sig. *Rotberti* Præpoſiti. Et de familia noſtra. Sig. *Tebaldi* hoſpitiarij. Sig. *Humberti* piſtoris, & aliorum plurimorum.

De foro Bellimontis falſo.

EX diuini paginis didicimus Teſtamenti, condemnationis æternæ maledicto debere eum ſubiici, qui Eccleſiam Dei perſequi, & contra miniſtros eius nititur altercari. Pa-

cem enim quam Angelus in Redemptoris cecinit Natiuitate hominibus bonæ voluntatis impium eſt exturbare.

Ego igitur *Hugo* Bellimontis Dominus, pœnitentiâ ductus quòd meâ Beſuenſis Cœnobij Fratres totiens vexauerim imperitiâ, animum appoſui, iam ab eorum iniuriis ceſſare, & eis amodò perenni dulcedine concordare. Ad ſopiendam ergo fori, quod eis abſtuleram, calumniam, ante Lingonenſem Epiſcopum, cui clamor ab Abbate prædicti loci factus ſuper hoc fuerat, veni, & quia pro eo, qui ſiquidem Abbatias ſui Epiſcopatus tueri ac defendere deberet, iuſtitiari, rationémque facere nolueram, rectum feci, & de cætero me emendaturum promiſi. Quadam itaque ſolemni die cùm apud Beſuam dedicaretur Eccleſia B. Remigij, ac pro tantę celebritatis deuotione innumerabiles vndecumque confluxiſſent populi, in Monaſterio BB. Apoſt. Petri & Pauli fratribus cum prædicto Pontifice quàmplurimis nobilibus, Clericis, ac Militibus, & quod eis forum ampliùs non auferrem, nec in caſtro meo, nec in tota terra mea, neque in toto poſſe meo forum venale conſtituerẽ, nec homines meæ terrę à mercato Beſuenſi prohiberem, promiſi, filiúmq; meum *Hugonem* promittere, & iurare feci. Ego ipſe *Hugo* dexteræ manus meæ iuramento firmaui, & inſuper ne ſucceſſorum aliqua redeat in futurum calumnia, Deo, & ſancto Petro, & Fratribus Beſuenſis Eccleſiæ quicquid eſt, vel erat, quod meum ius iuſtè aut iniuſtè poſſederat de hoc mercato, totum ſuper altare poſui, & ipſum mercatum dono donaui.

Ne autem alicuius longæuitatis hoc diſpereat obliuione, virorum ſubſcriptorum teſtimonio placuit hanc cartam roborare Sig. *Guillenci* Epiſcopi. Sign. *Gocelini* Archid. Sign. *Fulconis* Archid. Sign. *Garneri* Rufi Archid. Sign. *Pontij* de Riuel. Sig. *Gerardi* Abbatis. Sig. *Vuilenci* Prioris. Sig. *Rodulfi* Sacriſtæ. Sig. *Iosberti* Præpoſiti. Sig. *Albrici* de Arcione. Sig. *Tebaldi* de Ganibreris. Sig. *Rainaldi* de Granceio. Sign. *Milonis* de Poiens. Sig. *Odelrici* de Renauis. Sig. *Guidonis* Raniuel. Sig. *Oberti*. Sig. *Hugonis* Dapiferi. Sig. *Conſtantij*, *Giroardi*, & filij eius.

Digitized by Google

Carta de reditibus annuis Cantoris.

FIdeles quique aut orationibus aut donariis, ſe inuicem debent ſuſtentare, vt hi qui quietam agunt vitam, eos qui circa multa occupantur precibus iuuent & illi cum caritate ad vtilitatem ipſorum neceſſaria adminiſtrent. Neceſſe eſt enim, vt ſic tranſitoria peragant, quatinus pro his præmia æterna conſequi valeant.

Igitur Domnus Abbas *Gerardus* audiens quòd ex quo venerabilis *Ioannes* Cantor ex hac vita migrauit, monimento librorum nemo condidiſſet, inſtituit vt omni anno Cantori de vnaquaque obedientia hemina frumenti daretur, nolens, quamuis maiora vellet, aliquem grauare, quò libentiùs ditiores & pauperiores præberent aſſenſum, & futuris non eſſet oneroſum. Omnes verò obedientiarum Præpoſiti huic decreto, quod eis in remiſſionem peccatorum iniungebatur, aſſenſerunt, & libenter ſe hoc acturos promiſerunt. Sancitum eſt hoc à prædicto Abbate omnibus laudantibus, die feſtiuitatis Apoſt. Petri & Pauli, atque ſtatutum, vt à Cal. Octob. vſque in Calend. Nouemb. idem donum vnuſquiſque Cantori ſolutum habeat. Sign. *Vuilenchi* Prioris. Sign. *Vuarnerij* Præcentoris. Sig. *Rodulphi* Sacriſtæ. Sig. *Albrici* de Arcione. Sig. *Iosberti* Præpoſiti. Sig. *Bartholomæi* Subcentoris, & omnium Monachorum.

Statuit Abbas Gerardus reditus librariis impendendos.

De Haymone & filiis eius.

PRæſentibus, futuríſque fratribus noſtris clarificetur, quòd Domnus Abbas *Gerardus*, omníſque Conuentus, Haymonem & eius filios poſt obitum illius Telonearios fori eſſe conſtituit, quamdiu illud miniſterium fideliter & ſine fraude ſeruauerint. Si verò inde aliquis eorum fraudator deprehendatur, perpetuò careat prædicto miniſterio. Sign. *Vuilenchi* Prioris. Sig. *Rodulphi* Sacriſtæ. Sig. *Vuarnerij* Præcentoris. Sig. *Tigerij* Cellerarij. Sig. *Iosberti* Præpoſiti. Sig. *Otberti* famuli. Sig. *Vuillelmi*. Sig. *Hugonis* de Vlmis.

Digitized by Google

Carta de Beria.

OMnium cognitioni clarum esse volumus, quòd *Euninus* dominus de Beria, in die depositionis matris suæ dedit ipse, & vxor eius *Annilina*, Deo, & sancto Petro, ac Besuensi Ecclesiæ vnum mansum in villa Beriæ, & 5. iugera alodij, nec non etiam vnam ancillam quæ vocatur Gocia, cum tribus filiis suis; quorum hæc sunt nomina; Ogdierius, Girardus, Hugo· Alteram quoque ancillam, vocabulo Hodiernam, & medietatem cuiusdam prati: si quidem alia pars à priscis temporibus nostra esse dignoscitur. Vt verò insolubilem firmitatem præsens Carta contineat, assignamus ei testes: Sig. *Haymonis*· Sig. *Heberti*. Sig. *Vuidonis*. Sig. *Rotberti* Sig. *Humberti*. Sig. *Lamberti*. Sig. *Gunterij*. Sig. *Vuarnerij* Clerici, & Bartholomæi fratris eius. De Monachis, Sig. *Gerardi* Abb. Sig. *Vuilenchi*, *Vuarnerij*, *Iosberti*. Hanc eleemosynam in foro Besuæ laudauit *Vuido* frater Euuini, coram *Mainfredo* de Arco.

Item de quodam plastro sito in hac Besuensi villa.

FIat notum filiis Ecclesiæ, quod Ayuinus Miles, de Beria dominus, quoddam plastrum quod possidebat in villa Besua siue per ius, siue iniustè, dedit sancto Petro, & Besuensi Ecclesiæ perpetualiter, & vxor eius, & *Vuillermus* puer. Vt hæc eleemosyna firma permaneat, assignamus ei testes. Sig. *Girardi* Abb. *Vuilenchi*, *Rodulphi*. De Laïcis, Sig. *Ayuini*, *Vuidonis* de Chimisi, *Roberti*, *Ilberti* Militis de Salice, *Lamberti*, & filij eius. *Rainardi*, *Humberti* filij eius, *Gunterij*, *Ricardi*, *Henrici* filij eius, *Heinrici*, & aliorum multorum.

Carta Domni Galonis Columbæ.

OMne quod est natum tendit ad interitum, secundum Salomonem, nedum verba, quæ cùm prolata sint, iam non sunt. Idcircò hîc assignamus *Galonem* Bellimontis cognomine, dictum Columbam, habitum sanctæ religionis sus-

Digitized by Google

cipientem, ſancto Petro Beſuenſi Eccleſiæ dediſſe in villa Lentiliaco medietatem decimarum ad ſe pertinentium, de propriis ſcilicet bubus Monachorum, & manſum cum terra, & pratis pertinentibus ad ipſum, in villa ſancti Benigni Diuionenſis Caſneto, atque medietatem Molendini apud villam Perceium, ſimulque medietatem plaſtri ſiti in hac villa Beſuenſi.

Addidit etiam manſum apud Liſſeium cum terra, quæ Montis-Salionis dicitur, pertinente ad ipſum, ibidémque in pratis, paniciariis dictis, quicquid eximi poteſt à nemore in pratum. Laudante hoc & concedente Domino Montis Salionis *Odone*, Dom. Girardo Abbate, teſtibus aſſiſtentibus *Alberto* Tullenſi, & Guidone de Vircillis. Hanc donationem à prædicto Galone factam *Hugo* filius, *Haimo* frater, & vxor eius propriis manibus librum ſuper altare ponentes laudauerunt, quam roboramus teſtimonio proborum virorum: Dom. *Girardi* Abb. *Guilenci* Prioris, *Alberti* Tullenſis, *Bartholomæi*, & reliquorum Monachorum. Laïcorum, *Milonis* de Poiens, *Hugonis* de Roiſe, *Humberti* Salomonis, *Humberti* Diuitis, *Roberti* Præpoſiti, & aliorum multorum.

Carta Hugonis de Torcennaco.

MEmoriæ poſterorum litteris imprimimus, quòd *Hugo* Miles de Torcennaco, habitum Religionis ſuſcipiens, dedit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, quoddam manſum apud Roſecium, partémque ſuam nemoris Montanici, laudantibus filiis ſuis, teſtibus Roberto Capellano Montis-Salionis, & *Vuidone* Milite de Ortis, fratréque eius *Hugone* Rufo, cum aliis multis. Hugo de Torcennaco Monachũ induit.

Noſcant omnes, qui hos legerint apices, quòd *Odo* Miles de Picangiis cognomine, dictus Saxo, Monachus ad finem factus, quicquid in molendino apud villam Lucum calumniabatur, ſancto Petro conceſſit, ipſúmque molendinum fratribus ſuis laudantibus, Beſuenſi Eccleſiæ perpetuò habendum deuotè tradidit. Et ne hoc in poſterum quiſquam irritare præſumat, ſubponimus ſigna teſtium qui præſentes adfuerunt. Sig. *Gerardi* Abb. *Rodulphi* Sacriſtæ, *Hugonis* de Et Odo de Picangiis.

Digitized by Google

Bellojoco, *Zebaldi* de Geneureris. De Laïcis. Sig. *Hugonis*, *Vualterij*, *Milonis*, *Humberti* fratrum prædicti Odonis. Sig. *Roberti* Præpoſiti, *Humberti* Diuitis. *Otberti* cocci. *Giraldi* villici.

Carta Domni Aſcherij Montis-Salionis.

IDcircò eleemoſynæ fidelium litteris adnotantur, vt hi qui pòſt futuri ſunt, legendo quod non viderunt, agnoſcant, & ſi hinc aliqua fortè calumnia prauorum hominum orta fuerit, authoritate priorum reſiſtere valeant. Notificandum ergo poſteris cenſemus, quòd *Aſcherius*, quidam Miles Montis-Salionis, ad obitum veniens dedit Deo, & ſancto Petro Beſuenſi, in terra, quæ Craias dicitur, manſum quoddam ita liberè vt ipſe habebat, cum hominibus ſcilicet & pratis, cæteríſque appendiciis ſuis, duos etiam fratres, villæ Albiniaci incolas, Albricum, Stephanum, neptémque eorum Auilinam. Teſtes huius eleemoſynæ ſunt *Gerardus* Prior *Rodulphus* Sacriſta, *Heinricus*, *Garnerius* Præcentor, & *Gunterius*. De Militibus, *Hugo* & *Odo* fratres prædicti Aſcherij, *Paganus* de Buiris, aliíque quàm plurimi.

Carta Domni Vuillelmi Fontis-vennæ.

QVia præſens vita ad malum procliuis eſt, oportet vt eleemoſynis, vel operibus quiſque mala admiſſa à conſpectu Domini abſcondat, quoniam & Apoſtolus tempus redimi præcipit, eò quòd dies mali ſint. Quod *Guillelmus* Fontis-vennæ gratiâ Dei adimplens, piſcatoriam quandam cum manſo appendenti ad ipſam, piſcatorémq; Albricum nomine, cum vxore & filiis, Beſuenſi Eccleſiæ in villa Calintenſi tribuit, cum adhuc in ſæculari militia poſitus eſſet. Poſtquàm verò diuino reſpectu Monachus effectus eſt, delegauit in villa quæ Corteſours vocatur, Deo, ac ſancto Petro Beſuenſi, duos manſos cum appenditiis ſuis, duóſque homines Stephanum, & Teodericum, habitatores eorum, cum vxoribus, & filiis, omnibúſque ad ſe pertinentibus, atque omnes vſuarios fructus, quos tertias nominant, duarum villarum de Corteſour, & de Lare; excepto, quod duo fratres *Verduinus*,

Guillelmus Fontis-vennæ fit Monachus.

Digitized by

& Amalricus, villici Dom. *Girardi*, filij eiuſdem Guillelmi, pro manſo Maiorali 60. iugera retinuerunt. Hęc, vt prædictum eſt, Beſuenſi Eccleſiæ conceſſerunt Guillelmus, & Girardus filius eius, laudantibus Guido Domino Fontis vennę, cum filio ſuo *Theoderico*, & *Guidone* Domino Iouis villę.

Prętereà in die ſepulturę prędicti Guillelmi, Girardus & Guido Domini Montaniaci reliquerunt iniuſtam conſuetudinem, quam erga homines noſtros de Pauliaco habebant, decreuerúntque vt ſi aliquis eorum de aliquo homine ſancti Petri iuſtitiam pro aliquo forfacto appeteret, alter nullomodo tale ab eodem exigeret. Namanteà vterque ab vno ex vno forfacto duplex rectum exigebat. De his omnibus teſtes adhibemus, Dom. Girardum Abbatem, Guilencum Priorem, Rodulfum Sacriſtam, Garnerium Pręcentorem, Vuidricum Priorem Fontis-vennæ, Albertum Tullenſem. Item *Hugonem* de Tilecaſtro, Dominum Bellimontis, filiúmque eius *Hugonem*, *Haymonem* de Tilecaſtro, Hugonem de Bellojoco, *Milonem* de Poiens, *Odonem* de Domna Petra. *Vuidricum* de Monz. *Vlgerium* de Burgo. *Vualterium*, *Odilonem* Prępoſitum Calintenſis, *Otbertum* Coccum, *Hugonem* Dapiferum, fratréſque pręmemoratos *Nerduinum & Amalrinum.*

Carta Milonis cognomento Pautenerij.

SEcundum Prophetam monentem: diſſolue obligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, *Milo* Tilecaſtri Miles dictus, agnomine Gyrouagus, Humberti Vetulæ filium, vxorem ſcilicet Odonis Maleth, filij Eurardi Diuionenſis, Oddilinam vocatam, ſeruitute, & famulatu ſuo, & progenitorum ſuorum abſoluit, & ſuper altare ſancti Petri liberam proclamans poſuit, audientibus, videntibus, & laudantibus ſuis fratribus Humberto, & Vuillemo Desfoſſe, & filiis ſuis. Hanc donationem confirmamus ſubſcriptis teſtibus; Girardo Abbate Beſuenſi, *Guilenco* Priore, *Roberto* Præpoſito, *Otberto* Cocco, *Girardo* filio Aidulfi, *Drogone* filio Gerberti, *Hugone* de Vlons, *Lamberto* Falſart, Aldone, & *Odone* fratribus de Fontanis, aliiſque multis.

Mos antiquus à ſeruí manumittendi. ciendi.

Digitized by Google

De Dominico Malner.

MEmoriali digno his litteris adnotamus, *Rodulfum* Militem S. Michaëlis, quicquid ſuper *Dominicum* Malegrinum, quem ſicuti ſeruum ab anteceſſoribus iuſtè vel iniuſtè habuerat ac poſſederat, ſancto Petro Beſuenſi donaſſe, & ſuper altare poſuiſſe, teſtibus aſſiſtentibus multis, *Girardo* Abb. *Henrico*, *Lebaldo*, *Richardo*, *Hugone* Monachis: Laïcorum verò affuerunt Milites, Vuido Rauines, maritus ſororis datoris, *Euuinus* de Excelſo, *Vualterius* Malſualez Granciaci, *Odo* de Furno: familiæ noſtræ, *Humbertus* Salomon, Guillielmus, Petrus Pauliaci, *Petrus* etiam & *Robertus* de Monte-Salionis.

De Orceualis.

SCiant omnes tam præſentes, quàm futuri quòd *Nerduinus* dominus Aſperimontis, & *Hugo* filius eius Miles, & *Galo* de Vuiller, & *Haymo* filius eius, pro animabus ſuis, & anteceſſorum ſuorum, tradiderunt Deo, & ſancto Petro, ac Beſuenſi Eccleſiæ, in loco qui Orceuallis dicitur, 40. iugera terræ. Huic dono aſſignamus teſtes: Sig. *Hugonis* Francigenæ. Sig. *Rodulfi* de Renauis, *Hugonis* Conitenſis, Euuini Spinelli.

De vxore Theoderici Carpentarij.

FIrmiter retineat quiſquis has legerit litteras, quòd *Mainfredus* de Arco vxorem Theoderici cum liberis ſuis, Deo, ſanctóque Petro Beſuenſi pro anima ſua conceſſit, ipſíque Mainfredo Domnus Abbas Stephanus ob hanc cauſam, immò magis gratiâ amicitiæ, 20. ſolidos dedit. Sed quoniam mens humana ſæpe à bono deuiat, idem Mainfredus poſt obitum Theoderici cùm coram Domino Beſuenſi Abbate de hac re quaſi non gratis vel liberè filios eius dediſſet, queritando placitaret, commotus ratione, eos ſe liberè conceſſiſſe recognouit, atque eandem eleemoſynam confirmans, denuò liberrimè huic Eccleſiæ perpetuò contulit, & vxori ſuæ ac filiis laudari fecit. Abbas verò *Girardus* ob pacem

Digitized by

cem vel memoriam huius pacti, dedit ei decem ſolidos, & Humberto de Baleneua duos. Huic Cartę teſtes idoneos, qui adfuerunt, ſubponimus: Sig. *Girardi* Abb. *Guilenci* Prioris, *Heinrici*, *Albrici*, *Lebaldi*. Sig. *Hugonis* Bellimontis, & *Hugonis* filij eius, Guidonis Præpoſiti S. Iuliani, *Humberti* villici de Baleneua, *Valeth*, *Oberti* cocci, *Girardi* villici.

De villa quæ dicitur Treſcaſe.

PRæſentium ac futurorum memoriæ clareſcat, quòd *Hugo* villicus de Baleneua, & filij eius Humbertus, Ioannes, Petrus, terram ſancti Petri apud Treſcaſas, quam per multos annos calumniati fuerant, reddiderunt in pace ſancto Petro & Beſuenſi Eccleſiæ, atque ſe peccaſſe quòd eam inuaſerant, cognoſcentes, abſolutionem delicti ſui à Domno Girardo Abbate, & omnibus fratribus, in Capitulo petierunt, & acceperunt. De hoc facto aſſignamus teſtes, Girardum Abbatem, *Guilenchum* Priorem, Albricum, & reliquos Capituli. *Mainfredum* etiam de Arco, *Guidonem* Præpoſitum S. Iuliani, *Valeth* de Baleneua, & Otbertum.

De Villa S. Sequani.

QVoniam facta præcedentia per litterarum adnotationem cognouimus, placuit & nobis ſcribendo poſteris relinquere, vt inuiolabile in æternum permaneat, quòd *Ioſfredus* Bellimontis Dominus cum Gertrude vxore ſua, pro ſalute animarum ſuarum, ſancto Petro, & Abb. & Monachis Beſuenſibus villam quandam, quæ vocatur ſanctus Sequanus in Baaſcha, ſicut ipſi eam liberè tenebant, conceſſerunt; Laudante Hugone filio, & nepote Iofredo, agnomine Martello, omnibuſque qui hoc donum in poſtremo perturbare videbantur.

Contigit autem inſtigante diabolo, vt ſucceſſor Martellus poſt mortem prædictorum anteceſſorum ſuorum, violari non erubeſceret, quod priùs laudauerat, videlicet vt iuſtitiam & latrocinium in prædicta villa clamaret. Poſteà verò animante Domino qui Eccleſiam ſuam eleemoſynis priuari

ſorúmque meorum, Deo, & ſancto Petro Beſuenſi, Abbatique *Gerardo*, Monachíſque Beſuenſibus in Parrochia ſancti Martini Deo ſeruire volentibus, dono conceſſi quicquid Domnus Remigius eiuſdem loci Preſbyter, in Eccleſiis, in agris, in pratis, in ſyluis, in domibus, & vniuerſis humanæ vitæ vſibus, tenebat; & inſuper quicquid vadimoniorum quæ prædictis Monachis, aut iam dederit, aut in futurum dare voluerit, poſſidebat.

Placuit etiam huic dono annectere, quòd homines, qui apud ſanctum Martinum hoſpitati erunt, & circa Monachos habitabunt, in terris caſtri Belmontenſis, omne vſuarium liberè habeant in ſyluis, in pratis, in paſcuis, & in omnibus, quibus viuunt homines vſibus, ita ſcilicet quòd ſi homines damnum neſcienter fecerint, damnum ſine lege reddant: Monachi verò quoquomodo aut ipſi, aut ſui famuli ſcienter, vel neſcienter damnum fecerint, damnum ſine lege prorſus reſtituant. Piſcarium etiam ipſis donaui à Belmonte deſuper, vbi, vel quando, vel quomodò eis placuerit piſcari: ſubtus verò Belmontem pede tenus piſcari tantùm conceſſi. Quod donum ne quâ tegatur obliuionis nebulâ, placuit litteris commendare, adprobatorúmque qui ad fuerunt virorum teſtimonio roborare. Sign. *Girardi* Abb. Sign. *Richardi* de Vircillis. Sign. *Lebaldi* de Geneureris, *Iosberti* Præpoſiti, *Henrici* Capellani, *Humberti* negotiatoris, *Petrus* Rufus, *Ioannes* famulus. *Chriſtianus*, *Hugo* Bellimontis Dominus, *Hugo* filius eius. Remigius Preſ. *Milo* de Poiens, *Hugo* de Aces, *Eurardus* de Rolens, *Fredericus* de Campaneio, *Vuido* de Renauis. *Rodulfus* filius Odolrici, *Erbertus* Capicium. Acta ſunt hæc anno ab Incar. Domini M. CXXXIV. Indict. XII. Epact. XXIII. Concur. VII. 1134.

De atrio S. Martini.

OMnium hominum eſt, qui nominis cenſentur vocabulo Chriſtiani, in lege Domini die ac nocte iugiter meditari. Lex enim Domini irreprehenſibilis, cùm conuertat animas, & teſtimonium ſit fidele, ſapientiam præſtat paruulis. Ego igitur *Haymo* de Tiricaſtro paruulus ſcientiâ, multo-

rumque malorum quæ egeram oneratus insipientiâ, cùm ante meum obitum longâ depressus fuissem ægritudine, ad meipsum rediens, & insuper cogitans quòd ante Deum nullum ferrem manipulum iustitiæ, pro remedio animæ meę, parentúmque meorum, Deo, & sancto Petro, & Monachis Besuensis cœnobij, atrium sancti Martini de Luco concessi, & quicquid ibidem iustè vel iniustè possederam totum eis dimisi. Testes adfuerunt *Ricardus* Capellanus, *Petrus* Capellanus eiusdem Ricardi, *Hugo* de Conulent, *Ioannes* Clericus, *Thebaldus* de Casoto, *Vuido* Talanat.

Ratum habet Agnes Aymonis donum.

Ego *Agnes* vxor Domni Haymonis de Tiricastel, cùm ipse *Haymo* maritus meus in paradiso sancti Florentij fuisset tumulatus, assistentibus Clericis, parentibus, & amicis, cùm in simul in claustrum regressi fuissemus, & cùm de eleemosyna eius tractaremus, visum nobis est esse bonum, vt donum quod Domnus Haymo fecerat Ecclesiæ Besuensi de atrio S. Martini de Luco cum liberis meis facerem, & coram eis bonis, ac pluribus viris qui adfuerunt, illud confirmarem. Dedi igitur & confirmaui donum quod fecerat, atrium videlicet sancti Martini de Luco Monachis Besuensibus, quietum, & cum omni libertate & pace pro anima mariti mei in æternum possidendum. Quod ne deleatur aut obliuioni tradatur temporum interuallo, virorum subscriptorum roboramus testimonio. *Petrus* Abbas sancti Stephani Diuionensis, *Tebaldus* Decanus, *Ricardus* Presbyter, *Dominicus* Prior sancti Florentij. *Bonet* de Mare, *Ioannes* Clericus, *Petrus* Capellanus, *Haymo* de Nimie, *Vuido* de Saut, *Nocherus*, *Vuido* Talanat, *Thebaldus* de Casoto, *Vallerus*, *Rollannus*, *Vuido*, Marescallus, Malueslot, *Tebaldus* Excotex, *Robertus* filius eius. Hoc factum est & recognitum, quòd donum quod fecerant de atrio, non ideò fecerant, quòd atrium suum esset, sed ideò quia in atrio, quod sancti Petri erat rapiebant, & ablationes faciebant, & ea quæ iure vel rectitudine in ipso atrio non habebant, iniuriâ, & violentiâ rapiebant.

Digitized by Google

De Montigniaco.

CVm tranſeant cuncta, & ea quæ in hoc mundo ſunt, nunquam in eodem ſtatu ſint diu permanentia, litteris adnotamus, quòd *Rodulphus*, & *Milo* frater eius, qui ſuo agnomine dicti ſunt Bigornenſes, pro animabus fratrum ſuorum Guidonis, & Rogerij, & pro animabus patris, & matris ſuæ, anteceſſorúmque ſuorum remedio, Deo, & ſancto Petro, & Monachis Beſuenſis Eccleſiæ dederunt duos manſos apud Montiniacum, vnum manſum qui dicitur manſus Odonis Euruini, & alterum, qui dicitur manſus Vuidonis Malæ filiæ. Hoc donum apud Beſuam fecerunt in Paraſceue, id eſt, in die Paſſionis Domini, tenentes ambo librum, per quem hanc donationem in præſentia Domni Abbatis *Giraldi* ſuper altare poſuerunt. Sign. ipſius Abbatis *Gir.rdi*, ſign. *Vuidrici* Prioris Fontis-vennæ. Sig. *Albrici* de Arcione. Sig. *Alberti* de Tullo. Sig. *Girberti* de Algeriaco. Sig. Ioannis Preſbyteri de Beſua.

De Domna-Petra.

PAtet quòd genus humanum, ad finem ſemper defluat, cùm profectò honor & potentia hominis labatur, decórque iuuentutis citò marcens euaneſcat. Quapropter neceſſe eſt, vt homo eleemoſynarum remedia quærat, quoniam eleemoſyna faciem Domini placat, & miſericordiam impetrat. Ne verò dona fidelium obliuioni tradantur, litteris ea intimare debemus. Igitur tempore quo à Domno *Vuilenco* Lingonenſi Epiſcopo Eccleſia ſancti Martini ſancto Petro Beſuenſi data eſt, Preſbyteratum Eccleſię de Domna Petra, idem Epiſcopus nobis conceſſerat; ſed hunc *Humbertus* de Liſſey, & filij eius, qui tunc in eorum dominio erat, calumniabantur, víque illum retinebant. *Theoderico* autem filio prædicti Humberti vita decedente, fratres ipſius Teoderici, *Vuido* ſcilicet cum tribus aliis, patre eorum laudante, ipſum Preſbyteratum, & atrium Eccleſiæ ſancto Petro Beſuenſi liberè tradiderunt, iuſtitias tantùm atrij retinentes. Ita ſanè vt ſi homo ſancti Petri in eodem atrio, aliquod forfa-

ctum fecerit, clamatio ad Abbatem Beſuenſem fiat, rectúmque faciens non ampliùs, quàm quod viuens lex eius fuerit, ſoluat.

Dederunt etiam 4. falces prati in ſuo broulo ſancti Sequani, & hominem Abbricum nomine cum vxore & filiis, ſuiſque tenimentis, ſororemque eius vxorem cuiuſdam *Elluini*. Addiderunt & tertiam partem tertiarum de Blaniaco, & alodium, & omnia, quæ illic habebant excepto manſo cuiuſdam Vualterij, cum appenditiis ſuis. Hanc ergo eleemoſynam fratres ſupradicti defuncti *Vuido*, & *Humbertus* proremedio animæ eius S. Petro & Beſuenſi Eccleſiæ per impoſitionem libri ſuper altare confirmauerunt, teſtibus coram adſtantibus, quos hîc aſſignabimus. Sig. *Gerardi* Abb. Sign. *Rodulphi* Prioris, *Heinrici*, *Alberti*, *Richardi*, *Anſirici*, *Barthomæi*, *Ricardi*. De Militibus. Sig. *Hugonis* Bellimontis, & filiorum eius *Hugonis*, & *Ioffredi*, *Ottonis* de Miribel, *Hugonis* Aſperimontis, Euuini de Aces, Milonis de Poiens, *Haimonis* Columbæ. Vlrici de Renauis, & filij eius Milonis.

De Mentuſto.

COnſtat multimoda varietate, mundi negotia prætergredi, ideóque neceſſe eſt quæ memoriæ digna ſunt ſcriptis adnotari. Notificamus ergo poſteris quòd *Galo* de Roſei pro anima vxoris ſuæ, *Annilina* nomine, & animabus anteceſſorum ſuorum, dedit ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ minutas decimas villæ, quæ Mentuſca dicitur, omnéſque decimas de villa Cincei, liberè vt poſſederat. Accidit autem vt poſteà ſubripiente auaritiâ donum quod fecerat calumniaretur. De qua re Monachus, qui præerat Mentuſchæ cum eo locutionem habuit, in qua idem *Galo* ſe erraſſe cognoſcens, deuotè prædictam eleemoſynam Eccleſiæ Beſuenſi in pace habendam conceſſit. Sig. *Ricardi* Monachi de Mentuſcha, Anſelmi ſocij eius. Sig. *Vlgerij* Monachi, filij Galonis, qui donum fecit. Sig. *Richardi* Præpoſiti. Item Sig. *Hugonis*, & *Vuillelmi* filij prædicti Galonis. Sig. *Notberti* Capellani. *Ricardi* Conuerſi Molimenſis. Sig. *Vuidonis*, & Lemenfredi, & aliorum multorum.

Digitized by

De Cuſiaco.

FIdelium eleemoſynas recenſere dignum eſt, qui iuxta quod Dominus præcipit, in cœlo ſibi theſauriſare ſtudent. Omnibus ergo ſcire volentibus clarum fiat, quòd *Milo* de Fontanis, *Haymone* fratre ſuo defuncto pro anima eius dedit ipſe & mater ſua, *Petronilla* nomine, ſancto Petro Beſuenſis Eccleſiæ manſum vnum apud Cuſiacum cum appenditiis ſuis, hominémque nomine Benignum cum vxore ac familia. Habebamus autem ex eiſdem apud Fontanellas tria iugera terræ, cum quibus alia tria liberè ſicut poſſederant, nobis dederunt; & etiam miniſter illius terræ miniſtrationem ſuam Eccleſiæ Beſuenſi reliquit. Dederunt quoque apud Fontanas 5. ſolidos ſingulis annis in vigilia Omnium Sanctorum ad refectionem fratrum. Hæc ſupradictus Milo cum matre ſua Petronilla deuotè ſancto Petro Beſuenſi contulit, *Euuino* cum cæteris fratribus, & *Gibuino* ſororio eius, cum vxore laudantibus. Sig. *Girardi* Abbatis, *Rodulfi* Prioris, *Vuidrici* Prioris Fontis vennæ, *Ricardi* Præpoſiti, *Bartholomæi*, *Richardi*, *Pontij*, *Vuidrici* Preſbyteri. De Laïcis, Sig. *Theoderici*, *Vuidrici*, & *Humberti* fratrum, *Lebaldi*, & *Hugonis*.

De Colongis.

IN nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Gothefredus* Dei gratiâ Lingonenſium Epiſcopus humilis. Omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis in perpetuum. Notum facimus, tam præſentium ætati quàm futuræ poſteritati, Domnũ *Gerardum* Beſuenſem, eiuſdemq; loci Monachos, decimam partem alodij, quam habebant in Colongiis, & omnem parrochiam & ad ipſam pertinentia, per manum noſtram ſanctimonialibus de Colongiis dediſſe, & conceſſiſſe. Ita tamen quòd ſingulis annis ab ipſis ſanctimonialibus Abbas Beſuenſis Eccleſiæ ſex libras de cera vſque ad octauas Natalis Domini pro alodio, & parrochia haberet. Conceſſit etiam idem conſentiente ſuo Capitulo ſanctimonialibus de Colongiis decimam eiuſdem loci, quam quidam homines ſibi vſurpa-

uerant. Pro qua decima mulieres ibidem Deo deuotæ reddant eis octo minas bladi per medium annuatim.

De Liſſeiaco.

LItterarum memoriæ tradere cenſemus, quòd *Rotbertus* Billeiaci, Hieruſalem ire diſponens, omnem terram alodij, quam habebat Liſſeiaco, dedit ſancto Petro, ac Beſuenſi Eccleſiæ, hominémque Bernardum nomine, cum vxore & filiis: eo pacto, vt ſi gratiâ Dei rediret Hieroſolymis, & de ſe ipſo vel de fratre ſuo, ſeu de aliquo filiorum ac nepotum ſuorum, Monachum facere vellet, libenter ſuſciperetur. Hoc etiam Petro fratri ſuo fecit laudare coram Comite Guillelmo, multíſque Militibus, Malleiaco. Quapropter Domnus Abbas *Gerardus* dedit ei 70. ſolidos. Huic Cartæ idoneos teſtes aſſignamus, *Guillelmum* Comitem, *Martellum* de Malleiaco, *Vuidonem* Troſellum, *Haymonem* Columbam. Sig. *Girardi* Abb. Sig. *Ricardi* Præpoſiti, *Alberti*, *Pontij*, *Girberti*.

De Perciaco magno.

GRatiâ ſacri Flaminis tactus *Guido* de Perciaco, ſeminare ſtuduit in benedictione, vt meteret benedictionem. Dedit námque in vita ſua, Deo, & ſancto Petro Beſuenſi, cuncta alodia ſua, quæ apud Perciacum maiorem, ac minorem, & apud Noidant, & etiam vbicumque habebat tam in manſis, quàm in pratis, & campis, & terris ac ſyluis, cum quodam molendino interpoſito. Rogauit etiam vt ſi quando Monachus effici vellet, in eodem Monaſterio reciperetur; quod actore Deo ad finem conſequi meruit. Huic cartæ ſubſcribimus idoneos teſtes qui prædictam eleemoſynam coram Altare ſancti Petri laudando confirmauerunt: *Equinum* de Beria, *Guidonem* Taleuar, cum vxoribus eorum, ſororibus ſupradicti *Vuidonis* de Perciaco, Paganum Buſun, Erluinum, Ioannem Clericum, Hugonem falſarium. Sig. *Gerardi* Abb. *Rodulfi* Sacriſtæ, *Ricardi* Præpoſiti.

Carta

Carta Brutini Presbyteri.

OMnibus filiis Eccleſiæ perpateſcat, quòd Domnus Abbas *Gerardus* tali pacto Preſbyteratum Eccleſiæ ſancti Remigij Teoderico Preſbytero, cognomento Brutino, dedit, vt quandiu res Eccleſiæ fideliter ad profectum Monachorum tractaret, eandem Eccleſiam voluntate fratrum haberet. Sin verò bona fratrum adimere, aut eos inhonorare probaretur, niſi ad eorum voluntatem emendaret, ipſam Eccleſiam amitteret. Teſtes huius rei deſignamus, *Humbertum* Diuitem, & Garnerium fratrem eius. Gerandum & Bernonem. Symonem & Galterium ſororios eiuſdem Preſb. *Ioannem* quoque fratrem eius qui etiam ipſo die matricularíam Eccleſiæ reliquit. Hi omnes in Capitulo cum fidei ſacramento in manu Dom. Gerardi Abbatis in re prædicta ſe fideles erga Monachos, damna eorum reſtituendo, fore promiſerunt.

De ſancto Benigno.

NOtificamus his litteris, quòd *Haymo* Preſbyter villæ ſancti Benigni, cùm magis quàm ius erat, aut prædeceſſores eius acceperant in decimis eiuſdem villæ vellet accipere, cum Garnerio, qui tunc eidem loco præerat, coram Domno Gerardo Abbate venit, ſtatutúmque eſt, vt quartam partem ſolummodò de decimis frumenti, & auenę acciperet. Porro media pars Baptiſterij, mediáque pars * ſperarum eidem Preſbytero conceſſa eſt, quatinus Monacho fidelis exiſteret. Hæc idem Preſbyter laudauit, & ſpopondit nil vltrà quàm ſui iuris eſſet accipere: Dom. Gerardo Abbate, Garnerio Priore ſancti Benigni, Ricardo Præpoſito, & Poncio, cæteríſque nonnullis præſentibus.

* *f.* *Hic intelligitur*, fortuitus caſus, *vnde Gall.* le Caſuel.

De Furt.

QVæ à fidelibus Eccleſiæ Chriſti donantur, litteris tradi neceſſe conſtat, ne quod deuotio Deo parat, auaritiæ cupido ſubtrahat. Pateatitaque quòd *Róbertus* de Villa, quæ

Digitized by Google

Furt vocatur, ad Monachatum veniens, dedit ſancto Petro Beſuenſi pratum, quod in eadem villa poſſederat, eo pacto, vt 10. ſolidis, quibus in vadimonio erat, redimeretur. Dedit quoque quartam partem Molendini, mediamque paſturam eiuſdem villæ & 2. manſos cum appenditiis ſuis iuxta fontem villæ Lentiliaci. Hoc donum vxor eius laudauit cum filio ſuo Hugone, & filia Boillot vocata, teſtibus *Matthæo* Monacho Lentiliaci, *Ricardo*, *Roberto*. De Laïcis, *Bernone*, *Humberto* Diuite, *Rodulfo*, *Guillelmo* famulo. Accidit autem vt Hugo de Furt, prædicti Roberti filius, hanc eleemoſynam, quam laudauerat calumniaretur; pro qua re cùm à Monacho qui Lentiliaci præerat, argueretur, tandem ratione conſtrictus ſuper altare ſancti Petri hoc idem donum per impoſitionem libri obtulit, nec vnquam deinceps calumniari ſpopondit. Sig. *Matthæi* Lentiliaci. Sig *Ricardi*, *Pontij*, *Bartholomæi*, *Girardi*. De Laïcis, Sig. *Humberti* Diuitis, *Bernonis*, *Petri* Pauliaci, *Ioannis* Cocci.

De Seruis manumiſſis.

OMnibus in Chriſto fidelibus manifeſtum iri volumus, quòd *Seuerinus* de Fauerniaco, & Guiardus frater eius, Domno *Girardo* Beſuenſis Eccleſiæ Abbati, Petrum de ſancto Apollinari, ac fratrem eius, omnéſque eorum hæredes, ſimúlque Sacerdotis Belenauię filios, & nepotes illius, quos omnes diu calumniati fuerant, liberos & ſolutos manu miſerunt, excepto ex præfati ſacerdotis filiis, qui eis ſeruiebat, quem ad ſeruiendum ſibi retinuerunt. Hanc verò prædictam manumiſſionem tam pro ſalute ſua, quàm pro animarum parentum ſuorum remedio, & etiam pro eo quòd eorum frater nomine Petrus in Eccleſia ſupradicta iam erat factus Monachus, facere decreuerunt. Huius rei teſtes ſunt de parte illorum, *Humbertus* de Vuchei, *Stephanus* Fauneiaci Præpoſitus, *Meifridus* de Arcu. De parte verò Abbatis, *Narduinus* de Aſpero-monte, & *Pontius* de Syluenneiaco Monachi, *Humbertus* de Gillens, qui eo tempore Arcioni manebat, *Humbertus* quoq; Belenauiæ villicus, & *Vaſſo* de eadem villa. Hoc autem factum eſt in campis illius villæ, quæ Arcus dici-

Digitized by Google

tur, ante Canonicorum horreum, in loco qui vulgo Corbiton nuncupatur, die quadam Dominicâ in qua feſtum ſanctæ Crucis celebratur.

De Callentenſi villa.

IN nomine Domini, Amen. Nomen maiorum noſtrorum ac ſanctorum aliorum authoritas Chirographa beneficiorum noſtrorum Eccleſiaſticorum, redituúmque inſtitutorum priuilegia ſcripta in vſibus noſtris ad præteritorum memoriam reuocandam habere nos inſtituit, ſuorúmque inſtitutorum quamplurima nobis exempla reliquerit omnia beneficia à nobilibus fidelibus noſtris, vel innobilibus Clericis, vel Laïcis, pro Chriſti nomine nobis collata memoriæ ſanctæ ſcriptis commendare conſueuimus, vt oſtenſis beneficiorum noſtrorum frequentiſſimè ſcedulis, benefactorum noſtrorum animarum in orationibus frequens memoria habeatur: illáque beneficia memoriâ teneantur, ne pro deleta eorũ memoria importunus error ſequatur. Non ergo inter alia pleraque beneficia noſtra, vnum ſpeciale, & magnum beneficium à Burgundiorum Conſule *Renaldo* nobis illatum, operæ pretium ſub ſilentio occulere non exiſtimauimus, tum quia res tanta intitulatione eſt digna, tum quia à tanta, & tam digna perſona eſt acta.

Omnibus itaque Catholicis notificare hac præſenti ſcriptura ſatagimus, quòd Renaldus Comes potiſſimus, Deo, & ſancto Petro eius Apoſtolo, Beſuenſis Baſilicæ Patrono, ſanctóque Dei Martyri Chriſtophoro, Canlentenſis Cellę noſtræ aduocato inſtinctu diuino nulla coactus offenſa, ſed voluntate pia, & bona, liberè, & abſolutè donauit, quicquid de feodo ſuo vnuſquiſque de eadem villa tam nobilis, quàm ignobilis, Clericus, vel Laïcus, pro ſe, vel prædeceſſorum ſuorum animarum requie, prædictę cellę noſtræ Fratribus dederat, vel daturus fuerat, dum tantummodò ex hoc totum feodum ſuum ipſe non omittat, aſſumptâ huius rei occaſione, ex hoc quod *Odo* Præpoſitus ſuus tyrannide ſua, ſeptem Marcas argenti hominibus de Noua-villa abſtulerat, quas ipſe Dom. Girardo Abbati, ſtatim vt iniuriam præſen-

ſit redditurum ſe firmiter edixit. Huius etiam redditionis fide iuſſores Domnum *Hugonem* de Belloioco; & Dom. *Girardum* de Strabona, nec non Othonem de Durnecto, & *Humbertum* de Trimolario prædicto Abbati dedit. Quo toto beneficio definito, Eccleſiam ſancti Dei & Martyris Chriſtophori, ſe comitantibus multis, feſtinus intrauit, ac ibi ante altare flexo poplite coram omnibus adſtantibus, de iniuria ſupradicta, manu etiã ſuper ipſum altare impoſita, Deo, ac S. Chriſtophoro, & Abbati Girardo fecit rectum. Et hoc faciendo, quod nullum ius, nullamque calumniam eiuſdem iniuriæ in ſupradicta hominibus faciendæ, habuiſſet, recognouit.

Hoc autem factum eſt die quadam Dominica diluculo cum etiam diuina Miſſa in ſupradicta Eccleſia celebraretur. Quâ die etiam ad colloquium contra Epiſcopum Lingonenſem proficiſcebatur. Huius rei teſtes ſunt quatuor ſupradicti argenti fidei iuſſores: Hugo videlicet de Belloioco, *Gerardus* de Strabona, *Otho* de Durneto. Et Humbertus e Trimolario, & *Odo* ſuus Præpoſitus, & Guillermus Syluestris, *Odo* Albus, & Hugo frater eius. Iſti de parte Conſulis. De parte Abbatis Guirricus Prior de Fonte vennæ, Gothefridus Prior Canlentenſis, Poncius de Siluenneiaco. In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Donaria Hugonis de Bellomonte.

OVi decreta decreuerunt, ex decretis hoc ſanxerunt, quòd ſcriptura notaretur, quicquid iam definiretur, aut ſigillis inſignirent quicquid omnes ſtabilirent, ne periret vetuſtate, vel dierum quantitate, hoc maiores ſtatuerunt, & ſtatutum reliquerunt. Tales vſus antiquorum cura ſeruat modernorum; ſua námque per ſcripturas inſtituta vel figuras, ſemper ſolent deſignare, vel ſignando demonſtrare. Sed cùm talis vigens vſus apud omnes ſit diffuſus, nos ſequentes vſuale, donum quoddam ſpeciale, donum dico tale, magnum vel memoriale dignum ſatis annotari ſcriptis, & adſtipulari diligenter ſtudeamus, vt perfectè deſcribamus. Ergo cunctis innoteſcat, nec ab vllis euaneſcat. Noſcat omnis litteratus ſimul & illiteratus, quòd *Hugo* de Bellomonte donauit de

Digitized by Google

ſua ſponte, corde bonę voluntatis, & affectu pietatis, Deo ſimul, & fratribus in Chriſto confidelibus Beſuenſis Eccleſiæ, pro defunctorum requie, pro ſe, & *Ioffredo* filio, pro parentum remedio tam pro cunctis fidelibus, quàm pro ſuis hæredibus, inter primam coloniam, vel ſi mauis coæueiam, ſimul & quandam terrulam, dictam vulgo Rupeculam, bis binis prati falcibus accumulata grandibus. Hæc ſupradictis fratribus donauit Beſuenſ. qui deſeruirent ſedulè S. Martini Cellulæ. Hæc ſunt in territorio Bellimontis ſub prædio. Hęc præter per iniuriam ſuámque violentiam quendam factâ calumniâ malè fugarat patria, & ſine rectitudine, Carbonem dictum nomine, qui iuxta dictam cellulam conſtruxerat domunculam, ſeruire volens Fratribus inibi famulantibus, quem mox liberum credidit, & abſolutum reddidit. Ad hæc totam iuſtitiam ſuam dedit, per gratiam, de Boiens, rebus omnibus ſimul dictis & actibus. Poſt hæc ſibi collibuit, quòd ſaluimentum tribuit de Cauennei prædio, quod tenebat in proprio. Poſtremò quærimoniam de Blegne vel calumniam iuſtam, vel non expoſuit, ita quod nil retinuit. Rurſus vnam filiolam, quam dominutrit paruulam, dę concubina genuit, quod ſancta lex prohibuit. Hanc quidam ſibi garcio legali matrimonio quęrebat ſemper iungere, tali decreto fœdere quòd Hugonis præſidio, de Beſuano prædio ſibi foret redditio, pręfecturæ vel ratio, de qua fecit calumniam nec iuſtam querimoniam. Sed quicquid ſic diſpoſuit, garcio non obtinuit. *Hugo* námque ſupplicibus Monachorum clamoribus, & dare natam renuit, & opem ferre noluit. Hæc prædicta donaria facta ſunt in Eccleſia Beſuenſis Cœnobij ſuper gradus altaris, per textum Euangelicum. Nota res eſt in publicum. Quod Pater fecit, filius *Hugo* geſſit libentiùs.

De Bellanaua.

CAtholica mater Eccleſia gaudens de ſuorum profectibus filiorum & męrens pro defectibus, quos patitur à priuignis inſurgentibus, loco filiorum Dauidica voce proclamat, dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Et per Iſaiam: *filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem contemnentes ſpreuerunt me.* *pſ.* 34. 12. *Iſa.* 1.

de quibus profectò extitit quidam *Robertus* natus ex ſeruis & ancillis huius Beſuenſis Eccleſiæ, & exaltatus ab ea miniſterio præpoſituræ, ſæpe numero ipſam exaltatricẽ plagis, placitis, rapinis, incendiis deuaſtauit. Poſt modùm itaque reſpectu clementiæ Dei de tantis malis pœnitens, & nullo alio modo ſe poſſe ſaluari credens, miniſterium ipſum, id eſt præpoſituram, cum omnibus pertinentibus ad ipſam, reliquit Eccleſiæ Beſuenſi, & conceſſit in præſentia Domni Stephani Abbatis, & aliorum multorum, quorum hæc ſunt nomina: *Rodulfus*, & *Vigerius* Monachi, *Obertus* Cocus *Hugo* Dapifer, *Berno*. Die verò depoſitionis vxoris ſuæ, idem donum iterando confirmauit in Capitulo noſtro. Hanc donationem multis diebus in pace, & quietè & ſine calumnia tenuit Eccleſia donec quadam die *Humbertus* de Baleneua adiens Abbatem *Girardum*, proclamauit eundem Robertum eiuſdem præpoſiturę, ſe ſuóſque fratres hæredes ſtatuiſſe.

Vnde Robertus nimiùm exacerbatus, & iſtud viriliter abnegans, proteſtatus eſt ſe quondã in captione poſitum fuiſſe, & ſi in illa captione moreretur, ius ſuæ præpoſituræ eis dediſſe. Quid plura? Duellũ inde firmauerunt, ſed ſtatuto die pugnæ Roberto conuenienter adſtante, Humbertus & ſui non aduenerunt, neque contra mandauerunt. Sic iſta ſopita calumnia, poſt dies aliquot ſupradictus Robertus Monachatum expetiit, accepit, eandemque conceſſionem & donum quod fecerat, & iterauerat reiterans, totius capituli noſtri teſtimonio roborari fecit. Eo autem viam vniuerſę carnis ingreſſo, inſurrexerunt contra nos colloquentes pro ipſa præfectura, videlicet fratres de Baleneua, Humbertus, Petrus, & Ioannes: Præpoſitus etiam de ſancto Iuliano, cum nepotibus, quorum cauſa in curia Ducis Hugonis per manum ipſius, & vxoris eius, & optimatum Curiæ ita terminata eſt. Nam victi ratione & donorum largitione, quicquid iuſtè, vel iniuſtè, vel parentelâ, vel dono alicuius in præfectura proclamabant, totum abnegauerunt & deuouerunt, fide data, contra omne genus ſuum & contrà omnes homines guarantiã portaturos. Hoc adſignamus vidiſſe, & audiſſe *Hugonem* Ducem Burgundię, & vxorem eius, *Vuidricum* Beſuenſem Abbatem, *Petrum* Abbatem Diuionenſem, Guidonem Priorem, *Ver-*

Digitized by Google

duinum de Asperomonte, *Pontium* de Siluiniaco, *Humbertum* de Virzeiaco, Monachos Besuenses.

Vricus verò de Renauis, & filij sui, nacta occasione quod *Haimo* frater Roberti defuncti filiam ipsius Vrrici vxorem duxerat, contra nos insurrexerunt calumniantes eandem præposituram, sed resipiscentes ipsam cum omnibus pertinentibus suis abnegantes abiurauerunt. Ipse quoq; *Vrricus* & filij sui, *Rodulfus*, *Milo*, *Vuido*, & *Hugo*, & filia, pro qua clamabant, annuerunt, & laudauerunt Ecclesiæ Besuensi quietè & liberrimè in perpetuum possidendam. Quod roboramus testimonio proborum virorum, Domni *Guidrici* Abb. *Rodulfi* Prioris, *Alberti* Tullensis, *Nerduini* de Asperomonte, *Pontij* de Siluiniaco & reliquorum: Militum verò, *Euuini* Dalcelz, *Haymonis* Columbæ. *Milonis* de Poiens, *Mainfredi*.

Carta Ioffredi Bellimontis iuuenis.

CVncti fideles in corpore sanctæ Ecclesiæ compaginati, qui veri capitis Christi, membra se esse cognoscunt, perpendant qualiter inualidâ membra sua refouere debeant, iuxta quod ait Apostolus: *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Cor. 12. 26 Sancta enim Ecclesia more sagenæ missæ in mare, sinu suæ pietatis cunctos aduenientes colligit alios solido cibo reficiens, aliis lac potum dulcedinis infundens, nonnullos verò de naufragio mortis liberans. Hoc igitur naufragium instigante Diabolo *Iaffredus* Miles, Hugonis Domini Bellimontis filius, incurrens in exercitio militari morte deprehensus, litus orationum fidelium euasurus expetiit, & eleemosynis sua facta redimere studuit. Quę eleemosyna quantâ memoriâ sit digna, in subsequẽtibus demonstrabimus. Pro tanti igitur criminis execratione, mortuũ corpus illius anno & amplius sepulturâ caruit, donec Deo disponente, qui neminem vult perire, venerabilis *Gothefredus*, qui tunc Lingonensi Ecclesiæ præerat Episcopus, Romam iret.

Expletis verò prosperè cunctis, pro quibus ierat, cum & Apostolica authoritate & licentia rediens, eundem Ioffredum à suæ excommunicationis nodo absoluit, & pro eo hostiam salutarem offerens, inhumata eius membra honorificè

tumulauit. Aderat tunc Beſuæ cum Epiſcopo Conſul Burgundiæ *Renaldus*, cum multa Militum caterua, qui eo die coram cunctis iurauit tenere pacem Eccleſiæ, & omnes eam deprędantes manu bellicoſa expugnare. Ante quorum præſentiam deuotus *Hugo*, pater Ioffredi defuncti cum Hugone filio ſuo adueniens, D. Vuidrico Abbati & Beſuenſi Eccleſię promiſit pacem tenere, & contra omnes qui de rebus Monaſterij aliquid vſurpârent, quaſi propriam terram depopularentur, auxilium ferre. Poſt hæc autem vterque Hugo pater cum Hugone filio, eleemoſynam, quam priùs pro Ioffredo fecerat, per manum Godefredi Epiſcopi coram multis teſtibus confirmauit.

Dedit igitur Deo, & ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ, pro anima filij ſui, & pro animabus anteceſſorum ſuorum, adſtante, & laudante Hugone filio ſuo corueiam propriam, quam Remigius Preſbyter in vadimonio ab ipſis habebat, & quandam terram, quam dicunt Rupeculam, à via quæ ducit Luillæ, vſque ad villam quæ vadit Fleix, & quatuor falces prati iuxta Cellulam noſtram ſancti Martini, & hominem nomine Carbonem, quem ob multas iniurias de patria fugauerat.

Prætereà dedit iuſtitiam & Corueias quas proclamabat, liberrimè, & abſque conſuetudine in villa noſtra quæ Boens dicitur. Dedit & ſaluimentum Cauaneiaci villæ noſtræ, & calumniam quam faciebat in terra noſtra apud villam, quæ Blaineis nuncupatur, ſiue iuſtam ſiue iniuſtam liberè conceſſit.

Hanc autem donationem roborari volumus proborum virorum teſtimonio; quorum iſta ſunt nomina: Sig. Hugonis qui hanc eleemoſynam fecit, & Hugonis filii eius. Sign. Euuini de Acels, & Hugonis filij eius. Die verò ſepulturæ ipſius Ioffredi, quando hæc eleemoſyna iterum confirmata eſt per manum Epiſcopi, fuerunt & alij quam plures, quorum iſta ſunt nomina. Sig. *Godefredi* Epiſcopi. *Rainaldi* Comitis. Sig. *Vuidonis* Abb. Sig. *Haymonis* Columbę. Sig. *Mainfredi* Darc. Sig. *Richardi* de Fretis. Sig. *Milonis* de Poiens. Sig. *Hugonis* Chaine. Sig. *Vrrici* de Renauis & filiorum eius. De Monachis. Sig. *Vuidrici* Abb. Sig. *Pontij*. Sig. *Nerduini* de Aſpero monte,

monte. Sig. *Vuarnerij.* Sig. *Alberti.* Sig. *Matthæi.* Sig. *Rodulfi* Cartæ iſtius dictatoris, & aliorum multorum.

De medietate decimarum in Maiaſco.

CVm quædam patrum noſtrorum inſtituta erroribus ſuccedentium obliuioni perpetuæ tradita videantur, adiudicamus de præſentibus inſtitutis magnopere fore curãdum, vt ea ſerie litterarum ſemper memorata teneantur. Nos igitur quantum eſt poſſibilitatis noſtræ, ſtyli officio commendamus, quòd *Bartholomæus* filius Rodulfi Villici de Maiaſco, patre ac matre eius neſcientibus Eccleſiæ Beſuenſis à Domno Girardo Abbate, laudante Conuentu, Monachus effectus eſt. Illis verò temporibus prædicti Bartholomæi pater in villa, quæ dicitur Maiaſcus de minimis decimis medietatem à Guidone Capellano pro 15. ſolidis in vadimonio habebat, tali ſcilicet conditione, niſi viuente eo redimeret, Guidone defuncto, ipſe Rodulfus, & filij eius ſuper eam hæreditarent. Illam ſiquidem decimarum medietatem, de qua ſuperiùs ſermonem fecimus, donauit Rodulfus pro filio Bartholomæo beatis Apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctę Beſuenſi Eccleſiæ, in præſentia Domni Gerardi Abbatis, vxore ſua cum filiis laudantibus. Quo facto petiit vxor eius à Domno Girardo Abbate, vt quod de decimis illis ſua pars in Canabo ſibi conferebat, ea viuente retinere concederet, cuius petitioni Domn. Abbas Girardus coram cunctis qui aderant, fauit.

Carta de duobus fratribus de Beria, ſcilicet Roberto, & Vualterio.

PRæſentibus litteris notificamus, quòd D. *Hugo* de Beria Stephanum cum ſuis hæredibus ſancto Petro, & Beſuenſi Eccleſiæ dederit. Poſt cuius mortem Hugo de Magne cum Aldone fratre ſuo, qui de filia ipſius *Hugonis* de Beria orti fuerant, cœperunt prædicti Stephani filios proclamare, nolentes adquieſcere, nec laudare, quod auus eorum Hugo eos dediſſet. Quapropter cognitum examen quod ſibi iudi-

catum fuerat, manu tulerunt, quòd Dom. Hugo auus eorum totum quod in patre ſuo, & in hæredibus ſuis habebat, Deo, & ſancto Petro dediſſet Prædictus verò Hugo, qui eos calumniabatur videns querimoniam ſuam adnullatam iniuſtè eos proclamaſſe, conceſſit Deo, & ſancto Petro, ponens per librum ſuper Altare in Beſuenſi Eccleſia. Præſentes qui adfuerunt huius rei teſtes idonei ſunt, *Haymo*, *Odo* Malenutritus, *Haymo* Strabus. Et de noſtris, *Vidricus* Abbas, *Nerduinus* de Aſperimonte, Poncius de Siluinne, *Vlricus* de Renauis. De Laïcis *Berno*, *Petrus*, *Humbertus*. Cùm hoc laudaſſent apud Beſuam prædictus Hugo cum Aldone fratre ſuo, ſtatuerunt diem, quo hæc matri ſuæ & vxori facerent laudare; quo die affuit Pontius Monachus apud Magne, & laudauit coram eo mater Hugonis, & vxor, & vnicus eius iuxta Capellam ligneam, Præſentibus *Hugone*, & *Aldone*, & *Haymone*, Odone malenutrito, *Hugone*, & *Vlrico* de Angele.

De nemore quod Rotardus dicitur.

NOtum ſit omnibus, quòd *Pontius* de ſancto Sequano & Humbertus frater ſuus pro pace, & fine quam fecerunt cum Giſleberto d'Auenne de morte fratris ſui *Vuillelmi*, qui apud villam ſancti Sequani fuit occiſus, & auunculis ipſius Vuidone, & Renaldo, dederunt Deo, & ſancto Petro, quicquid habebant in nemore, quod dicitur Rotardus.

Item pro hac eadem pace, & fine *Hugo* Belmontis dominus quinque ſolidos cenſuales apud Montaniacum in manſo de Siligne, ſanctæ *Mariæ* de Fonuenz, vbi corpus defuncti iacebat, dari conſtituit, 3. die poſt natale S. Bartholomæi, quo anniuerſaria dies eius agitur. Quod etiam teſtimonio proborum virorum roborari volumus. Sig. Abbatis de Tuſſeio. Sig. Abb. de Caritate, *Rotgeri* de Abens Monachi Bellę vallis, *Odonis* de furno. De Monachis noſtris. Sig. *Richardi* Præpoſiti, *Poncij*, *Nerduini*. De Militibus, *Haymonis*, *Hugonis* Channe.

Digitized by Google

De ſancto Martino, & Liſſiaco.

CLemens pater familias, conditor noſter non ſolùm eos, qui à pueritia fideliter in vinea ſua, ſancta ſcilicet Eccleſia, laborant, mercede non priuat, verùm etiam eos, qui ſero venientes, hoc eſt, iam ſenio grauati in eadem deuotè viuere ſtudent, denario æternæ beatitudinis remunerat. Diuino itaque reſpectu Humbertus de Bigorna, in ſenectute mundo renuncians, Beſuenſe Monaſterium deuota mente petiit, ac eidem Cœnobio 4. falces prati, 3. apud ſanctum *Martinum* Bellimontis, 1. apud Liſſeiacum contulit. Dedit etiam manſum apud villam Caſotum, & campum trium iugerum inter Albiniacum, & caſtrum Montis-Salionis. Hanc eleemoſynam ipſe Humbertus, & fratres eius Rodulfus, & Milo, & Poncius nepos eorum, ſancto Petro Beſuenſi ſuper altare ponentes librum, dederunt. Sig. *Vuidrici* Abb. *Gunterij* Capel. *Richardi* Præpoſ. *Vuillelmi* famuli, Petri Pauliaci, *Vuidonis*, & *Petri* Cocci.

De Genciniaco.

FIdelium memoriæ tradimus, quòd *Vrricus* de Renauis pro anima filij ſui Hugonis, dedit ſancto Petro Beſuenſi manſum apud Oſiliacum, ſingulis annis nummos duodecim duóque membra, ſiue duas gallinas in Natale Domini iure perſoluentem. Addidit, & medietatem quam poſſederat corueiæ noſtræ Genciniaci; quatinus ipſa corueia Beſuenſi Eccleſiæ maneat. Sig. *Rodulfi*, *Milonis*, & *Vuidonis* filiorum prædicti Vrrici. Sig. *Vuidonis* Rufi nepotis ipſius Vrrici.

De Podiens.

PRæſens vita, vt Beatus ait Papa Gregorius, *via eſt, qua ad patriam pergimus.* Qui ergo ad patriam vitæ peruenire deſiderat, dum in via eſt, ante mortem legationem bonorum operum aut eleemoſynarum ad Dominum præmittere ſtudeat. Aſſignamus itaque *Odonem* immaturâ morte hac de

vita ſublatum, pro cuius anima pater eius *Milo* de Podiens, Eccleſiæ Beſuenſi dedit campum, decem iugerum, vxore cum filiis, & propinquis eius laudantibus. Sig. *Vuidrici* Abb. Sig. *Matthæi Alberti*, Sig. *Bartholomæi* & *Richardi* fratrum. De Militibus, Sig. *Hugonis* Domini Bellimontis.

De Poilliaco.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Eccleſia Dei, quæ ex piorum largitatibus ampliari gratulatur, eóſq; gaudet adipiſci, propter obliuionis incommodum deuitandũ ſemper debet reminiſci. Nam quia morte prohibente vnuſquiſq; Paſtor non poteſt in æternum permanere, quicquid agit, vel cognoſcit ad commodum ſuæ eſſe Eccleſiæ, litteris, & ſcripto ſuis debet ſucceſſoribus demonſtrare. Ego igitur *Stephanus* Abbas notifico omnibus tam præſentis, quam futuri ſæculi fidelibus, Domnum *Simonem* de Belloioco, & D. Hugonem fratrem eius, antequam fuiſſent vxorati, filiam Geraldi diuitis, quam parentes, & amici Petro filio *Lamberti* de Pauliaco in matrimonium dare diſponebant, ſancto Petro & mihi, qui præeſſe videbar, & Monachis Beſuenſis Eccleſiæ liberam & ſicut ſancti Petri fœminam abſque omni retractatione autentica conceſſione coram multis conceſſiſſe. Quod ne alicuius maliuoli inuidia vel improbitate poſſit in calumniam ſuſcitari, iuſtum mihi viſum eſt hanc Cartam ſubſcriptorum, qui adfuerunt virorum teſtimonio debere roborari Sig. *Simonis*. Sig. *Hugonis* fratris eius. Sig. *Poncij* de Siluiniaco. Sign. *Fulconis* de Vore. Sign. *Rainaldi* Preſbyteri. Sig. *Bernardi* fratris eius. Sig. *Geraldi* Diuitis. Sig. *Gaulteri* filij eius. Sig. *Stephani* Abbatis. Sig. *Gerardi* Prioris de Fonsvenz. Sig. *Guillenci*. Sig. *Alberti* Tullenſis Prioris S. Valeriani. Sign. *Lamberti* de Pauliaco. Sign. *Ioannis* fratris eius. Sig. *Gileberti* famuli.

Datur ancilla.

De eodem.

SCiendum verò eſt quòd poſt mortem *Lamberti* Pauliaci, quæſiuit *Audo* fratri ſuo *Petro* partem de domo quæ erat

Digitized by Google

in mercato. Cui reſpondens Petrus dixit, ſe ei de hac re nullo modo reſpondere, quia Lambertus pater ſuus ſine parte cæterorum filiorum ſuorum & filiarum, dedit ipſi, quando vxorem duxit. Hoc Audo ſe ignorare reſpondit. Venerunt itaque ambo ad iudicium, & iudicatum eſt in Curia Girardi Abbatis, vt ſi idem Petrus de hac re legales teſtes haberet, in pace eſſe deberet. Die autem placiti vento, affuit etiã Petrus cum teſtibus ſuis, Roberto ſcilicet præpoſito, & Hugone Dapifero, cum matre eius, hoc affirmantibus, & ita domo liberâ, atque in pace Petro redditâ, Audo fideiuſſores pacis tenendæ dedit ſupradictos. Iſti ſunt, qui ad iudicium fuerunt. *Iosbertus* Præpoſitus, *Lebaldus*, *Albricus*, *Albertus*. Hæc domus Petro damnum intulit, ſcilicet 30. libras.

De ſancto Martino.

QVoniam rerum mutatione plura, quæ meliùs ſtare videbantur deſtructa, & quaſi non fuiſſent, videantur eſſe ábolita, litteris commendare ratum fore ducimus ea quibus Eccleſia Chriſti in exterioribus augetur, quò earum authoritate deffendantur, vel futuris clarificetur. Et ideò annotamus, quòd quidam miles Belmontenſis, nomine *Richardus*, cognomento Truta, habuit filium, nomine *Haymonem*, quem in Eccleſia Beſuenſi Monachum fieri deliberauit. Quiacceſſit ad Domnum Girardum, qui tunc Eccleſiam Beſuenſem regebat, & ad Fratres ipſius Monaſterij, filium ipſum coram multis teſtibus Abbati & fratribus tradidit, & pro eo Eccleſiam ipſam ex propriis amplificari curauit. Dedit ergo huic Eccleſiæ apud ſanctum Martinum in confinio Belmontenſi medietatem corueiæ, quam hæreditario iure poſſidebat: & pratum de Roſeros, quod ſimiliter habebat. Conſuetudinem etiam, quam in noſtris hominibus habebat apud Artaſiam manentibus, ſcilicet corueiam, & cętera quę habebat, conceſſit. Nec multò poſt medietatem corueiæ de ſancto Martino, quàm retinuit, vendere ſibi placuit. Qui cùm ex hoc ſupradictum Abbatem Girardum priùs conueniſſet, emit ab eo iſdem Abbas ipſam medietatem, laudante hoc vxore ſua, & filiis in Capitulo Beſuenſi.

Dona Richãrdi Militis dum filius Monachum indueret.

Digitized by Google

Posteà verò quidam frater eius, nomine Theodericus, Ierusalem iturus omnia quæ à fratre suo nobis data fuerant vel vendita, cœpit calũniari, consentiente fratre suo *Richardo*, vt posteà res innotuit. Abb. verò Girardus 30. solidos eis dedit, & super sanctum Altare in Capella sancti Bartholomęi coram multis testibus, adstante, & laudante vxore sua, & filiis, vterque superposuit. Euolutis verò aliquantis annorum curriculis, & de medio exempto bonæ memoriæ Girardo, & succedente in loco eius venerabili Vuidrico Richardus, de quo hîc agimus, Abbati Vuidrico, quasi rudi, & nescienti, & Monachis apud sanctum Martinum manentibus, totum abdicauit, & contradixit. Cui Abbas Vuidricus quasi Pastor bonus lupo rapienti obstitit, placitúmque cum eo terminauit. Qui cùm vterque ad diem venisset, Abbas supradictus sapienti consilio fultus, testes idoneos, qui hoc audierunt, & viderunt, secum adduxit. Quibus cum non posset contraire; cognouit iniustè, & necessitate vrgente se hoc calumniasse. Promisit etiam nunquàm ampliùs molestiam inferre, sed fidelem se in hoc & aliis quibus posset existere. Quæ res ne ampliùs inquietetur, proborum virorum testimonio roboramus. Sig. *Hugonis* Belmontis Domini *Vuidonis* de Sauz. Sig. *Nocherij*. Sig. *Euuni Daces*, & *Hugonis* filij eius, *Milonis* de Poiens, & *Hugonis* fratris. Sig. *Pontij* Crassi. *Vuidonis* Rauinel, *Vuidonis* Rufi, & *Vuiardi*, & de clientibus, *Humberti* de Soleri, & *Vuarnerij* fratris Alberti Christiani, *Vuarnerij* Crassi, Dominici ministri.

Carta Hugonis Bellimontis Domini.

AD omnipotentis Dei laudem prouidentes futurorum vtilitatem, monimentis tradimus litterarum, ne aliquâ obliuionis obfuscetur nebulâ, vel malorum aliquando perturbetur audaciâ. Præsentibus igitur cunctis fidelibus notificamus, quòd Domnus Hugo Bellimontis Dominus diuino igne succensus, & de salute animæ suæ sollicitus, dederit Deo, & sancto Petro, & huic Besuens. Ecclesiæ Molendinum quod Petrus Rufus tenebat ante Ecclesiam sancti Martini situm, cum Molendinario, & eius domo, & prato, &

Digitized by

omnibus appenditiis suis. Laudante filio suo *Hugone*, qui tunc prædicto castro dominabatur, & vxore sua Mathilde, per manum Domni Gotefredi Lingonensis Ecclesiæ Pontificis, die qua prædictam Ecclesiam consecrauit. Huius donationis testes idoneos assignamus. Sig. *Gotefredi* Episcopi. Sig. *Euuini* Dacels, & filiorum eius *Hugonis*, & *Hugonis* cognomento Vuerra, & Milonis. Sig. *Milonis* de Poiens, & Hugonis fratris. Sig. *Hugonis* filij eius. Et de clientibus, Humberti de Solerij, & Vuarnerij fratris eius, Christiani, & Alberti, & aliorum multorum.

Hugo filius Hugonis Bellimont. iter Ieroso-lv. aggreditur.

Post non multum temporis cùm superna Prouidentia incitasset fideles ad confutandum Paganorum perfidiam, compunctus Hugo, filius supradicti Hugonis, cum in expeditione Hierosylimitana proficisci deberet, incertus quid de se rei euentus daret, deuotus Capitulo fratrum, vale dicturus eis, adiit, de malis à se Ecclesiæ Besuensi irrogatis veniam postulauit, fratrúmque orationibus se commendans, eleemosynam fecit. Habebat námque in villa sancti Petri, quæ Pauliacus dicitur, medietatem iustitiarum & terrã & homines, ipsam tenentes. Quę cuncta eis concessit præsente & laudante patre suo Hugone. Testes huius rei sunt qui adfuerunt in Capitulo cum eo penè omnis Besuensium hominum & Monachorum multitudo, & de Militibus Hugo pater eius, *Iosbertus*, *Gloseius*, *Vuido* Dessartinis, *Viardus* de Renauis, *Vuido* Rufus, *Hugo* Chaine, *Vuido* Rauinellus, & alij multi.

Item Fredericus de Campanis

Adiungimus etiam quòd alius quidam Miles Fredericus nomine de Campaniis, Hierusalem iturus, in eodem Capitulo concessit sancto Petro, & fratribus Besuensis Cœnobij molendinum cum appenditiis suis apud Blainiset, & terram, & cuncta, quæ habebat in eadem villa adstantibus, & laudantibus Hugone Domino Belmontensi, & Hugone Chaine fratre suo, & cęteris supradictis.

Digitized by Google

Carta quâ Dom. Epiſcopus Lingonenſis dedit nobis quaſdam Eccleſias, & Capellas apud ſanctum Martinum ſupra Vigunnam & Bellomontem.

RErum mundanarum varietas, quam multimoda ſequitur defectio ſapientem ducit ad conſilium, vt ad cautelam prouidentię, ne ſi quid boni fecerit, pereat, mentis oculum extendat in futurum. Quicquid enim in humanis agitur, aut tranſcurſu temporis, aut obliuionis nebulâ citius abolетur, niſi ſit, quod in exemplis Patrum, & in vſu ſanctę cognoſcimus Eccleſię eleemoſynas, & bona, quæ ſancti viri operantur opera litteris propter memoriam ſtudeamus annotare. Qua propter ego *Gotefredus*, Dei gratiâ Lingonenſium Epiſcopus, notum facio omnibus tam præſentis, quam futuri ſęculi fidelibus, venerabilem fratrem noſtrum *Vuidricum*, Beſuenſem Abbatem, preſentiam noſtram adiiſſe, & deuotę ſupplicationis precibus poſtulaſſe, vt Eccleſias, quas tenuit Domnus Remigius Belmontenſis Caſtri Preſbyter; quas ſiquidem bonæ memoriæ anteceſſor noſter Domnus Vuilencus Lingonenſis Eccleſiæ Præſul, Domno Girardo Abbati Beſuenſi anteà dederat, vt firmior eſſet donatio iteratò donarem, & authoritate noſtra roborarem, ac propter euitandas malorum hominum calumnias, quas Eccleſiaſtica ſemper nititur euitare prudentia, ſigillo noſtro ſigillarem.

Dono igitur, ſaluo iure Lingon. Eccleſiæ, Deo & ſancto Petro, & venerabili fratri noſtro Vuidrico Abbati, Monachiſque Beſuenſis Cœnobij, Eccleſias, quas, ſicut dictum eſt Remigius Preſbyter tenuit. Eccleſiam videlicet ſancti Martini, cum Capella ſancti Bartholomæi, & Eccleſiam de Auxiliaco, & Eccleſias de Campaniis, S. videlicet Iuliani, & ſancti Hilarij, & Eccleſiam de Domna Petra, authoritate confirmans Pontificali, nequis amplius Abbatem, vel fratres Beſuenſis Cœnobij de tenore harum Eccleſiarum exturbet, aut audeat inquietare, aut alicuius controuerſię fraudibus vſurpare. Quòd ſi quis præſumpſerit, proprio reatu exigente, ſententiâ anathematis ſe cognoſcat ſubiacere.

De

De Nerone.

ECcleſiæ Dei filiis etſi ſimplicitas authoritate diuina teneri præcipitur, ſerpentina tamen calliditas eodem præcepto adhibenda cognoſcitur; quatinus & innocentes ad malum non feſtinemus, & ea quæ videntur vtilia exercere ſtudeamus. Cùm etenim mundus ſecundum Prophetam ollam ſuccenſam, id eſt, humanam conſcientiam, ad faciem extendat Aquilonis, & moderni quàm pluribus præ cupiditate mali vitiorum immergantur procellis, iuſtum eſt, vt Eccleſiaſtica prouidentia, & ſua innocenter teneat, & ſapienter quod tenuerit, in futurum non amittat. Proinde ad excitandam futurorum memoriam, & obſtruendam obliuionis nebulam, ſcripto commendamus Domnum *Vuidonem* de Lyſeio, cùm veniret ad obitum pro animæ ſuæ, anteceſſorúmque remedio, Deo & Monachis Beſuenſibus, in eleemoſynam dediſſe quicquid apud Neronem habebat, & quicquid iure hæreditario, vel quolibet alio modo debere eſſe ſuum inibi reclamabat. Quæ ſiquidem eleemoſyna ſuper altare S. Petri per manum vxoris ſuæ Chartei, & filij ſui Vuilenci poſita eſt, aſſiſtentibus fratribus ipſius Vuidonis Poncio, & Vuillelmo, qui & ipſi hoc donum fecerunt, audientibus, & videntibus quàmpluribus approbatis viris, Monachis, Clericis, & Laïcis ſubſcriptis, qui adfuerunt. Dedit etiam tunc querimoniam prati quod tenebat Albricus. Sign. *Vuidonis Alberti* ſubprioris, *Alberti* Tullenſis, *Richardi* Monachi.

Titulus de Guidone Molendinario.

BEatitudinem, quam vniuerſalis Eccleſia de oratione intelligit Dominica, *Adueniat regnum tuum*, omni niſu mentis & corporis aſſequi debemus; vt cum ſanctis poſt modùm, qui cum eo regnabunt, gaudere valeamus. Quâ animaduerſione ducta ego *Cecilia*, vxor *Euurardi* de Rollens, cum filio meo *Vuillelmo*, quemdam ſeruientem meum Vuidonem, Deo, & ſancto Petro, & Monachis Beſuenſis Eccleſiæ, pro remedio animæ meæ, & animæ mariti mei, anteceſ-

ſorúmque ſalute dedi: & hoc donum tenens librum Euangegelij cum prædicto filio meo ſuper altare poſui: & filiam meam Helizabeth, hanc donationem laudare feci. Quod ne irritum fiat, vel obliuionis nebulâ depereat, teſtes qui adfuerunt aſſignari benignè conceſſi. Sig. *Guidonis* Prioris. Sig. *Alberti* Tullenſis. Sig. *Vuidonis*. Sign. *Lamberti* de *Racio*. Sig. *Bartholomæi* de Arcu. Sig. *Petri* Cellerarij de coquina. Sig. *Humberti* Diuitis. Sig. *Geraldi*. Sig. *Chalucoth* fabri. Sign. *Stephani* nepotis Abb. Vuidrici. Sig. *Petri* Miniſtri de Baſſei.

De Aldrico ſeruo.

ECcleſia Dei variis & crebris tribulationum procellis, ſicut maris inſula ſæpiùs percutitur, vento turbinis flante, id eſt, inimici ſuaſione peſtifera, fidelium qui nocte ac die ſeruitio Dei videntur mancipati, quietem perturbante. quapropter ipſis ſolerter inuigilandum eſt, vt quæ habent, & poſſident, pacificè queant retinere, ne malorum aliquorum verſutiâ perdant quod debent conſeruare.

Memoriale igitur æternale eſſe volumus, ſcripto commendantes qualiter calumnia, quam Domnus *Guillelmus* de Tricaſtel, de Aldrico homine ſancti Petri faciebat, fuerit terminata. Ipſe Guillelmus dicebat prædictum Aldricum apud Veronam manſiſſe, & pecuniam fratris ſui qui mortuus fuerat, ipſum Aldricum habuiſſe. Aldricus dicebat è contrario, ſe nunquam in terrà Domni Guillelmi manſum accepiſſe, nec pecuniam defuncti fratris habuiſſe. Mediantibus igitur bonis qui adfuerunt viris, Aldricus Domno Guillelmo 4. libras, & 10. ſolidos dedit; & ipſe Guillelmus quicquid clamabat ſuper eum dimiſit: & ita calumniam ſuam & hominem in pace dereliquit. Quod vt inconuulſum permaneat, & obliuionis nebulâ non deleatur, virorum qui adfuerunt teſtimonio roborare, & eorum nomina opus eſt ſingillatim nominare. Sig. *Vuidrici* Abbatis, *Alberti* Tullenſis. Sig. *Vuidonis* Capellani. Sig. *Humberti* Diuitis. Sig. *Vuarnerij*. Sig. *Petri* de Pauliaco. Sig. *Audonis*. Sign. *Ioannis*. Sign. *Haymonis*. Hęc facta ſunt apud Beſuam. Poſteà verò apud Tricaſtel ipſius vxor Domni Guillelmi laudauit, & benignè conceſſit

pacem, quam de Aldrico fecerat maritus eius. Teſtes adfuerunt ipſe *Guillelmus*, *Vlricus* Capellanus de Claro monte, *Richardus* Preſbyter, *Vuarnerius* nepos eius, *Ioannes* Clericus. *Nocherius* Miles, *Vuillelmus* de Caſoto, *Bardulfus*, *Vualterius*, *Vuido* Checeuath, *Paganus*, *Vuillelmus* filius Miribelli, *Vuaruadus*, *Hugo*, *Vuido*, *Villici* de Luco. Sig. *Bardulfi*, *Vualterij* de Pichangi, *Vuaſleri* Maluaſloth, *Lamberti* de Marcelliaco. *Serianth*, *Milonis* falſart, *Vuarnerij* de Veronna, *Vuarnerij* de Solunge.

Carta de Nemore Rothart.

ECcleſiaſticæ diſpenſationis prouidentia etſi præcepto Domini ſerpentina calliditate debeat augmentari, columbina tamen ſimplicitate iubetur temperari, vt ſic à nobis teneatur, ne plus iuſto temperata imprudenter diſſoluatur. Cui conſiderationi inuigilans Ego Vuidricus Abbas, Notum facio meis omnibus in perpetuum ſucceſſoribus, quomodò Beſuenſis Eccleſia, cui præeſſe videor, de vexationibus, & doloribus, quos diu ſuſtinuerat pro calumnia, quæ erat de Nemore Rothart, tandem fuerit liberata. Quidam enim Belmontenſes, qui Præpoſitales dicuntur, in prędicto Nemore partem hæreditario iure proclamabant, & infeſtatione non modica, malis quàm pluribus illatis, nobis inſurgebant. Cuius doloris vehementia cùm multo tempore percrebeſceret, Deo, vt credimus, volente, accidit, quòd quidam ex ipſis, nomine *Brutinus*, quadam die cùm in fabrica fabri cultellum emoleret, & eum ad terram incautè deponeret, ipſo cultello vulnèratus cecidit, & abſq; viatico, & Confeſſione quantocyùs expirauit. Cùm igitur tali morte defuncto parentes & amici condolerent, & excommunicatum fuiſſe cognoſcerent, cœperunt inquirere, quomodò in terra cimiterij adhibito Chriſtianitatis officio poſſet tumulari, quod non poſſe fieri viſum eſt, niſi à malis abſolutus eſſet, quæ propter nemoris calumniam Eccleſiæ fecerat, pro quibus excommunicatus apparebat. Clarino igitur fratre eius agente, qui ſapientior erat, cum Vuidrico alio fratre actum eſt, quòd vxor ipſius Brutini, quam Baldulfum vocant, & pueri eius Petrus, & Vuillelmus, & omnis familia calumniam prædicti nemoris

dimiſerunt, & heminam milij, quæ tunc cara erat pro tempore, à nobis ſuſcipientes, Deo, & ſancto Petro & Monachis Beſuenſis Eccleſiæ pro abſolutione illius conceſſerunt: teſtibus appoſitis, *Haymone* Monacho, *Clarino*, *Vuidrico*, *Chriſtiano*, *Humberto* Loir, qui videntes, & audientes affuerunt. Proinde periculoſam illius mortem adducentes ſibi in exemplum fratres & conſanguinei, Clarino agente, qui melioris, ſicut dictum eſt, fuerat ſcientiæ, omnes in hoc conuenerunt, vt prædictæ Eccleſiæ pacem facerent, & ne ante Deum rei pro calumnia nemoris apparerent, omnes concorditer ipſum nemus Deo, & ſancto Petro dimiſerunt; inſuper benedictionem temporalem à Monachis ſuſceperunt; Vuidricus 40. ſolidos, & heminam milij, Clarinus, & Vuillelmus frater eius 40. ſolidos. Hugo Præpoſitus, pro eo quòd nemus ipſum Deo, & ſancto Petro guilpiuit, filium ſuum in Eccleſia noſtra fieri Monachum obtinuit. Dimiſsâ ſic nemoris calumniâ omnes pacem bonam, & concordiam fecerunt, & ſuper altare ſancti Petri quicquid in prædicto nemore, & appenditiis eius, ſeu iuſtè vel iniuſtè proclamabant, totùm Deo, & ſancto Petro dederunt, guilpiuerunt, & inſuper iurauerunt quòd ampliùs non repeterẽt: Et ſi calumnia exindè veniret, aliqua fideli enarratione, guarantiam portantes legitimam, nobis contra omnes calumniatores enarrarent. Quæ pax ne temporum interuallo, vel obliuionis depereat incommodo, legitimorum, qui affuerunt, roboranda eſt teſtimonio. *Haymo* Columba, *Vuillelmus* de S. Sequano, *Petrus*, *Aldo* frater eius de Pauliaco, *Malet*, *Humbertus*, *Vuarnerius*, *Chriſtianus*, *Humbertus* de Solio, *Clarinus*, *Vuidricus*, *Guillelmus*, *Sibilla*, vxor Hugonis laudauit pacem & donum nemoris, quod fecit maritus ſuus *Hugo*, & pueri eius, *Milo* & alij. Maluaſlet cùm moreretur prædictum nemus guilpiuit preſente Abbate, Poncio Capellano Fiſneta, *Giſleberto* filio eius & *Chriſtiano*. *Hugo* de Aquato iterum cùm moreretur hoc nemus guilpiuit, præſente vxore ſua. Teſtes affuerunt, *Chriſtianus*, *Maluaſlet*, *Amalricus*, *Garnerius* Silueſtris.

Carta de S. Sequano in Beeſca.

QVantæ pietatis deſiderio debeamus æterna meditari, labentis mundi caſus indicat, qui quotidianis defectibus videtur annullari. Præſens etenim vita, quæ in ſuis ſtipendiis ærumnoſa conſpicitur, quicquid confert, infirmum eſt & fragile, & quòd ſui amatorem tandem reddat miſerrimum euidenter comprobatur. In cuius ſiquidem diſpendiis, quia multiplex pro imbecillitate carnis patimur detrimentum, ipſa mors, per quam omnis caro deſtituitur, doloris & timoris nobis eſt argumentum. Pro reſpectu huiuſmodi, nolens ampliùs acquieſcere carni & ſanguini, ſed Maieſtatem cœli propitiam promereri ego *Martellus* de Malleio, volénſque de peccatis agere pœnitentiam, quæ per meæ iuuentutis commiſi laſciuiam, animo propoſui ſepulchrum Domini Ieruſalem inuiſere, ac Beſuenſem Eccleſiam, quæ mea eſt parrochia, prout patris, anteceſſorúmque meorum teſtatur ſepultura, largiori bonorum meorum erogatione, conſilio charitatis placuit augmentare. Deo itaque, & ſancto Petro, fratribúſque Beſuenſis cœnobij, in præſentia Domni Abbatis *Gerardi*, concedente, & laudante Comite *Guillelmo*, cui in cuſtodia, & protectione terram meam dimiſi, donaui duas in Sagonna piſcarias, vnam quam ante dederam, aliam quam dedi cum hoc iter arripui. Dedi autem hoc tenore, vt ſi opus fuerit, piſcator ſeruientem habeat, qui ad gubernandam nauem eum adiuuet, & ea quæ in arte vel officio piſcandi ſunt neceſſaria, ei famulando ſubminiſtret. Hominem enim, qui ſolus nititur operari, cùm parum aut nihil proficiet, oportet adiuuari.

Dedi etiam pratum vnum, quod dicitur, Brachium Lamberti. Denique nemus, quod iuxta Sagunnam Vueura appellatur, & omnia nemora, quæ habeo circa villam, quæ Beeſca vocatur, dedi Monachis ibidem manentibus ..... ex illis omne quodcumque fuerit neceſſarium Monachis & hominibus ipſorum in alimentum.

Dedi etiam decimas de Flagei, & * parochiaticum, & omnem vſum, & conſuetudinem in nemoribus, & in ſyluis ipſius

f. * *à nomine parrochi*, parochiaticum ſa-

nat vectigal hospitibus impositum.

villæ cum omni libertate. Ad hanc donationem addidi decimam quartæ partis de porcis. Dedi etiam * paagium S. Sequani, quod meum erat, concessíque, & donaui Monachis Besuensibus, vt porcos suos indominicales in nemora mea vbicumque habuero mittant, & sine * pastionatico per omnia liberè currant. Monachi verò, qui apud Beescam manebunt similiter faciant, per omnia nemora mea porcos suos indominicales sine pastionatico mittant, & centum desuper si adtrahere porcos voluerint. Qui siquidem Beescenses Monachi, quia pro remedio antecessorum meorum ibi sunt mancipati, nolo quòd aliqua vexatione mala per meos homines videantur fatigari: Quapropter concessi, & in loco eleemosynæ mihi constitui, vt villam illam, Beescam videlicet, in qua habitant, cum omni libertate habitent ipsi Monachi, & præcepi vt homines mei, qui terras habent in villa, illas claudant, & sepes opportunas apponant, ne animalia villæ quod intus fuerit deuastare præualeant. Quod si claudere noluerint, & aliquod damnum euenerit, homo villæ in causam non trahatur, & nemini respondeat, nec damnum, nec legem inde persoluat. Vt si homo prædictæ villæ damnum per clausuram malè factam susceperit, Comiti *Guillelmo* ostendat clamorem, & ipse Comes plenariam super hoc faciat iustitiam. Et vt hæc donatio autentico roboretur priuilegio, subscriptorum virorum firmamus testimonio. Sig. *Martelli*, qui hoc donum fecit. Sign. *Vuillelmi* Comitis. Sign. *Girardi* Abbatis. Sign. *Constantij* Abbatis. Sign. *Pontij*. Sign. *Gileberti* Prioris Beescæ. Sign. *Parisij* Canonici de Masenot. Sig. *Roberti* Militis de Bille, *Vuido* Trosellus, *Vualo* de terra Diuion. ..... pro sua suorúmque salute ..... filij sui Guillelmi nuper defuncti & Besuæ sepulti, dedit liberrimè Deo, & Ecclesiæ Besuensi hæc subtus annotata perpetuo iure possidenda, volentibus atque laudantibus vxore cum filiis, nec non & fratribus, *Richardo* scilicet & *Girardo*. Mansum vnum videlicet apud Balenauam, eo tenore, vt habitator ipsius vsus consuetudinales habeat, sicut piùs, in aquis, in terris, in pascuis, & in syluis eiusdem Humberti & successorum ipsius. Dimisit quoque nummos 4. quos Monachus Arcionensis ei debebat annuatim pro ripa molendini sui in festiuitate san-

* transitus

* *seu* pascuario, *censu pro pascuis*

* *Hic nonnulla in codice MS. deleta.*

Digitized by Google

cti Martini. Dedit etiam 4. iugera terrę, quæ habentur prope arborem vlmum, quæ de Mulmis dicitur. Addidit his & falcem prati prope Arcionenſem ſiti. Cuius donationis teſtes idoneos etiam ſubſcribere curauimus. Quorum nomina ſunt hæc. De Monachis Abbas *Ioffredus*, *Poncius* Prior, *Guido* Sacriſta. *Bartholomæus* frater eiuſdem Humberti, *Robertus* Verna, Milites, *Hugo* de Aſperomonte, *Aymo* Columba, *Aymo* de Minure, *Aymo* Bornus. Burgenſes, Petrus de Pauliaco, Maletus, Ioannes coquus, & alij quàm plures.

Carta de Fontinellis.

MAnſuris eſt imprimendum litteris, quòd *Hugo* Miles de Fontanis pro anima fratris ſui Haymonis nuper interfecti, & apud Beſuam honorificè ſepulti, laudante ſorore cum nepotibus, & cæteris, ad quos res pertinere videbatur, dedit Deo, & Eccleſiæ Beſuenſi apud Fontenellas manſum vnum cum falce prati, & tertiam partem medietatis minutæ decimæ. Hoc autem fieri fecerunt, *Milo* Miles Dominus de Foſſato, cum fratre *Roberto* (ad quos maximè attinebat) in die ſepulturæ ipſius Beſuæ, multis præſentibus; quorum nomina partim ſubnotantur. Abbas *Iofredus*, *Hautio* Prior, *Vuido* Sacriſta, *Bartholomæus*, *Gybuinus* Monachi. *Milo* de Foſſato, & *Robertus* frater eius, Milites.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM, ET VERBORVM, quæ in Chronicis continentur.

A

Abbas in tumulo Sacerdotali ſtolâ ornatus, 419
Abbas Canonicus Eccleſiæ Lingonenſis, 423
Archidiaconus & Abbas, 424. 518. 540
Abbates diuerſi, 633. 638. 688
Abundantius Dux, 385
Adalrici Ducis bona adiudicantur Beſuenſi Monaſterio, 501
Adalſinda filia Amalgarij Ducis, Abbatiſſa, 493
Suum Monaſterium donat Beſuenſibus Monachis, 495
Adalburgis vxor Hugonis Comitis Diuion. 428
Adeleïa vxor Richardi Ducis Burgundiæ, 423
Addita Comitiſſa Diuion. 451
Ademarus Senator, 421
Adelbero, V. Azelinus.
Adoindus Referendarius. 385
Adrianus Papa, 396. 397
Aduocatus Beſuæ inſtituitur, 500
Ætherius Lugdu. Archiep. 374
Agaunenſe Monaſterium ædificatur, & quare, 363
Laus perennis in eo inſtituitur, ibid.
Agobardus Lugd. Archiep. 507. 509
Agripennales perticationes, quid, 520
Aichinus Dux, 385
Airardus Dux, 385
Alaricus Rex, 362
Albericus, V. Lingonenſ. Epiſcopi, 499
Albertus Metenſ. Comes, 471
Alcaudus Aduocatus S. Benigni Diuion. 414
Alinard. V. Halinardus,
Amadeus Comes, 408
Amalgarius Dux, 383. 385, 389 490
Parentes ipſius, 491
Geſta percurruntur, ibid. & ſeq.
Duo conſtruit Monaſteria, 491
Amalricus Rex Hiſpaniæ, 364
Anglæ ſcorto res Beſuenſ. Abbatiæ conferuntur, 503
Dat pœnas, ibid.
S. Angliæ corpus Beſuæ, 52
Anchiſus Maior domus Sigeberti, 387
Andecingalis pertica, quid, 424
S. Andochius, 354. & ſeq. 356
S. Andeoli actus breuiter perſtringuntur, 355
Anſelmus Comes Palatij, 399
Anſoaldus, 368. 372
Antoninus V. Marcus.
Antoninus Caracalla Imp. 356
S. Apri Abbas Appolinaris, 370
Monaſterij ipſius diſciplinæ ſplendor reuocatur, 441
Aquilina vxor Amalgarij Ducis, 490
Aribertus Rex, 382. 383
Aribertus. V. Haribertus.
Aridius Lugdu. Archiep. 376
S. Arnulphus Metenſ. Epiſc. 381
Aritus Abbas, 364
Arembertus Dux, 385. 386.
Aribertus Dux, 385
Arnulfus de Riſnel Conſul. 605

Arnulphi Metenſ. Abbas Benedictus, 441
Arnulphus Rex Italiæ, 420
Aſcherius Miles, 660. 668
Attila Comitiſſa, 423
Aubedo, ſiue Audebellus, maior domus, 391
S. Audoeni Monaſterium inſtauratur à S. Guillelmo, 445
Aurelianus Clodouei Cõſiliarius, 361
Aurelius ſiue Aurelianus. V. Marcus.
Auſtrichildis Regina, 369
Azelinus, ſiue Adelbero Epiſc. Laudunenſ. 460

B

Balaſtarius Vicecomes, 504. 505
Barontus Dux, 385
Belichildis, ſiue Blichildis, vxor Theodeberti Regis, 377
Beneficiario iure Abbatiam tenet Monachus, 422

De S. Benigni Abbatia.

S. Benigni paſſionis acta, 354. & ſeq.
Corporis eius inuentio, & tranſlatio, 357. 358
Nobilis Abbatia, ibid.
Iuri ſolius Epiſcopi Lingonenſis olim ſubiacebat, ibid.
Cimeterium inibi generale conſtitutum, ibid.
A S. Gregorio Lingonenſi ædificatur Eccleſia, 360
Necnon Monaſterium; Monachóſque congregat, ibid. & 434
Quæ contulerit, recenſentur, ibid.
S. Benigno multa conferunuur à Rege Guntranno, 370
Cimeterij priuilegium, 391
Tepet feruor religionis, 402
Hæredes parentum fieri volunt Monachi, ibid.
Nonæ & decimæ vt conferantur ad Eccleſ. S. Benigni inſtaurandam, jubet Ludouicus Pius, 408
Diſciplinam Monaſticam reſarcit Albericus Epiſcop. 409
Baſilicam, & Monaſticum ordinem inſtaurat Iſaac Epiſc. 411. & ſeq.
Carolus Caluus multa confert bona, 412. & ſeq.
Ius eligendi Abbatis concedit Iſaac Epiſc. 413
Sepultus eſt in hac Eccleſia, 416
Transfertur corpus S. Benigni Diuionem, 420. 426
S. Ioannis Abbatia confertur Monachis S. Benigni, 421. 422. 426
Et Eccleſia S. Gregorij in Eſcoriaco, ibid.
Altare S. Mariæ, ibid.
Ademarus & vxor eius Lampaïa benefactores, ibid.
Et Argrinus Epiſcopus, ibid.
Relicto Epiſcopatu hîc fit Monachus, 424
Regularem diſciplinam ad priſtinum ſtatum reuocat Bruno Epiſcop. 429
Ideò Monachos è Clun. aduocat, ibid.
Temporalia eis prouidet, 431
Fundator Abbatiæ S. Benigni Gregorius Epiſcop. Lingonenſ. 434
Inſtauratores ac benefactores præcipui, Carolus Caluus Imp. Iſaac & Bruno Lingon. Epiſcopi, nec non Guillelmus Abbas, 434
Forma antiquæ Eccleſiæ S. Benigni, ibid. & ſeq.
Corpora Sanctorum, quæ in eadem jacent, 435
Sepulchri S. Benigni deſcriptio, 438
Ornamenta eiuſdem ad pauperum miſeriam ſubleuandam vendidit S. Guillelmus, ibid.
Et quidquid auri, argenti, &c. erat in Eccleſia, ibid.
Inſignes Monachi, 440. 442
Epiſcopi fiunt Monachi, 442. 444
Abbates ſe Guillelmi magiſterio ſubdunt, ibid.

Digitized by Google

Chronici S. Benigni Authoris ætas, 445. 470
Calix aureus octo librarum, 460
Quàm multa contulit Halinard. S. Benigno, 469
Turris ruit, 477
Reſtauratur Eccleſia ab Hugone de Arcu Abbate, ibid.
S. Benigni Reliquiæ in noua theca includuntur, 478

S. BENIGNI ABBATES.

S. Euſtadius, 358
Sepultus juſta corpus S. Benigni, ibid.
S. Tranquillus, 358
Sepultus in dextera parte ſepulchri S. Benig. ibid.
Apolinaris, 370
Cudinus, 376
Bobolenus, ibid.
Richimarus, ibid.
Etherius, 377
Vidradus, ibid.
Hugo, ibid.
deleus, ibid.
laurinus, ibid.
Ifechrannus, 391
Obtinet priuilegium cimeterij, ibid.
Agilbertus, 392
Bobolenus, ibid. 393
VValdricus, 401
Pontifex vocatus, ibid.
Aridius, 402
Hildebrannus, ibid.
Herlegaudus nobilis, ibid. 408
Helebertus Coepiſcopus Lingonenſ. 409. 410. 411
Ingelrannus Coepiſcop. 410
Berthulo Coepiſcop. & Abbas, 413. & ſeq.
Miracula ad eius ſepulchrum, 418
In tumulo ſtola Sacerdotali ornat°, 419
Saro Abbas, 415
Hingo, 418. 419
Hildebrannus, 420
Godefridus, ibid.
VValo, ibid.
Lauterius, ſiue Lanterius, 420. 423
Fulbertus, 424
Godradus, ibid.
Gozuinus, ibid.
Panto, 425
Suauus, ibid.
Albericus, 427
Fulcherius, 428
Manaſſes, ibid. 429
Azo, ibid.
S. Guillelmus, 430
De Guillelmo multa, ibid. & ſeq. 432
Halinardus, poſt Archiep. Lugdu. 461. & ſeq.
Acta ipſius, ibid. & ſeq.
Iarento, 472. & ſeq.
Ademarus, 476
Henricus, ibid.
Hugo, ibid.
Petrus, ibid.
Petrus, ibid.
Philippus, ibid.
Ioannes, ibid.
Aymo, ibid.
Petrus, ibid.
Niualdus, ibid.
Galterus, ibid.
Adam, ibid.
Gilebertus, ibid.
Rainaldus, 476
Stephanus Raymundus Loys, ibid.
Petrus, 477
Richardus, ibid.
Aymo, ibid.
Hugo de Arcu, ibid. & ſeq.
Girardus, 479
Henricus, ibid.
Milo, ibid.
Ioannes, ibid.
Otto, ibid.
Petrus, ibid.
Petrus, ibid.

Digitized by Google

Ioannes, 479
Guillelmus, ibid.
Petrus, ibid.
Alexander de Monte acuto, 480
Benefactor, ac Reformator, ibid.
Ioannes de Marcha, 481
Stephanus, ibid.
Petrus, ibid.
Hugo de Monte-Cuniculo, 481
Humbertus de Saulbiez, 482
Ludouicus de Tintauilla, ibid.
Claudius de Charmes, 483. & seq.
Reparator insignis Monasterij, ibid.
Alberonis Abbatis meminit Chronicon Besuense pag. 586. tempore Arduini Episc. Lingon. circiter ann. 1059.

BENEFICIA ABBATIÆ S. BENIGNI.

S. Ioannis in Vrbe Diuionensi, Abbatia seu Prioratus, 421. 422. 426
Ecclesia, in Longouico, 422
Capella in Prunido, ibid.
Ecclesia in Missiniaco, 423
Ecclesia S. Vincentij infra muros Diuionis, 424
Ecclesia S. Apolinaris, 431
Ecclesia in Lineronis-villa, 447
Cella siue Prioratus S. Benigni in Vlnonis-villa, 448
Cella S. Benigni in Albiniaco-villa, ibid.
Ecclesia in Cimbinno, ibid.
Ecclesia in Duellari villare, ibid.
Prioratus S. Stephani de Belna, 449
Ecclesia seu Prioratus S. Petri de Puteolis, 450
Ecclesia S. Albini, 452
Abbatia S. Amatoris, nunc Prioratus, 456. vulgò, *S. Amatre.*
Abbatia, siue Prioratus S. Mariæ Saxonisfontis, 456. *Saxefonteine.*
Ecclesia S. Adelberti, 456
Ecclesia S. Martini Longi-campi, 457
Ecclesia Prisceiæ villæ, ibid.
Ecclesia SS. Symphoriani & Agathæ in Salinis, 469
Ecclesia S. Mariæ indidem, 470
Capella S. Andreæ, ibid.
Ecclesia seu Prioratus S. Georgij Vesulli castri, ibid.
S. Leodegarij nobilis quondam Abbatia, 471
Ecclesia seu Monasterium S. Stephani VVangionis riui, ibid.
Ecclesia seu Monast. S. Iuliani Castellionis, ibid.
Ecclesia Iflensis, ibid.
Cella S. Mariæ Cabilonens. 473
Cella de Sarcophagis, ibid.
Capella de Longia nouella, ibid.
Ecclesia S. Iacobi de Arneto, ibid.
Prioratus S. Vigoris Baiocens. 474
Ecclesia de Noant, 475
Capella de Noant, ibid.
Ecclesiæ de Claromonte, de Magnomonte, de Icio, de Casnedo, de Spaniaco, de Varesо, de S. Lupo, de Germani villare, de Riuiaco, Occeij, Adelenicurtis, ibid.
Capella VVangionis riui, ibid.
Ecclesiæ de Sariscaco, de Maisnili, de Hericurte, de Grincurte, 475
Capella de Roecurte, ibid.
Ecclesia SS. Ioan. & Philiberti Diuion. ibid.
Beraldus Episcop. Suession. 460
Beraldus Cancellarius, 552
Berengerius Bustolli Dominus, 540
Bernardus Archiep. Viennens. 511
Bernardus Belmontis, 580
Berthoaldus Maior Palatij, 375
Bertha Comitissa, 415
Bertha vxor Pipini Regis, 395

BESVENSIS ABBATIA.

Fundator Amalgarius Dux, 490. & seq.
Clotarij II. tempore fundata, ibid.
Besua, siue Besuus fluuius, 491

Loci Beſuenſ. deſcriptio, ibid. 498
Quæ bona contulerit Dagobertus Rex, 494
Donatiacum Monaſterium ſuum dat Beſuæ Adalſinda Abbatiſſa, 495
Vaſtatur Monaſterium, 496
Cartæ diripiuntur, ibid.
Sed relatione Valdaleni Abbatis quæ in cartis continebantur rata vult Clotarius Rex, 497. 498
Aduocatus, ſiue defenſor conſtituitur à Rege, quamdiu fuerit voluntas Monachorum, 500
Adalrici Ducis bona adiudicantur Monaſterio, 501
Res Beſuenſis Monaſt. conferuntur Anglæ ſcorto, 503
Inuiſibili igne exuritur Angla, ibid.
Eliminatis Monachis Canonici ſubſtituuntur, ibid.
Quæ à Monaſterio ablatæ fuerant reſtituuntur, 504
Quandiu Monachi exulauêre, 505
Reuocantur ab Alberico Epiſcopo, 506
Quare? ibid.
Idem inſtaurat Monaſterium, ibid.
Auget bona, 507
Approbat Ludouic. Imp. quæ iuris erant, 507
Corpus S. Prudentij à quo donatum, 518
De collatis à Geilone Epiſcopo, 519
Quoties deſtructa eſt Abbatia, 526. & ſeq. 532. 533. 554
Corpora Sanctorum transferuntur, 527
Qui à Normannis Monachi interfecti, 528
Diſciplinam Monaſticam reſarciuit Bruno Epiſc. Ling. 533
Rodulphus Albus Vicecomes fit Monachus, 534
Quæ Bruno Epiſcop. Beſuenſibus contulerit. ibid. & ſeq.
Monachis excipiendarum confeſſionum facultatem dat Bruno, 536
Item oblationum, ibid.
Aduerſus Beſuenſes, lites mouent Monachi S. Leodegarij, 537
Decimæ reſtituuntur, 538
Vir & vxor ſua ſponte ſe mancipant, 542
Girardus Fontis-vennæ multa erogat, 550. & ſeq.
Monachi Beſuenſ. vi expelluntur, 557
Odonis Militis donum inſigne, 560
Alteri Eccleſiæ cenſum vel decimas non debet ſoluere Beſuenſis, 572
Priuilegium exemptionis à Leone IX. Papa, ibid.
Inſtaurat Monaſterium Stephanus Abbas, 606
Inſignes Monachi qui ſub eius diſciplina extiterunt, 607
Omnia quæ poſſidet Beſua Priuilegio confirmat Paſchalis Papa, 635
Inuiſit Monaſterium, 638
Concionem habet ad Monachos, ibid.
Chronici Beſuenſ. ſcriptor Ioannes, 539
Noua Eccleſiæ conſecratio, 661
Libratiis aſſignantur redditus à Gerardo Abbate, 665
Plures è Nobilibus fiunt Monachi, 667. 668. 678. 691
Hugo Bellimontis de malis à ſe Beſuenſi Eccleſiæ irrogatis, veniam in Capitulo petit, 692

BESVENSES BBBATES.

VValdalenus I. Abbas, 491. & ſeq.
Bercangus, 502
Ferreolus, ibid.
Syrannus, ibid.
Seraphim, 409. 509. & ſeq.
VValcaudus, 514. 515
VVarinus, 516

Digitized by Google

Teutbertus, ibid.
VValcaudus, 531
VValcadus, ibid.
Galcaudus, ibid.
Milo, ibid.
S. Guillelmus, qui & Abbas S. Benigni, 533. & seq.
Vide in verbo. S. Guillelmus.
Vlgerius, siue Olgerius, 556
Halinardus Abbas Diuion. aliquandiu Besuense cœnobium rexit, 556
Iterum Vlgerius, 557. & seq. 573
Odo, 573. 589. 598. 599
VVido, 599
Gausbertus, 600
Iosbertus, 604. fortè idem qui præcedens.
Stephanus, 605
Eius acta, ibid. & seq. 610. & seq. 658. & seq. 663. 690
Gerardus, 664. 665. & seq. 669. 672. 677. 684. 687. 691. 699
Guidricus, 685. 686. 688. 692. 696. 697
Iosfredus, 701

BENEFICIA BESVENSIS ABBATIÆ.

Ecclesia S. Stephani in Belenauo, 508, 510
Ecclesiæ Dambrun, & Damblim, ibid. 633
Ecclesiæ apud Trescasas, & S. Sequani, ibid.
Ecclesia de Morniaco, ibid.
Ecclesia S. Mauricij in valle veronæ, 508. 510
Ecclesia S. Laurentij de Beria, ibid.
Capella S. Marcellini, 519. 520
Ecclesiæ S. Hyppoliti Pontiliac. & de Chasuit, ibid. 530
Ecclesia S. Martini de Luco, 520
Ecclesia Bellenauæ, 537
Ecclesia Besuunculæ, ibid.
Monasteriolum Nouæ villæ, 548
Monasterium Fontis-vennæ, 550. & seq.
Altare Ecclesiæ Helprici-curtis, 555
S. Gengulfi Ecclesia 585
Ecclesia S. Remigij, 600
Capella S. Valeriani, 601
Capella de Fontuenz. 603. 648
Ecclesiæ S. Symphoriani de Albiniaco, S. Benigni, S. Christophori Calintensis, S. VVilegaudi apud Romonem castrum, 607. & seq. 681
Ecclesia S. Dionysij de Souoïo, 608
Ecclesia de Maiasco, 609
Capellæ Montis-Salionis, & de Icioma, 610. 615
Monasterium de Vetus-vineis, 621
Ecclesia Confluenti, 650
Ecclesia S. Martini Bellimontis, 652. 672 686 694
Ecclesias de Cipeto, & de Talneto dat Ioceran. Episc. 662
Presbyteratus Ecclesiæ de Domnapetra, 675
Capella S. Bartholomæi.
Ecclesiæ de Auxiliaco, S. Iuliani, & S. Hilarij de Campaniis: de Domna-petra, 694
Besuuncula villa, 537
S. Bonifacius Martyrio coronatur, 394
Boso frater Rodulphi Regis, Rex Burgundiæ, 421. 528
Brittiniaca curtis Monasterium, 446
Bruna seu Brunichildis Regina, 367. 369. 372. 375. 376. 378. 381
Brunulfum interfici iubet Dagobertus, 383
Burchardus Lugdunens. Archiepisc. 429
Burgundia à Normannis vastata, 420
Quare Imperatoribus subiecta, 466

C

Calticensis Abbas VVinitarius, 511
Campio, quid, 541

Digitized by Google

Carolomannus ſpreto regno fit Monachus, 394
Corolomannus Rex, filius Pipini Regis, 394. 395
Carolomannus Bauariæ Rex, 416
Carolus Martellus, 393. 394
Carolus Magnus, 394. 395
Solus Rex Francorum, 396
Eius geſta deſcribuntur, ibid. vſque ad 407
Vxores & filij, 405
Filiæ, ibid.
Concubinæ, ibid.
Carolus Caluus, 405. 407. 408. 411. & ſeq. 416. 515
Carolus Germaniæ Rex, 416
Carolus Simplex, 417. 420. 425. 426
Carolus Craſſus, ibid.
Carolus filius Ludouici Tranſmarini, 428
Carropera, quid, 548
Celſus Patricius Burgundiæ, 366
Charibertus, V. Aribertus.
Childericus filius Clodouei II. Auſtraſiæ Rex, 391
Poſt Rex Francorum, 392. 500
Childericus III. 393
Childebertus I. Rex, 363. 364
Obit Pariſiis, 365
Childebertus II. 369. 372
Regnum Burgundiæ occupat, 373
Moritur, ibid.
Chilpericus I. Rex, 366. 367. 368
Eius filij, ibid. 369
Interficitur, 372
Chunigundis Imperatrix, 460
Clodoueus I. cui ſucceſſit, 361
Deuicit Syagrium, ibid.
Clotildem ducit, ibid.
De geſtis Clodouei, ibid. & ſeq.
Auguſtus appellatus, 363
Moritur, ac ſepelitur in Baſilica S. Petri, ibid.
Filij eius regnum partiuntur, ibid.
Clodoueus II. Rex, 384. 387. 388. 389
Clotarius dictus eſt, 389
Eius filij, ibid.
Clodomiris Rex, filius Clodouei, 363. 364
Clotarius I. Rex, 363. 364
Eius filij, ibid. 365
Limina S. Martini pœnitentia ductus petit, ibid.
Obit, 366
Clotildis Clodoueo nubit, 361
De Clotilde multa, 364
Clotarius II. Rex, 372. 374. 379. 381
Vita functus, 382
Sepelitur in San-Germano Cœnobio, ibid.
Clotarius III. 391. 392. 500
S. Columbani geſta percurruntur, 377. & ſeq. 380. 491. 498
Concilium Remenſe ſub Leone IX. 468
Romanum, ibid.
Cabilonenſe an. 886. pag. 520.
Lingonenſe an. 1080. p. 600
Confeſſiones excipiunt Monachi, 536
Conradus Imperator, 466
Conſtantinus Imp. 387
Crodebertus Maior domus, 497
Couruata quid, 538

D

Dagobertus I. Rex, 381. & ſeq. vſque ad 387. 493. 494
Dagobertus II. 39
Danorum Rex Godefridus, 405
Decimæ & tertiæ Monachis perſoluuntur, 601. 676. 677
Decimæ & nonæ iubet Ludouicus Pius vt S. Benigno conferantur, 408
Decimæ Monachis reſtituuntur, 538. 676
Defenſor, V. Aduocatus.
Denerata, quid, 540
Deſiderius Dux, 369

S. Desiderius Viennenſ. Epiſ. lapidatur, 376
S. Dionyſij Abbatiam quantis bonis affecerit Dagobertus, 386
Diuioni prima Eccleſia à S. Benigno ſacrata SS. Ioanni Bap. & Euangel. 392
In eadem congregatio Sanctimonialium, & commune cimeterium, ibid.
Inibi plures Epiſcopi Ligon. ſepulti, ibid.
Diuiſo Cardinal. S. Martini, 638
Donatus Archiep. Biſuntin. 496
Domegileſus, 372
Dornatiacum, Abbatia Monialium à quo fundata, 493
Datur Beſuenſi Abbatiæ, 495
Drogo Metenſ. Epiſcopus, 410
Duello interfectus excommunicatur, 685
Poſt annum abſoluitur, ibid.

E

Eadgiua vxor Caroli Simplicis, 427
Eboricus Comes, 376
Ebroinus Maior domus, 392
Ega Maior domus, 387
Egichardus Regiæ menſæ Præpoſitus, 399
Emerulfus Maior domus, 427
Epplenus nobilis Diuionenſ. 416. 517
Erchinoaldus Maior domus, 388 389
Ermembertus vir nobilis, 382
Erminigildus VViſigothorum Rex, 369. 372
Eulogiæ, quid, 608
Euuinus dominus de Beria, 666
ab *Excommunicatione* mortuus abſoluitur, 685

F

S. Faronis Meldenſ. Abbatia inſtauratur à S. Guillelmo, 445
Faſterada vxor Caroli Mag. 405
Fauſtus pater S. Symphoriani, 355
Firminus, 367
Fiſcannenſe Monaſterium ad priſtinum ſplendorem reuocatur à Richardo Comite, & S. Guillelmo Abbate, 444
Inſignes eiuſdem Abbatiæ viri, ibid.
Abbates, ibid. 445
Flauiniacenſ. Abbas Amadeus, 450
Flaucatus Maior domus Burgundiæ, 388. 389
S. Florida, vbi ſepulta: 358. 435
Foua, ſiue Faoua, Cabilon. Epiſ. 510
Franciſcus de Bellojoco Abbas S. Germani Autiſſiod. 487
Francus, 367
Fredegundis Regina, 368
Fructuarienſe Monaſterium à quo fundatum, 441. 443
Eius origo, 443
Fulcardus Præpoſitus Eccleſiæ Lingon. 415
Fulbertus Buſtelli dominus, 540

G

Galliæ regnum in ſummo diſcrimine, 364
Gaudemaris Gundebaudi frater, 364
Gemeticenſis Abbas Theodericus, 440
Inſtauratur Monaſterium à S. Guillelmo, 445
Gendulfus Aduocatus, ſiue defenſor Beſuenſ. Abbatiæ, 500
S. Germanus Pariſ. Ep. Sigeberto Regi euentura mala prædicit, 368
Eius obitus, 369
S. Germani Autiſſiod. Abbas Franciſcus de Bellojoco, 487
Germani naturâ feroces, 397
S. Germani Pariſ. Abbatia inſtauratur à S. Guillelmo, 445
Gibuinus Clericus, frater Hugonis Belmont. 563
Girardus Fraſnati dominus, 538
Girardus Fontis-vennæ Monaſterium conſtruit, 550. 578. 602
Girardus de Fontuenz. 605
Girardus Montaniaci, 663

Girardus

Digitized by Google

Girardus Metenſis Comes, 447
Girbaldus Comes, 420. 423
Girberga Comitiſſa Fontis-vennæ, 568
Giſlebertus Comes Burgundiæ, 426
Godegiſilus Gundebaudum fratrem exturbat è regno, 362
A Gundebaudo trucidatur, ibid.
Godinus ex Primatibus Burgundiæ, 392
Gomatrudis vxor Dagoberti I. 381. 383. 495
Gorzienſis Abbatia inſtauratur à S. Guillelmo, 446
Gothorum regnum in Italia deſtructum, 365
Gregorius Cardinal. 638
S. Gregorius Lingonenſ. Epiſcop. 357. 434. 435. 485
Grimoaldus filius Pipini Maior domus, 390. 393
Guido dominus VVangioniſriui, 475
Guido Montaniaci, 669
Guillelmus V. VVillelmus.
S. Guillelmus Abbas S. Benigni Diuion. 430. & ſeq.
Atque aliarum quamplurium abbatiarum, 433. 439. 441. 444. & ſeq.
Eius geſta percurruntur, ibid. & ſeq. 439. & ſeq. 535. & ſeq.
Quomodo in Palatiis Regum ſe gerebat, ibid. 533
Inſignes illius diſcipuli, 440
Diuerſa conſtuxit Monaſteria, 443. 444
Eius obitus, 458. 459. 556
Sepultus Fiſcani, ibid.
Gundeberga vxor Charoaldi Regis Longob. 389
Gundebaudus Burgundionum Rex, 361
Gundioca Clotarij Regis vxor, 364
Gundoaldus Dux, 369
Guntrannus Burgundiæ Rex, 366. 372
Eius vxores & filij, ibid.
Magnacharij filios interimit, 369
Multa donat Eccleſiis, 370
Vita fungitur, 373
In Monaſterio S. Marcelli ſepelitur, ibid.
Guntradus S. Benigni Aduocatus, 420

H

Haimo de Fontanis, 611
Haimo de Tricaſtel, ſeu Tricaſtro, 673
Halinardus Archiep. Lugdu. 461. & ſeq. 464. 467. & ſeq.
Egregia eius facta, 464. 466. & ſeq.
Haribertus Rex, 366
Hector Veſuntinienſ. Archiep. 540
Helmum quid, 578
Henricus Comes, filius Hugonis Mag. 432
Henricus III. Imperator, 465. Burgundiam quare poſſedit, 466
Henricus Dux, Aduocatus S. Benigni. 452
Hericus Dux Foroiuli, 401
Henricus Rex, 459. 556. 585
Heraclius Imp. 387
Herbertus Comes Vermãdenſis, 425
Hermendricus Dux, 385
Hermoberga Regina, 376
Hierulus Præfectus Baioariæ, 401
Hilarij Senatoris ſepulchrum in San-Benign. Eccleſia, 358. 436
Hildegardis vxor Caroli Magni, 400. 405
Hildegarnus Comes, 504
Himaldus Aquitaniam occupat, 396
Hiſpaniæ Reges, 367. 372. 377. 384. 388. 404
Hugo Abbas, 417. 525
Eius fratres, ibid.
Hugo Magnus, 425. 427. 432. Eius filij, 432
Hugo Comes Diuionenſ. 428
Hugo Atoariorum Comes, ibid.

Hugo Rex filius Hugonis Mag, 432. 529
Hugo Autisiodorens. Episcop. 460
Hugo Chrysopolitan. Episcop, 466. 469
Hugo Bisunt. Archiep. 473
Hugo Archiep. Bisunt. 511
Hugo de Arcu dominus, 478
Hugo Burgundiæ Comes, 479
Hugo Comes Bellimontis, 55. 8561 591. 564. 672
Hugo Canonicus, fundator Monasterij Lagonniacensis, 584
Hugo Dux Burgundiæ, 603
Hugo de Fontanis, 613
Hugo Burgundiæ Dux, 641
Hugo de Bello monte, 672. 683. 688. 692. 693
Hugo de Bellojoco, 690
Humbertus de Fonuenz. 603. 648
Humbertus de Arcu, 478
Humbertus Salmaciæ seu Sarmaciæ dominus, 450
Hunnis maxima clades ab Carolo Mag. illata, 401

I

Iacob Tullens. Episcop. 446
Imperium Francis ablatum, 420
S. Ioannis Abbatia confertur San-Benignianis Monachis, 421. 422. 426
Ioannes Cardinal. 638
Ioannes Chronici Besuensis Scriptor, 639. 640
Idem Monachus, & Secretarius Besuens. Abbatiæ, 638. 539. 640
Libros curauit exscribendos quamplures, 659
Ioannes Papa VIII. 417. 525
S. Ioannes Reomaensis, 435
Ioannes de Visen. Consiliarius, 481
Iocerannus Lugdu. Archiep. 643
Ioffredus Bellimontis, 650
Idem, 685
Cur sepulturâ caruerit, ibid.
Ab excommunicatione mortuus absoluitur, 685
S. Irenæus Martyrio coronatur, 354
Isabella de Pesinis, 479
S. Isidorus Hispalensis, 377
Iudicaël Britonum Rex, 386
Iurandi mos militum, 383

L

Lagoniacensis Monasterij fundator, 584
Lampaïa Nobilis, vxor Ademari, 421
S. Lambertus, 392
Laudericus Patricius, 375
Laus perennis in Monasteriis, Agauni, S. Benigni Diuionensis, & S. Marcelli Cabilon. instituitur, 363. 370, &
In Monasterio S. Dionysij in Francia, 386
S. *Leander* Erminigildum ad fidem adduxit, 369
S. *Leo* Papa IX. 468. 572
Leonem Papam vendicauit Carolus Mag. 406
S. *Leodegarij* Abbas Teuto, 512
Monachi lites mouent aduersus Besuenses, 537
S. Leodegarius, 392
S. *Leonilla*, 355. 357
Letaldus Comes Diuion. 451
Leudebertus Dux, 385
Leudeganda, siue Leudegardis, vxor Caroli Mag. 405
Leudiscus Patricius, 372
Lingonensis Ecclesiæ res conferuntur Remigio Laico, 503
Lingonenses Episcopi plures in Cimeterio Diuionensi sepulti, 359
Iidem Episcopi. S. Vrbanus, ibid.
S. Gregorius, ibid.
S Tetricus, ibid.
S. Gregorius San-Benignianum Monasterium ædificat, 360

Digitized by Google

Congregatis Monachis illud ditat, ibid.
Mitius, 376
Dodoaldus, ibid.
Eronus, 391
Obtinet à Sergio Papa cimeterium S. Benigni, ibid.
Astoricus, 393
Albericus, 409. 410. 506. & seq. 509. & seq. 513
Theutbaldus, 410. 514
Isaac, 411. & seq. 416. 515. 517
Canones composuit, 416
Sepultus in San-Benigniana Ecclesia, ibid. 435
Geilo, ibid. 518. 519. & seq. 528
Teutbaldus, 418. 420. 529
Argrinus, 420. 529
Relicto Episcopatu fit Monachus, 424. 435
VVarnerius, ibid. 425. 531
Gotzelinus siue Gotselmus, 425. 426. 532
Letericus, 427. 532
Ericus, ibid. 532
Achardus, ibid.
Vidricus, ibid.
Bruno, 429. 451. 453. 455. 532. 533. 534. & seq. 547
Lambertus, 456. 459. 460. 547. & seq.
Richardus, 459
Hugo, ibid. 468. 556. 561. 563. 585
Arduinus, 468. 571. 572. 586
Raynardus, 599. 600
Robertus, 475. 602. 603. & seq. 608. & seq. 641. 652
Habitum Monachalem induit, 641
Iocerannus, 641. 651
Consecrat Ecclesiam Besuens. 661
Ecclesias de Cipeto, & de Tasneto dat Ecclesiæ Besuensi, 662
Betto, 504. 505
Guilencus, siue VVilencus, 664. 675
Gothefredus, 677. 685. 693. 694
Loa fluuius, 375
Longobardi Italiam inuadunt, 366
Reges, ibid. 373. 389. 394. 396. 397
Duces à Mummolo in Gallia superantur, 368
Tributum soluunt Francis, 372
Lotharius Imperator, 407. 410. 412
Lotharius Rex, 428. 532
Ludouicus Pius, 405. 507
Eius acta videbis à pag. 406. ad 409
Filij ipsius, 407
Dissidium inter eos, 409
Ludouicus Rex Germaniæ, filius Lud. pij, 407
Ludouicus filius Lotharij Imperator. 410
Ludouicus Balbus, 417
Ludouicus Vltra marinus, 427. 533
Ludouicus V. Rex, 432
Ludouicus VI. Rex, 634
Lugdunum metropolis Galliarum, 355
Luxouium Monasterium, 378

M

Madelgaudus Oscarensium Vicecomes, 420
Magnacharius, 366
Manasses Comes, 422. 426
Manasses Comes iunior, 423
Manumittendi mos, 669
Marcus Aurelius, siue Aurelianus, sæuit in Christianos, 356
S. *Mariæ* Lagonniacensis Monasterij fundator, 584
S. *Medardi* corpus quare transfertur, 527
Meroueus Clotarij filius, 375
S. Michaelis Monasterium instauratur à S. Guillelmo, 445
Milo de Beria, 559
Milo de Fossato dominus, 701
S. *Martini* ab transitu annos Franci solebant numerare, 363
Modoinus Augustodu. Episc. 511

Mommolus. V. Mummolus.
Monachi hæredes parentum fieri volunt, 402
Monachos quare multis bonis afficit Carolus Caluus, 413
Monachus beneficiario iure tenet Abbatiam, 422
Excipiunt confeſſiones ſecularium, 536
Item Oblationes, ibid.
Monachali habitu Miles vt petierat, obit, 579. 643
Decimæ & Tertiæ Monachis perſoluuntur, 601
Mummolus Saxones ſuperat, 368. 369

N

Nantilda, ſiue Nantildis vxor Dagoberti I. 383. 387. 388. 495
Narſes Patricius, 365
Normanni, qui & Dani & Sueui, 400
Secunda eorum irruptio in Galliam, 412
Tertia. ab Hugone Abbate expelluntur, 417. 525
Quarta, 418
Regnum diripiunt, 420

O

Odo Comes Diuion. 414
Odo filius Roberti Andega. Comitis, 417
Regni Franc. adminiſtrator, ibid.
Rex conſtituitur, 418
De Odone plura, 420
Odo Vicecomes, 449
Odo Belnenſis Vicecomes, 450
Odo Baiocenſ. Epiſcop. 474
Odo Bigot Miles, 476
Odo de Bellomonte Comes, 558. 560
Odo Montis-Salionis Senior, 591. 610
Odo Dux Burgundiæ, 602
Odo Montis-Salionis, 667
Odolricus Bellimontis, 565
Odulricus Comes Riſnelli, 447
Odulricus Archiep. Lugdu. 464
Odulricus Vice-Cancellarius, 552
Oſa, quid, 558
Otto Comes, 432. 448. 451. 460
Otto Matiſconenſ. Comes, 460
Otto de Grandiſſono dominus, 477

P

Parata quid, 608
Parochiaticum quid, 699
Paſchalis Papa II. 637. & ſeq.
S. *Paſchaſia* vbi ſepulta, 358. 359. 435
Paſtionaticum quid, 700
Panis in Miſſæ Sacrificio oblatus à populo, quare Monachis in refectorio apponi debeat, 476
Pauperum vt ſubleuaret miſeriam, aurum, gemmas, &c. ſepulchri S. Benigni vendidit S. Guillelmus, 438
Eo quidquid auri, & argenti erat in Eccleſia S. Benigni, ibid.
Pertications quid, 520
Petrus Senior Miribelli, 617
Petrus Montis-Salionis, 643. 655
S. *Petri* nomini Eccleſiæ conſecratæ cenſum vel decimas nulli perſoluere debent, 572
Philoſophos quî legebat Halinard. Archiep. Lugdu. 463
Philippus Rex, 585
Pipinus Maior domus, 388. 390. 393. 502
Pipinus filius Caroli Martelli, 394.
Rex inauguratur, 394. 503
Pipinus filius Caroli Magni, Rex Italiæ, 397. 405
Pipinus Caroli Mag. ex concubina filius, fit Monachus, 405
Pipinus filius Ludo. Pij, Rex Aquitaniæ, 407. 412
Polypticum quid, 600
Pſallendi modus ad inſtar cæleſtis militiæ, 363. 370. 386
Protadius Patricius, 375
S. *Prudentij* Mart corpus Beſuæ, 518. 527. 532

Digitized by Google

R

S. Radegundis corpus inuentum in Ecclesia S. Benigni, 435. 485
Radulphus Comes, 420
Ragofredus Maior domus, 393
Rainaldus Comes Burgundiæ, 681
Rainaldus de Mirabel, 644
Rainaldus Comes, 470. 542
Rainaldus Castellionis dominus, 471
Ramelenus Dux, 385. 389
Ratherius Archidiac. & Abbas Eccles. S. Mammetis, 424
Præpositus Abbatiæ S. Stephani, ibid.
Regula B. Columbani, seu B. Benedicti, 498. Sancta Regula, 507
Regulam S. Benedicti manu tenentes confirmant donationes, 631
Reidebertus Maior domus, 497
Reintrudis vxor Gilbardi Comitis, 423
S. Remigij corpus translatum, 468
Restituuntur ablata, 593. 664. 671. 672. 676. 682
Retrudis nobilis femina, 428
Richardus Dux Burgundiæ, 420. 423. 425
Eius Filij, 421. 423
Adeleia vxor, 423
Richardus Comes Diuion, 428. 451. 528
Richardus Dux Normanniæ, 460
Richardus Bigot Miles, 476
Richardus de Bellomonte, 578
Richardus Cardinal. Episc. Albanens. 638
Risus Cardinalis S. Laurentij, 638
Robertus Comes Andegauensis cognomento Fortis, 417
Eius filij, ibid.
Robertus filius eiusdem Comitis, ibid. 420
Rodulpus, & Boso illius filij, 421
Robertus Rex, filius Odonis Regis, 425
Robertus Comes Palatij, 426
Robertus Rex, 432. 455. 456. 459. 556
Robertus Burgundiæ Dux, 563
Rodulphus Rex, 421. 425. 528
Rodulphus Albus, Vicecomes Diuion. fit Monachus, 534
Robertus Montis-Salionis Miles, 592
Rolandus Britanniæ Præfectus, 399
Romam Saraceni diripiunt, 410
Rorico Comes, 376

S

Saraceni grassantur imperium, 387
Romam diripiunt, 410
Sclaui. V. VVinidi.
Saxones rebellant, 365
Multa strage Francos interficiũt, ibid.
In Galliam irrumpunt, 367
Variis cladibus à Carolo Magno afficiuntur, 397
Scriptoribus statuuntur reditus, 665
Secundinus Lugdu. Archiep. 374
Seuerus Imperator, 356
Sequaldus Saligonis, 576
Siebelinus Dux Burgundiæ, 497
Sigibertus Rex, 366. 368
In Ecclesia S. Medardi sepultus, 369
Sigibertus Theoderici filius, 374. 380
Sigibertus III. Austrasiæ Rex, 384. 390
Siagrius Patritius à Clodoueo I. deuictus, 361
Sigismundus Rex Burgundiæ, 363
Agaunense Monasterium quare construxit, ibid.
Alia plurima ædificauit, ibid.
Sigismundus à Francis capitur, 364
S. *Siluini* corpus transfertur, 527
Simon Crespeiensis Comes fit Monachus, 606
Simon de Bellojoco, 690
Stephanus Comes, 609
Stephanus Eduens. Episc. 644
S. *Symphorianus* annorum 5. Baptisatur, 355

Martyrio cum esset annorum 25. afficitur, 356

T

Tassilo Dux Baioariorum, 399
Thedebaldus filius Theodeberti, 365
Theodebertus filius Theoderici, 363. 364
Italiam occupat, 365
Theodebertus Rex, 372. 373. 374. 375. 377. 379. 380. 500
Theodericus Metens. Episcop. 446
Theodericus Clodouei I. filius, 362. 363. 364
Theodericus II. filius Clodouei II, 391. 392. 393
Theodericus filius Childeberti II. 372. 373. 374. 375. 379. 380. 381
Tetbaldus Carnot. Comes, 427
Theudichildis Regina, 366
Totila Gothorum Rex, 365
Tornodorensis Abbas Hunaldus, 440
Ledbaldus itidem Abbas, ibid.
Tuntardus Valentinens. Episcop. 473
S. *Tyrsus*, 354. 356

V

Vaifarius Aquitaniæ Dux, 395
Vandalmarus Dux, 385
Valnarius siue Varnarius Maior domus, 381. 493
Varnacharius, 367
Vascones rebelles, 385. 386. 399
Venerandus Dux, 385
Vezeliacensis Abbatia instauratur, 433
S. *Victoris* corpus inuentum ac translatum, 374
Vladislaus Rex Poloniæ Monachus S. Benigni, 479
Vnfridus Comes, 415
S. *Vrbani* Lingon. Episc. corpus in Ecclesia S. Benigni, 435. 486
VValbertus Dux, 389
VValterius Eduens. Episc. 451
VValdericus Dux, 385
VValterius Cabilon. Episc. 644
VValterius Eduorum Episcop. 461
VVandalmarus Dux, 375
VValo filius Manassis Comitis, 422
VVandalmodis mulier nobilis, 524
VVido de Lysseio, 695
VVuido Comes Matisconens. 602
VVilbaldus Patricius, 385. 385. 388
VVillelmus Niuernens. Comes, 460
VVillelmus Comes Burgundiæ, 603
S. *VVillebrordus* Frisiam ad fidem adduxit, 502
VVillencus Belmontis, 387
VVinebaldus nobilis, 423
VVinidis bellũ infert Carolus Mag. 400
VViſegarda vxor Theodeberti, 364

Z

Zacharias Lugdu. Episcop. 355

Diuersæ quædam Lectiones ex Chronico Besuensi: aliæ marginibus annotantur.

PAg. 363. *lin.* 6. quæ hodie S. Genouefæ templum nuncupatur. *Hæc verba in Besuensi non extant.* Ibid. *lin.* 22. Genuensem. ibid. *l.* 23. Quadruuio. pag. 364. *l.* 18. Idoaldum, Theodaldum. ibid. *l.* 27. Amalricum. pag. 366. *l.* 24. Bobilane. ibid. *l.* vltimâ, Gogonem. Pag. 367. *l.* 23. Leuua. ibid. *l.* 37. repedant. Pag. 368. *l.* antepenult. Neptrasij. Pag. 374. *l.* 26. in suburbano Genauensi,

Digitized by Google

Pag. 375. *l.* 9. Scutengorum.
Ibid. *l.* 18. peruadere.
Ibid. *l.* 21. Landericus. *Sic & lin.* 25.
Pag. 376. *l.* 6. Eborinum.
Pag. 380. *l.* 10. Aruennam.
Pag. 381. *l.* 6. *poſt* peremit, *adde*: Brunichildis peſtiferæ videns cumulum malorum cælum vſque pertingere, vindictam publicam de communi hoſte facere ſtatuit: veniénſque ad eam quaſi facturus coniugium; cùm ſe illa præpararet ad connubiale conuiuium, coacta eſt bibere quod regnis & populis propinauerat poculum. Nam camelo ſuperpoſitam girari fecit per exercitum: quam cùm omnes inclamando horruiſſent, velut ſub carnis velamine zabulum: iterum iuſſit reduci, & inter equos quatuor indomitos ligari: ad quorum primam erumpentium fugam, partibus rupta, poſteà igne combuſta, cum ſatellitio peccatorum ab ipſis inferioribus eſt immerſa. Funditus, &c.
Pag. 381. *l.* 24. Clippiaco.
Ibid. *l.* 34. *poſt*, Metenſis, *adde*: cum reliquis Epiſcopis eligitur, vt ſua erat Sanctitas.
Pag. 412. *l.* 12. jungere, inuadere.
Pag. 396. *l.* 23. Hunaldum.
Pag. 397. *l.* 35. Vbique.
Pag. 400. *l.* 17. prouinciam quam. l, Regnum quod. ibid. *l.* 18. commiſſum.
Pag. 404. *l.* 22. Abodriti.
Pag. 406. *l.* 33. quadrageſimo ſeptimo, quinto &c.

Errata quædam, & omiſſa.

PAg. 140. *lin.* 22. *in marg.* l, commercio. pag. 141. *l.* 33. *in marg.* l, diſcrepat. pag. 216. l. 7. *in marg.* adde 66. pag. 217. *l.* 15. *in marg.* l, hic. pag. 259. *l.* 9. dele priorem aſteriſcum. pag. 361. *l.* 34. *l*, Crotildem. pag. 364. *l.* 27. l, Amalricum. pag. 367. *l.* 11. diſrumpetur. ibid. *l.* 24. Brunichildæ. pag. 369. *l.* 14. in marg. dele, *al.* quinque. pag. 374. *l.* 11. abducuntur. pag. 376. *l.* 15. poſt Deſiderium *adde*, Epiſcopum. pag. 377. *l.* 18. *l*, parte. pag. 378. *l.* 17. poſt aula, *ad.* venire. ibid. *l.* 33. poſt virum, *ad.* Dei. ibid. *l.* 34. l, comprouincialium. pag. 379. *l.* vlt. l, Theodericus. pag. 381. *l.* 26. Gomatrudem. ibid. *l.* vlt. Ligerim. pag. 382. *l.* 9. l, procerum plurima. ibid. *l.* 16. *poſt*, montes, *ad.* Pireneos. pag. 391. *l.* 24. l, Romanæ Eccleſiæ. ibid. in marg. *l.* 32. l, 699. pag. 392. *l.* 4. quando. l, contradicit, & pone virgul. *poſt* decretis. ib. dele quæ in margine. ib. *l.* 7. *Sivlege*, vtriſque ſanciuit vnum quo Sanctus iacet concorditer cimeterium. *vt in autographo.* ibid. *l.* 15. ſecunda. *legitur in alio exemplo*, vndecima. pag. 393. in marg. *l.* 29, l, Martellus. pag. 394. *l.* 1. *poſt* quinto, *ad.* Carolus. ibid. *l.* 8. l, coadunata. pag. 397. *l.* 3. l, cœpturn ibid. *l.* 5. l, ſimilis. ibid. *l.* 21. l, Adalgiſus. pag. 398. *l.* 17. l, conflixit. pag. 399. in marg. *l.* 4. *dele non.* ibid. *l.* 5. l, interficiunt. p. 401. *l.* 17. l. ditati. p. 404. *l.* 4. l, Hiberum. ibid. *l.* 22. l, Boemani. pag. 405. *l.* 10. l. couidémque. ibid. *l.* 18. *adde*, amiſit, *poſt* moreretur. pag. 406. *l.* 28. l, ei. pag. 408. *l.* 26. l, Ludouicus. ibid. *l.* 30. *in marg.* Caroli Calui. l, Ludouici Pij. pag. 410. in marg. *l.* 26. Ludouicus Romæ creato &c. *dele.* pag. 412. in marg. *l.* 36. f. dictas. *dele.* pag. 424. in marg. *l.* 5. l, 917. pag. 448. *l.* 23. l, Scriptor. *in marg.* pag. 456. *l.* 21. l, vnius. pag 495. *l.* ahtepenult. l, Sacratum *in margine.* pag. 496. in marg. *l.* 24. l, octano. p. 498. *l.* 2. *pone aſteriſc. ante* Dominicus, *& dele ante* Farulfus. ibid. l. 12. *l.* multo. pag. 533. *l.* 29. l, iſtud. pag. 616. *l.* 13. l, Tenimento. pag. 669. in marg. *l.* 24. *dele*, à ſerui. ibid. *l.* 27. *dele*, ciendi. pag. 689. *l.* 23. Donaria, l, Epitaphium. *Et quæ ſequuntur more rhythmorum erunt diſtinguenda.* pag. 699. l. penult. l, parocho. *in margine.*

Cætera, Lector, benigna manu emendabis.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ne quis in Regno ſuo, aliiſque locis ſuæ ditioni ſubiectis, Librum, cui titulus, *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum ſuperſunt,* SPICILEGIVM, videlicet, CODEGRANDI *Metenſ. Epiſc. Regulæ Canonicorum.* ISIDORI *Hiſpalenſ. Epiſc. De Ordine Creaturarum Lib.* EPISTOLARVM *Quiricij, S. Ildefonſi, & Idali Epiſcoporum.* RATRAMNI *Corbeïenſis De Natiuitate Chriſti Opuſcul.* ISAACI *Lingon. Epiſc. Epiſtolæ in Canonem Miſſæ.* VETERIS *Chronici S. Benigni Diuion.* IOANNIS *Monachi Chronici Beſuenſis.* RATRAMNI *Corbeïenſ. Lib. III. Contra Græcos.* GVILLELMI *Abbatis S. Theodorici Operum:* Et aliorum Authorum in Diplomate contentorum, abſque D. Lucæ D'Acherij conſenſu, aut eorum quibus permiſerit, intra viginti annos imprimat aut diuendat. Si quis ſecus fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in ipſo Diplomate continetur. Lutetiæ Pariſiorum 19. Iunij 1654.

Sic Signatum.

De Mandato Regis.
LE COQ.

Conceſſio indulti Priuilegij.

PRæfatus D. Lucas D'Acherius conceſſit Carolo Savreux Bibliopolæ Pariſienſi, vti indulto Priuilegio ad decennium; quoad ſequentes duntaxat Authores: CODEGRANDI *Metenſ. Ep. Regulam Canonic.* ISIDORI *Hiſpal. Ep. De Ordine creaturarum Librum.* EPISTOL. *Quiricij &c.* RATRAMNI *Corbeïenſ. De Natiuitate Chriſti Opuſcul.* ISAACI *Ling. Epiſc. Epiſtolam in Canonem Miſſæ.* VETVS *Chronicon S. Benigni Diuion. Et Ioannis Monachi Chronicon Beſuenſe.* Pariſiis in Abbatia S. Germani à Pratis, die 2. Iulij 1654.

Sic ſignatum: F. LVCAS D'ACHERY.

Prima editio abſoluta fuit die 12. Decemb. 1654.

Digitized by Google

Digitized by Google